


[illegible]

Cum [illegible] candidae [illegible]

[illegible] ille [illegible] quam [illegible]

Ex dispositione Clariss. atque doct.
viri D. Francisci Kram Sagani I. V.
Electoris Sax. Consiliarij etc. pie
defuncti, Anno 15[illegible]6

[illegible] malo [illegible]

Iohannes Schotz.
Anno Chri 15[illegible]2.

[illegible] Thomas Freigius [illegible] Philippus Me[illegible]
[illegible] & L. [illegible]

[illegible] Philippum Melanth: in universum [illegible]
[illegible] beatus est; cum [illegible]
[illegible] aperiatur, cum ego patrem [illegible]
[illegible] appellare non [illegible]

[illegible]

[illegible] de Libro [illegible] non [illegible]
[illegible] placet, [illegible]

Quintil. lib. 1. cap. 4.

Nimis sunt ferendi, qui hanc artem, ut tenuem, ac ieiunam cavillantur. Quae nisi Oratori futuro fundamenta fideliter iecerit, quicquid superstruxeris corruet. Necessaria pueris, iucunda senibus, dulcis secretorum comes, et quae vel sola, omni studiorum genere, plus habet operis (hoc est solidae, ac verae eruditionis, et utilitatis) quam ostentationis.

Ego sic scripsi

Cornelius Nepos

Titulus, et nomen eruditionis debetur illis solis qui sunt Grammatici. Soli enim illi a veteribus literati recte appellati sunt.

Pharmaca nascenti sunt adhibenda malo.
Pectora nostra tamquam miris amor afficit, ut quae
Non audit quidam, sed meditatur pia
Cui sine Grammatica maiores tendit ad artes,
A[illegible]m agit, et vanum suscipit autor opus.

Carnificas nulli tetis exorare puellas
Contigit, obseruant quem statuere diem.

\+ Ouid.

Non est in medico semper releuetur ut æger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.

\+ Homerus.

Non decet integram noctem dormire regentem
Semper cui populos, & agitatur pectore curas.

Propertius.

Longius aut propius mors sua quemque manet.

Persius.

O curas hominum, o quantum est in rebus
inane.

Jacobus Stemchius

Tempora si fas est iterum primæva redire
Feliciaq iterum sub Saturne mundus erat,
Ipsa tum rastri, tum vomeris inscia curas,
Sponte sua segetem terra benigna feret.

Fis amans, amens amor est infamia, sana
Infamis, certa pectora

1595 anno

PHILIPPVS MELANCHTHON IOACHIMO CAMERARIO PABEPERG. V. OPT.

RECOGNITA ET LOCVPLETATA.

ACCESSIT TRACTATVS DE ORTHOGRAPHIA RECENS.

THOMAS LINACER HANC GRAMMATICAM EDIDIT



Joannes Scotus studuit in hoc libro

LIPSIAE,

CVM PRIVILEGIO CAESAREO ANNORVM DECEM.

Sum ex libris Joannis Scot.

Hoc certo certus

PHILIPPVS MELANCHTHON IOACHIMO CAMERA-RIO PABEPERG. V. OPT. amico suo cariss.

S. D.



ACVNDVS COMES in via pro vehiculo est. Adiunge igitur Sadoletum cum Francicum iter suscipies, nisi venit ille isthuc tardius, id quod de indicatione consilij tui verebamur. Huius dulcissimis sermonibus lenietur itineris molestia, cum per Thuringiacum saltum, & Nariscos tuos eundum erit. Etsi te quidem habiturum comitem Ballorhodum audimus, cum quo ita erunt multa quæ voles ac cupies loqui, & tantam de illius συνομιλήσει, capies voluptatem, vt neque desideraturus aliam subleuationem, neque interpellationem vllam admissurus esse videaris: Verum in præfectura hunc fortasse relinquetis. At inde etiam qui vos prosequantur, habebitis notos homines, & tui inprimis amantes. Venies etiam, vt opinor, ad præfectum Regiomonti,

cuius humanitas & ſuauitas atq; profecto etiam ſapientia, non relinquet locum alienis diſputationibus. Nam illic quo tendis, ſcio tibi tales curas, negociorum tuorum occupationibus & cariſs. tibi amici colloquijs penitus excuſſum iri. Sed tu habes Sadoletum quem habuiſti. Mihi quidem nuper iſtinc reuerſo domum, reguſtaui ſcriptum, placuit conſilium operis & imitatio antiquitatis. Ac de vtraq; re, vel potius de toto opere tuum iudicium ad nos perſcribes. Caſparem hoc tempore hinc expatiari, moleſte ferebã cum inſtaret ἀρχαιρεσία, in qua χειροτονία ipſius poterat me noua ſolicitudine liberare. Hanc epiſtolam, ſi accipies ante iter tuum, fac reſcribas nobis priuſquam proficiſcaris, hoc mihi erit gratiſs. Etiam ex itinere velim φοιτᾷν πρὸς ἡμᾶς literas tuas non ſolum ad leuandam ſolicitudinem meam, quam relinquit nobis tua peregrinatio, ſed ἵνα φοιτῶσ᾽ ἂν εὐφραίνοιεν. Bene & feliciter vale cum familia vniuerſa.

Pridie Iduum Octob.

IOACHIMVS CAMERARIVS PHILIPPO MELANCH. V. CLARISſimo, S. D.

HAEC

HAEC scripsi, cum iam esset deponenda prouincia, vel si mauis, abeundum magistratu semestri nostro. Accepi autem literas vna cum libro à Caspare nostro tuas ad vesperam hesterni diei, quo tempore Caspar vna cum Erasmo ad nos venit, ac tum quidem librum inspexi, sed quod cum gratiss. hospitibus colloqui de pluribus cuperem, & omnibus pene momentis interpellarer, ab ijs, quibus negocij aliquid coram me erat, legere nihil potui. Post cœnam autem ad lucernam sane multas pagellas confeci, ac præclarum mihi scriptum visum est, & consimile aliorum huius autoris hominis politissimi, etsi quædam in summa diligentia eruditionis illius desidero. Concedatur enim hoc & nobis, vt iudicium faciamus, & de hominum & de scriptionum genere isto, vel si illa, quasi diuinitas suspicienda tantum est nobis, veluti ἐπιχθονίοις, laudentur sane & pulcerr. esse perhibeantur vniuersa, sed de his coram aliquando. Meum iter adhuc differtur, remorante nos Ballorhodo, qui primum terrore quodam narrationis illud retudit, nunc cessatione sua retardat. Constituimus tamen ad diem proximum XIIII. Cal. Nouemb. illud nos ingressuros esse. Te vix putant huc venturum ad nuptias, futurum enim istic dictatorem,

vt tu appellas. De libro ſcire cupio cuius ille ſit, vt precium ſoluatur, nam volo eum retinere. Nunc ad te venio cum petitione parua illa quidem & facili, ſed quam obtineri plurimum intereſt eius, cui nos hanc operam damus. Res autem hæc eſt: Noſter Papa, is vir quem de ſermonibus noſtris cognouiſti, id eſt, pius, probus, diligens, ἀχρήματος, poſt editum à me permiſſu tuo Grammaticæ Græcæ libellum, etiam latinum emittere parat, eum quem Micyllus noſter veriſsimis à te ornatus laudibus, quondam dedit nobis aliquanto pleniorem. Hoc fieri te ſciente & conſentiente mirifice vult & laborat, & in hoc non tam ſucceſſum omnem editionis ſitum eſſe, quam exiſtimationem ſuam verti arbitratur. Confugit igitur ad me, & interceſſorem me ſibi eſſe expetit. Quapropter te mi Philippe vehementer etiam atq; etiam rogo, primum vt in hac re Papæ deſiderio obſequaris, deinde & mihi gratificeris, qui illi optime cupio, vel ſi tu aliter cenſeas, de hoc etiam me reddas certiorem. Vale mi ſuauiſsime Philippe. Noſtra familia peramanter te & tuos omnes ſalutat. Te vero officioſiſs.

G. Comes noſter. Iterum vale.

XVII. Calendas Nouemb.

PHI-

PHILIPPVS MELANCHTHON IOACHIMO CAMERARIO PABEPERG. V. opt. amico ſuo ſummo, S. D.

SVNT quidem ſcholaſtici magiſtratus opinione multorum neq; dignitate præſtantes, & laborum atque periculorum ſingularium expertes: Vtq; doctorum ſapientia χολὴν οὐκ ἔχειν perhibetur: ita horum inter ipſos adminiſtratio lenis & placida & tuta eſſe creditur. Tu tamen profecto & ſenſiſti nunc etiam quanta moleſtia ſit ἐν τῷ ἄρχειν, & ſemeſtre tuum finitum eſſe valde lætaris. Atq; eſſent fortaſſe in noſtris πολιτεύμασιν facilia omnia, ſi non ſcholaſticus ordo iniquitate quadam vel hominum vel temporum grauiter laboraret. Experimur enim indies magnas & difficiles aduerſationes, cum quibus nobis eſt luctandum, impari quidem apparatu, & admodum diſsimilibus copijs. Nam quibus nos rebus inſtructi ſumus, id eſt, humanitate & literis & mediocri eruditione ac doctrina, eæ neq; firmæ ſatis ad protegendum, neq; validæ ad defendendum reperiuntur hoc tempore, quo animi hominum diuitiarum & poten-

tiæ ſplendore capti, fauoris & exiſtimationis quaſi viribus deſtitutas illas imbecilles & εὐνικήτους relinquunt. Nam quod ſit aduerſariorum robur, quæ & quam denſa agmina, quæ virorum armorumq́ instructio, nihil eſt neceſſe perſcribi, præſertim ad te quem certius omnia quam velles, non audiendo, ſed experiundo comperiſſe ſcio. Atq́ vtinam eſſet inter eos modo concordia & animorum voluntatumq́ conſenſio, quorum vnus ordo eſt, καὶ μία τὶς οἷον συμμορία, neque in profeſsione pulcerrima optimarum literarum & artium vſurparentur alieniſsima ſtudia pertinaciæ & maleuolentiæ: ita enim melius vel cedendo vel dimicando, ſi opus eſſet, ſalutem poſſemus tueri, nam dignitatem quod ſperemus nihil eſt, quam prorſus amiſimus. Dicit noſter ciuis Demoſtenes locupletem eſſe Rempub. eam, quę ſocietate & fide & beneuolentia augeatur, quib. noſtræ fere communitates nequaquam abundant. Sed hæc de quodam ſenſu miſeriæ noſtræ copioſius diſputaui quam debui. Et cogitandum nobis eſt, cum noſtra delicta, tam prioris quam quotidianæ vitæ mereri animaduerſionem quandam in nos, tum certo quodam conſilio conniuere interdum Deum ad hominum audaciam & ſcelera, vt quemadmodum dicit idem, cuius

paulo

paulo ante memini, Demoſthenes, ſibi in conſideratione ſummæ clementiæ Athenienſium ſæpe ſubijſſe, φοβεῖσθαι μήτι δαιμόνιον τὰ πράγματα ἐλαύνῃ: Ita nos certo ſtatuamus hæc mala, quorum partim dolore, partim metu exercemur, non exiſtere fortuito, ſed certis de cauſsis à Deo immitti generi humano, & permitti vt Diabolus autor calamitatum, ſæuiat aliquando in terris immanius. Ac cum nos cupiamus eſſe in eorum numero, qui Chriſti primum ipſius, deinde Apoſtolorum præconio conuocati fuere, & nunc etiam verbis illorum conuocantur, qui eſt cœtus Chriſtianus & Eccleſia Dei, non querelis & nos & alios defatigare, ſed hoc agere & perficere debemus, vt veritatem colamus, & fidem DEO præſtemus, & freti miſericordia illius conſiſtamus quiſque ſuo loco, non ſolum fortiter, tanquam in acie pugnaturi, ſi neceſſe ſit, ſed perpeſſuri etiam quæcunque oblata fuerint, ſcientes Deum, qui propter filium nos beneuolentia ſua complexus fuit, non poſſe à nobis eſſe alienum. Et hunc conſeruaturum Chriſto ſuo proprium cœtum, in quo ipſius caritas & merita, ac beneficia inæſtimabilia perpetuo prædicentur, & laudetur ipſe Pater Domini & liberatoris noſtri IESV CHRISTI, cum ſancto ſpiritu. Hic neque durare neque con-

constitui sine scholasticis conuentibus, & bonarum artium cultura potest: Quapropter idem Deus noster etiam harum curam geret, & perficiet, vt aliquas sedes habeant, in quibus exerceri atque tractari posſint. Nam si quid est vicij in re, vel si qui docti aut à cognitione & honore Dei sese auertunt, aut ad veritatem oppugnandam conuertunt, de ijs iudicium relinquamus τῷ μόνῳ ἀληθεῖ κριτῇ, quem neque fraus vllius fallere, neque improbitas effugere poterit, nostrum vero quisque veluti in acie ac castris suum locum teneat, & exequatur munus suum. Omnes autem spe certa nos sustentemus amoris DEI erga nos, propter Christum qui venit in hunc mundum, vt deformes peccatis, & sceleribus pollutos, & flagitijs inquinatos ablueret & mundaret. In huius igitur fide, illa quam dixi, spe nos consolemur, & precibus incumbamus inuocantes opem DEI nostri, in his communibus tantis miserijs & ærumnis proprijs nostris. Nequaquam autem existimemus in studiorum nostrorum etiam exordijs & primis elementis versari, aut DEO minus gratum aut nobis inhonestum esse. Immo hæc ipsa fundamenta fideliter & accurate collocemus, super quibus aliquando ædificia præclara doctrinæ extruantur, vt puer possit per-

ſit perdiſcere ea, quibus μετ' ὀλίγον ἀνὴρ γενόμενος vtatur, neu requirat tum, vt multis accidit: quaſi ἐφόδιον doctrinæ, cum in medio iam itinere verſabitur. Itaq; neq; me piguit puerilia ſtudia etiam Grammaticis præceptiunculis inſtruere, neque illius operæ pudet.

Tibi quidem ago gratias cum meos libellos edi curas, & dexteritatem Calcographi veſtri tua induſtria adiuuas. Neque admodum laboro vtrum iudicio vero, an beneuolentia tantum mihi tribuas, neq; facile dixero, vtrum maiorem mihi voluptatem allaturum eſſe videatur. Legi etiam nuper epiſtolam tuam, quam libello noſtro Grammatices Græcæ præponi voluiſti, ſcriptam perbelle. atq; mihi valde placuit voluntatis tuæ conſtantia erga hanc partem, quæ contemnitur & parui fit à plurimis. Nunc quidem quod petis, vt obſequar deſiderio Papæ, & tibi gratificer, in eo & libenter & cupide morem tibi geram, immo permitto veſtro arbitrio totam editionem libelli mei, de quo quicquid egeritis, id recipio me ratum firmumq; habiturum, vel etiam, vt ἁπλούστερον dicam, magnopere & per omnia probaturum eſſe. Ac me cum hoc ſtudio veſtro ornari conſtet, quod tam ſolicite peteres veniam editionis nihil erat. Quis enim eſt,

qui ſo-

qui ſoleat refragari honori ſuo ἔνεστι γὰρ δὴ κἀν θεῶν γένει τόδε, τιμώμενοι χαίρουσι ſecundum σκυθικὸν φιλόσοφον. Sed de his ſatis. Scripſi autem & Papæ, vt cumulate ſatisfacerem voluntati veſtræ. Etiam dubitabam, an peruenturæ eſſent iſtuc literæ meæ ante diſceſſionem tuam, etſi eram in ea opinione, te omnino Ballorhodum expectaturum, neq; ſine illo vel duce vel comite iter iſtud ingreſſurum eſſe, ad quod quidem quod attinet, cupio te feliciter illo confecto quam primum redire ad tuos, καὶ πρὸς τὴν σχολαστικὴν παλαίστραν, cuius humilitate & puluere ſcio, neque præſtantiam neq; ſplendorem vllum eſſe potiorem animo tuo. Deus pater Domini noſtri IESV CHRISTI te cuſtodiat. Vale. Tuam familiam vniuerſam amanter ſaluto. Comes noſter in animo habeat ſententiam Ariſtotelicam, ὅτι ὁ διαφέρων ἐξόχως ἀρετῇ τῶν ἄλλων ἐστὶν ὥσπερ θεὸς ἐν ἀνθρώποις, quo magis amet diſciplinam, & gratias agat Deo, cum copiam ipſi fecit euadendi, εἰς ζῶον θειότατον, τυχὸν παιδείας ὀρθῆς, vt ait Plato. Iterum vale. XV. Calend. Nouemb. id eſt, altero die poſtquam tuas acceperam.

IOACHI-

IOACHIMVS CAMERARIVS LECTORI.

HVNC libellum primum compoſitum à Philippo Melanchthone, deinde multis in locis, auctum & quaſi reconcinnatum à Iacobo Mycillo, optimum viſum fuit etiam apud nos proponi inter eos, de quibus ordinaria doctrina explicaretur: Quod non modo Grammaticę hic artis neceſſaria præcepta complecteretur, ſed ea ipſa accurate & modice in illo deſcripta eſſent. Indicatio quædam adhuc deeſſe videbatur cum eorum locorum, quæ de autoribus linguæ Latinæ exemplorum cauſſa, adducta eſſent, tum aliorum quorundam, qui nonnulla tractauiſſent verboſius, non modo hic iam vt diſcipulis, ſed magiſtris etiam vtilis eſſe poſſet, quibus ea quæ alijs tradenda ſunt, notiora ſcilicet eſſe oportet. In quam rem duo nuper adoleſcentes docti & perquam ſtudioſi, Magiſtri bonarum artium, Philippus Bechius, & Iohannes Baptiſta Schengius, qui in noſtra Academia Grammaticam Latinam publice profiterentur, eam operam dederunt, quæ à me prædicari, aut commendari non debet, præſertim expoſita ad cognoſcendum omnibus, vt quemadmodum

modum dici solet : αὐτὸ τὸ ἔργον, artificem demonstraturum sit. Etsi autem Schengius infinita quadam diligentia nonnulla nimis subtiliter scrutatus esse videri poterat,& ea interdum annotasse, quæ essent in medio : Tamen in his paucis, quorundam etiam vel occupationibus seruire, vel laborem minuere, vel etiam (dicendum enim est) inertiæ subuenire voluit. Cætera erunt eiusmodi, vt omnibus eruditis & bonis probari necesse sit. Nam & omnia nos recognouimus, & in quibusdam etiam adhibuimus nostram censuram, qui certe si quid in ista parte nobis iudicij & scientiæ vendicamus, id non iniuria facimus, cum in his studijs omnem fere priorem ætatem consumserimus, & eadem iam ingrauescente, ad hæc initia doctrinæ sæpissime respiciamus.

Deesse adhuc videbatur doctrina Orthographiæ. Hanc igitur & ipsam adiungendam duximus, breuiter re indicata potius quam explicata: Ita tamen, vt quod ad orationem emendate & recte scribendi pertineat, id à me ὡς ἐν τύπῳ & generaliter demonstratum vniuersum esse confidam. Cum autem Typographus noster Valentinus Papa hanc recentem editionem adornandam & exprimendam in officina sua recepisset, hunc laborem nostrorũ & meam quoq; industrio-

dustriolam, concesso in hoc genere Priuilegio nobis munire volui, ne statim huius difficiles conatus, alij facile arripientes, sibi vsurparent.

Idq; etiam permittente autore fecimus. Erit igitur iam deinceps hic libellus omnibus, vt dici solet, numeris absolutus, & is, cui neq; deesse aliquid magnopere annotatione dignum, neque accedere amplius posse videatur. Vt nunc consistere hoc fine perfectionis suæ debeat, ne perpetua mutatione renouetur, & sit quasi πίλοις περὶ πύλοιο, πύλος γε μὲν αὖθι καὶ ἄλλος. Sed de his satis.

Nostris confido à plurimis, qui hoc libello vti voluerint, gratiam habitum iri, & meo etiam simul studio ac curæ. Christum σωτῆρα oro, vt pietatis & bonarum artium cœtus inter hos mundi varios furores, benigne tueri velit, ad veritatis æternæ illustrationem & gloriam sanctissimi nominis sui, & Ecclesiæ suæ incrementa.

Lipsiæ Id. April. Anno
Christi Iesu,
M. D. LII.

IDEM

IDEM.

QVIA arbitrabar præ alijs, hunc libellum recte & vtiliter discentibus Latinas literas proponi posse, ideo & autor ac adiutor fui, adornationis & elaborationis huius, & hanc editionem vt nostram, concesso nobis Cæsareo Priuilegio defensam ac tutam esse volumus, ne quis sua sponte contra voluntatem nostram denuo exprimere, & hanc operam peculiarem nostrorum ac nostram, pro suo arbitrio vsurpare ausit, contra facientibus multa proposita, quæ in diplomate indicatur. Hoc monendum omnes duximus, ne quis forte detrimentum sibi hac in parte accerseret.

PHILIP.

PHILIPPVS MELANCH. HONESTO V. VAlentino Papæ Calcographo Lipſenſi.

S. D.

SIgnificauit mihi Ioachimus Camerarius, cui tuam diligentiæ & induſtriæ operam, valde probari intellexi: te cupere hoc tempore emittere in officina tua elaboratum libellum Grammaticæ Latinæ meum, ita quidem ſi hoc mihi non contrarium futurum ſit. Ego vero, etſi pro ea amicitia, quæ mihi cum Ioachimo tot annis intercedit, quicquid de illius conſilio feciſſes, fueram comprobaturus, tua tamen moderatione ſum delectatus: Neq; tibi ſolum libenter permitto, vt hunc libellum meum edas, ſed cum alios meos iam tuis typis expreſſiſti, ago tibi gratias: atq; ſi potero adiuuare conatus tuos, non patiar requiri ſtudium meum. Quinetiam procemium non recuſauiſſem ſcribere, ſi paululum modo ocij ſuppeditauiſſet. Nam ego hoc tempore grauibus & moleſtis negocijs ſum occupatiſsimus. Velim à Ioachimo aliquid ſcribi. Sed de his vos ſtatuetis, quicquid autem feceritis, hoc me non ſolum probaturum, ſed gratum etiam & acceptum habiturum eſſe polliceor. Vale xv. Cal. Nouemb.

HONESTO VIRO CHRISTIANO EGENOLPHO,
Typographo Francofordiensi.

PHILIP. MELANCH.
S. D.

CVM viderem versari passim in manibus puerorum, libellum à me quondam ad vsum Ebneri adolescentis, de Grammaticæ elementis, collectum, sæpe optaui, vt eruditus aliquis ac prudens censor eum emendaret, & quædam adijceret à me non recte prætermissa, aut certe vt ederet Grammaticen aptiorem & vtiliorem pueris. Quanquã enim extant Grammatici libri multorum, tamen plerique propter prolixitatem negliguntur. Valde autem probo Micylli eruditionem ac iudicium, & video eum ea virtute præditum esse, vt scholasticas operas nõ fastidiat. Quare cum eum propter ingenij elegantiam & multiplicem eruditionem ac mores optimos, amem & suspiciã, profecto ob hanc caussam pluris etiam facio, quod non grauatim confert operam ad iuuanda puerilia studia, cũ alia posset scribere, paritura ei plus admirationis apud exteros. Eaque in re & iudicium ipsius & voluntatem sentio laudandam esse. Videt quid conducat publicis studijs, & est iusticia nostri ordinis, hanc militiam non defugere, ac iuuare discentes.

Cum

Cum igitur hanc Micylli voluntatem noſſem, & ſcirem ſingularem eius in iudicando prudentiam eſſe, oraui eum, vt emendaret hunc Grammaticũ libellum, qui meo titulo circumfertur. Etiamſi mihi plus ocij eſſet, tamen anteferrem Micylli cenſuram meæ. Sciunt aũt multi, quæ mihi, non dicam occupationes, ſed plane ærumnæ, ſcholaſtica negocia, quæ & amo & facio plurimi, ſæpe de manib. excutiant. Gaudeo igitur mi Egenolphe Micyllũ hanc emendationem inſtituiſſe, ac adoleſcentes adhortor, vt & Micyllo & tibi agant gratias. In mea prima editione quædam deſiderabantur. Quanquam autem adijci illa prodeſt, tamen modus adhibendus eſt in locupletandis præceptis, ne deterreantur adoleſcentes prolixitate. Sed hanc totam rem, cum prudentiæ tum fidei Micylli committo, qui quidem hũc laborem & Deo gratum eſſe exiſtimet. Quantũ enim refert Eccleſiæ Chriſti, recte inſtitui pueros in Grammaticis? Cum doctrinæ cœleſtis puritas conſeruari ſine literis non poſsit, cum multæ controuerſiæ maximarum rerum ex phraſi iudicandæ ſint, cum ad explicationem opus ſit habere in promtu ac numerato proprij ſermonis copiam. Quid erit in Eccleſia Doctor ſine Grammatica aliud, niſi aut κῶφον πρόσωπον, aut impudentiſsimus rabula?

 bula?

bula? Ac ne amare quidem ſacras literas poſſunt, qui genus ſermonis non intelligũt. Veriſsimum enim illud eſt, quod dicitur, Ignoti nulla cupido. Qualis autem ille erit in Eccleſia Doctor, qui nec amat, nec intelligit, nec enarrare doctrinam cœleſtem poteſt? Satis graues pœnas olim dedit orbis contemtæ Grammatices, cum Monachi non germanas ſententias, ſed adulterinas ſcholis & populo proponebant. Et tamẽ magna tunc frequentia fuit diſcentiũ, & aliqua ſtudia fuiſſe conſtat, ſed deprauata: Quid eſſet recte loqui, pauci videbant, multo pauciores iudicare phraſin poterant. Nunc in tanta diſcentium paucitate, quales tenebræ futuræ ſunt, ſi illijpſi, qui doctrinæ cuſtodes eſſe debebunt, non recte fuerint inſtituti? Quare Principes inter cæteras curas publicas complecti etiam ſtudiorum conſeruationem debebant. Sed quam paucos hæc cura tangat, res loquitur ipſa: Ideo opto, vt ciuitates hoc tantum ornamentum Eccleſiæ & totius vitæ tueri & conſeruare conentur. Si agnoſcant hi, qui præſunt ciuitatibus, ſe in reſtitutione religionis, ac depulſione horribilium errorũ & εἰδωλομανίας, adiutos eſſe literis & eruditione: viciſsim meminerint ſe hanc gratiam eis debere, vt eas ab interitu vindicent. Cogitent quæſo, qualis barba-

ries ciuitatum futura sit, si velut in Scythia nemo literas sciret, si deerunt, qui de religione erudite alios doceant, qui errantibus ciuib. consilium dare queant. Non nego magna ornamenta esse ciuitatum, quæ fere sola nunc expetũtur, opes, fundos, arces, frumentum, arma: sed profecto, hæc neq; sola, neq; præcipua bona sunt. Coierunt cœtus, & iure consociati cinxerunt se mœnibus, quã ob caussam? Hæc vera & præcipua caussa est, propter quã ad societatem homines conditi sunt, vt alij alios de Dei voluntate & cęteris reb. bonis doceãt. Pręclare igitur Stigelius:

Post vbi senserunt se semina ducere cælo,
Atq; aliquem, mundum qui regat, esse Deum.
Tunc primum amplexi iuncti consortia cœtus,
Tegmina vicinis composuere casis.
Vtq; alios alij de relligione docerent,
Contiguas pietas iussit habere domos.
Hinc vrbes structæ, quarum est ante omnia munus,
Asseruisse Deo, quam iubet esse, fidem.

Luceat ergo in ciuitatibus vera Dei noticia, celebretur gloria Dei, gaudeãt politiæ, se esse domicilia ecclesiæ. Sed vt hoc verum decus tueantur, omnino opus est scholis & literis, quas qui negligunt in ciuitatibus, non politici viri, etiamsi sunt industrij, sed Cyclopes strenui ducendi sunt, quorum est immanis ista oratio apud Poëtam: Sed non

Cyclopes numen cœleste vereantur. Verum quo delabor? Omnes igitur pij & amantes Dei, ardentibus votis orent Deum, ne extingui ſtudia literarum ſinat. Deinde ſuo quiſque loco iuuet diſcentes. Ipſa etiam adoleſcentia meminerit, ſe præcipuam eſſe partem Eccleſiæ, vt Chriſtus inquit: Sinite paruulos venire ad me, ac cogitet ſuas operas in diſcendo pertinere ad communem omnium ſalutem, & ad gloriam Dei. Nam reliqua ætatis ſtudia imitantur hoc tyrocinium. Qui non recte Grammaticen didicerunt, poſtea cæteras diſciplinas audaciſsime corrumpunt. Apparet enim & hic vere, principium dimidium totius eſſe. Vt in tenebris colores diſcerni nequaquã poſſunt, ita ſine Grammatica iudicari de ſermone in cæteris artib. nullo modo poteſt. Quam multa poſſent turpia errata, quæ magnam ruinam in eccleſia & gubernatione vitæ traxerunt, tantum ex inſcitia Grammatices orta, recenſeri? Quare exuſcitanda eſt adoleſcentia, vt propter publicam neceſsitatem literas & amet ardentius, & diſcat impetu & cura maiore. Quod ſi facient, ſciant ſe eſſe plantulas, vt ait Eſaias, ſatas ad glorificandum Deum, & expectent à Deo ingentia laboris ac ſedulitatis ſuæ pręmia. Bene vale mi Chriſtiane, & Chriſto ſtrenue ſeruito in iuuanda re literaria. Vuitebergæ, An. M. D. XL.

GRAMMATICAE DEFINITIO.

GRAMMATICA EST CERTA LOquendi & scribendi ratio. *Docet enim Grammatica, non solum qua ratione ac lege verba inter se iuncta sententiam absoluant, aut quo discrimine casuum vel inclinationis sigillatim alia ab aliis differant: verumetiam quibus quæq; literis scripta, id cuius significandi gratia adhibentur, exprimant atq; exponant. Estq; hoc inprimis cauendum pueris, ne facile assuescant scribendi rationem negligere, aut literas alias pro aliis temere vsurpare. Nam perinde vt intelligi non possunt, quæ sine certa ratione ac lege, verbis quomodocunq; confusis efferuntur: ita neq; singularum partium significationem certam aliquam apprehendere licebit, si non eædem illæ suis ac propriis literis notentur. Vt enim, si dicas, Petrus percussit Fabius, aut Mulier hæc facetus est, nihil certi sonat: Ita si promiscue scribas, Pario & Pareo, Fallo & Vallo, confundentur legentium animi, neq; vllam certam rei noticiam assequentur. Quare ne quid tale vsu veniret, inuenta est Grammatica, quæ traderet certum artificium tam scribendi quam loquendi. Estq; eadem hæc ars, cæterarum omnium veluti fons & origo quædam, cuius fundamenta, quemadmodum Fabius* [lib. 1. cap. 4.] *inquit, nisi quis fideliter iecerit, quicquid superstruxeris, corruet.*

Nomen γραμματικὴ Germanis significat *ein schreibkunst*. Habet enim appellationem à primis artis initijs, videlicet à literis. *Fabius* * *Latine Literaturam vertit. Vnde & literatores à quibusdam [Sueton. de clar. Gram.] vocatos videmus eos, qui in re Grammatica, hoc est, in literis versarentur.*

* Lib. 2. cap. 1. & capit. 15.

Nos ipsam nunc volumus significare substantiam, vt Grammatica literatura est, non literatrix, quemadmodum oratrix, nec literatoria, quemadmodum oratoria. Cic. in 3. de fin. artium nomina Græca: quoniam vsu recepta sunt, non mutanda docet.

PARTES GRAMMATICAE.

PARTES Grammaticæ quatuor sunt, Orthographia, Prosodia, Etymologia, & Syntaxis. *Ex quibus priores tres ad singulas dictiones pertinent, postrema autem ad compositionem multarum.*

Orthographia est, quæ docet recte scribere, *vt Fallo per F, quando idem quod decipio significat: Vallo per V, quando idem quod circundo ac munio. Item pareo per E, quando idem quod obœdio siue obtempero, notat: Pario autem per I, quando idem quod gigno siue procreo.*

Dicitur hæc ab ὀρθῶς, *quod recte Græcis sonat, &* γράφω, *quod idem quod scribo.*

Prosodia est, quę docet accentus, hoc est, qua

qua voculatione ſeu tono, dictio quæque pronuncianda ſit, *vt libêre, cum verbum eſt, media circumflexa: Libere aduerbium, prima acuta, &c.*

Nomen προσῳδία * *Latinis accentum ſignificat, à* πρὸς *&* ᾠδὴ, *quorum hoc cantum, illud idem quod ad ſignificat.*

* Gellius lib. 13. cap. 6. quas Greci προσῳδίας dicunt, eas veteres docti tum notas vocum, tum moderamenta, tum accentiunculas, tum voculationes appellabant.

Etymologia eſt, quæ diſcrimina caſuum in dictionibus tradit, hoc eſt, quæ caſus & inclinationes dictionum à ſe mutuo diſcernit, & quo pacto aliæ ab alijs differant, oſtendit, *vt Dominus, à Domino: Amor, ab Amo, caſu & inclinatione differunt. Fortiter à fortis: Sapienter à ſapiens, etiam partium differentia.*

Ετυμολογίαν *Cicero* † *Latine vertit veriloquiũ, eo quod dictionum proprietatem tradat. Quanquam enim eadem ſignificent, Bonus et Boni: Aequus & æqui, &c. alia tamen eſt in alio caſu proprietas.*

† In Topicis quam Græci Ετυμολογίαν vocant, id eſt, verbum ex verbo, veriloquium, nos autem nouitatem verbi non ſatis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia ſunt verba rerum notæ.

Eſt autem ἔτυμον *idem quod verum, rectum, ſiue certum, ab* ἐτεὸν *quod ab* εἰμὶ *deducunt Grammatici, &* λόγος, *idem quod ſermo.*

Syntaxis, eſt ratio coniungendarum vocum, ſeu faciendæ orationis, hoc eſt, quæ do-

cet quibus generibus, personis, numeris aut casibus, quæque vox cum alia composita sententiam absoluat. *Neq; enim eodem modo dicimus, Careo tibi, vt do tibi, aut eodem: Quies bonus, vt dies bonus. Sed est sua cuiusq; compositionis ratio, suus ac certus omnium vsus.*

Dicta est autem σύνταξις à συντάσσω, quod verbum idem quod ordino, atq; compono significat.

*Atq; hæc communis partitio artis est, qua proprium atq; potissimum Grammaticæ officium, hoc est, tota loquendi scribendiq; ratio continetur, quam vno eodemq; generali nomine, Methodicen * veteres appellarunt.*

[illegible] compendiosa

* Hæc enim præcepta demonstrat, & infantiam erudit. Diomedi ὁριστική, aliis θεωρητική.

Subijcit autem Grammaticæ Fabius [*lib. 1. cap. 4. & 14.*] & Poëtarum enarrationem quam Græco nomine ἱστορικὴν vocat. † *Sed hæc maioris operæ est, quam vt intra Grammaticæ fines contineatur, adeoq; late patet, vt non vnius alicuius artis, sed omnium prope disciplinarum cognitionem requirat. Proinde ad docentis professionem & officium potius quam ad artis ipsius subiectum pertinere eadem videtur, nec magis Grammaticæ pars censenda, quam vel Medicinæ*

† Diomed. ἐξηγητικὴν alii πρακτικήν. De hac Cic. in 1. de Orat. in Grammaticis Poëtarum pertractatio historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam sonus.

dicinæ scientia Physices, aut legum peritia eius, quæ est de moribus appellata.

DE LITERIS.

Vt igitur ad Orthographiam redeamus, continet hæc literarum rationem. Pertinet enim ad recte scribendum, differentiam, cognationem, omnemque vim literarum tenere.

Literæ tres & viginti vulgo numerantur: A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Litera est minima pars vocis compositæ, quæ scribi potest indiuidua, Prisc. lib. 1.

In his Græcæ sunt K Y & Z, quarum posterioribus duabus non alibi quam in Græcis dictionibus vtimur.

*K autem, qua olim Kalendas, * & propriorum quorundam nominum principia notabant, hodie nullo in vsu est, tantumq; in numero cæterarum, vt Fabius* [lib. 1. cap. 5.] *inquit, manet.*

* Vide Valerium Probum de literis antiquis.

H aspirationis nota magis est quam litera, ideoque neque inter vocales, neque semiuocales, neque mutas recensetur.

Dictæ autem sunt literæ, siue quod legendo iterentur, quasi legiteræ: siue etiam à lituris, vt Priscianus ait, [lib. 1. de litera,] *eo quod in tabulis ceratis*

*ceratis antiqui ſcribere ſolebant, poſteaq; delere. Eædem alio nomine etiam Elementa vocantur, * quaſi prima orationis principia, quoniam inter ſe iunctæ literæ, perinde vt mundi elementa corpus, ita hæ vocem ſiue dictionem efficiunt.*

* Litera tamen elementi figura, elementum literæ vis & poteſtas proprie eſt.

Diuiduntur autem literæ in Vocales & Conſonantes.

Vocales ſunt: A E I O V † & Y Græca. *Sic dictæ, quod per ſe ſonent, ac vocem edant.*

† Ex his A & O ſemper principes ſunt: I & V ſemper ſubditæ: E & ſubit & præit, Gellius libro 19. capite 14.

Ex his diphthongi conflantur.	*AE*	vt	*Cæſar.*
	OE		*Cœna.*
	AV		*Auſter.*
	EV		*Eurus.*

*Et antiqua EI, vt: Parteis, omneis. Cuius vſus eſt in accuſatiuis tertiæ declinationis Nominum, quæ in duas conſonantes exeunt, aut genitiuum ſingularem nominatiuo ſimilem faciunt, vt ſunt: Ars, Pars, Mens, Omnis, Pinguis, Dulcis & ſimilia. Quanquam eadem antiqui etiam in alijs quibuſdam * ſæpe vſi fuerint, quæ tamen ſcribendi conſuetudo noſtris temporibus prorſus exoleuit.*

* Vt in heic, queis & in his: puerei, mendacei, furei. Fab. lib. 1. cap. 12.

Eſt autem Δίφθογγος, geminus ſonus vni-

us ſyl-

us syllabæ, vt apparet in *AV & EV. Nam AE & OE, veteres aliter atq; nunc solemus, pronunciabant.*

Consonantes sunt reliquæ literæ præter vocales omnes, vt: B C D F G H K L M N P Q R S T X & Z. *Quæ, quod per se solæ syllabam non faciant, sed vocalibus consonent, hoc nomine appellatæ sunt.*

Diuiduntur autem & hæ bifariam, in Mutas & Semiuocales.

Mutas vocant, non quia prorsus in dictione obmutescant, sed quod sonũ aliquanto obtusiorem quam semiuocales reddant. *Ideoq; & in fine dictionum minus crebro quam illæ, plæræq; etiam nunquam positæ reperiuntur.*

Sunt autem: B C D F G K P Q & T, *quæ postrema sequente* I, *cum vocali altera in Latinis dictionib. fere cum sibilo effertur, vt in nominibus, Gratia, Oratio, Antium, Latium, & similibus.*

C *autem* K & Q* *quanquam apud veteres Latinos eiusdem potestatis fuerint, eodemq; modo proferantur, hodie tamen, corrupta videlicet vera pronunciandi consuetudine,* C *quidem, sequente* E *vel* I, *eodem fere sono, quo* Z *effertur, vt in dictionibus Cera, Cinis, &c.*

* K & Q, quamuis figura & nomine videantur aliquam habere differentiam, cum C tamen eandem tam in sono vocum, quam in metro continent potestatem. Priscianus libro primo.

Q autem à Consonante V, cum qua sola scribitur, potestatem mutuatur, mistumq; quiddam ex K & V reddit, vt in Equus, Obliquus, & similibus, in quibus apud antiquiores V prius quiescere solebat.

*P quoq; cum aspirationem assumit, aliter hodie, quam apud veteres consueuit, pronunciari videtur. Ridet enim alicubi * Cicero testem Græcum qui primam literam Fundanij, pro quo testimonium dicebat, proferre non posset, videlicet, quum pro Fundanio † Phundanium, Græca pronunciatione citaret. Hanc literam Germani per Pf fere reddunt, loco aspirationis F assumta, quemadmodum ex voce φεῦ quam nostri Pfeu, dicunt & similibus quibusdam alijs animaduertere licet. Fuerunt enim veteres Germani, quod ad pronunciationem & linguam attinet, in plerisque, Græcis quam Latinis similiores.*

* In oratione pro Fundanio, Fab. lib. 1. cap. 5.

† Inter F autem & Ph, hoc solum interest, quod non tam fixis labris est pronuncianda F, quomodo P, & H. Priscianus.

Semiuocales dicuntur, quæ ad vocales propius accedunt, sonumq; aliquanto clariorem reddunt. Hæ sunt: L M N R S X & Z.

Ex quibus priores quatuor etiam liquidæ appellantur, eo quod vocales, quibus iunguntur, interdum liquescere faciant, *hoc est, syllabam communem efficiant, * vt in Tenebræ, Latebræ & si-*

* Vt: Et primo similis volu -⏑⏑

milibus

milibus, quarum mediæ alibi producuntur, alibi corripiuntur.

cri, mox vera volucris --. Ouid. 15. Metam.

X autem & Z, duplices vocantur, eo quod duarum consonantium vim habent. *Soluitur enim X in CS vel GS,* † *id quod ex obliquis nominum in X apparet, vt Dux ducis, Rex regis, &c. In altero X, in C & S, in altero, eadem in G & S resoluta.*

† Atque sic veteres scripserũt ducs pro dux, & gregs pro grex, id quod genitiui indicant.

Z apud Græcos, vnde etiam sumta est, per SD redditur, vt cum συρίσδειν pro συρίζειν dicunt. Apud Latinos autem in duplex SS fere commutatur, vt cum Patrisso, ex πατρίζω facimus. Atticisso, ex ἀττικίζω, & id genus alia. Vetustissimi autem etiam Medentius pro Mezentius, & similia scribebant, Græcorum in hoc consuetudinem sequentes. Sed hæc posteriorum Latinorum vsus repudiauit.

Cæterum transeunt & ex vocalibus quædam in consonantes aliquando, videlicet I & V, de qua etiam paulo supra meminimus. I quando in Latinis dictionibus, à principio ponitur, [Gell. lib. 19. cap. 14.] *sequente vocali, vt: Iuno, Iuuo, Iuppiter.* * *Aut in medio inter duas vocales, vt: Peior, Maior.*

* Et tunc fit duplex. Hinc antiqui geminabant i, & peiior, maiior scribebant. Et ipsi Ciceroni placuit, aiio geminata ii scribere. Fab. li. 1. c. 5.

V vero, quando pro ea litera sumitur, quæ græcis digamma Aeolicum † *dicitur,*

† F, enim habet

citur, Germanice autem per Vu geminum scribitur, vt: Vinum, Veritas, Vallum, Germanice Wein, Warheit, Wal, &c. Cuiusmodi tamen voces vulgo hodie per F, enunciantur, vsu, vt in plærisque aliis, pro ratione valente.

figuram gemini Γ: atque eo pro aspiratione vsi sunt Aeolenses, pro Ελένη Fελένη dicentes & Δάος ΔάFος.

Quod eo potissimum hic admoneo, quod sciam huius rei obseruationem & curam, Magistros puerorum vulgo negligere atq; contemnere, communi videlicet loquentium consuetudine contentos. Tametsi autem vsu aliter multa hodie pronuncientur, quam ratio & linguæ proprietas postulat, plurimum tamen refert, hæc & similia à principio diligenter ac recte percepisse.

Porro habent & cognationem inter se quandam literæ, qua aliæ in alias subinde commutantur, vt: *Quis, cuius: Rex, regis: Pax, Pacis: Dico, Dixi: Cingo, Cinxi: Coquo, Coxi: Loquor, Locutus sum: Amplector, Amplexus sum.* Et in compositione, *Aptus, Ineptus: Amicus, Inimicus: Quæro, Inquiro: Plaudo, Complodo: Item ex In & Probus, Improbus. Ex Con & Rapio, Corripio. Ex Ob & Curro, Occurro, & id genus alia. Quæ commutatio quia circa declinationes & compositiones verborum potissimum vsu venire solet, & tam ad Etymologiam, quam ad Orthographiam pertinet, de ea suo loco infra pluribus agemus. Atq; hactenus de literis præcepisse sufficiat.*

sufficiat. Cætera docebit vsus artium magister.

DE SYLLABIS.

Proxima Grammaticæ pars Prosodia est, hæc ad syllabas proprie pertinet. Perinde vt superior ad literas. Fiunt autem ex literis syllabæ, quemadmodum rursus ex syllabis dictiones, & ex his deinceps orationes.

Syllaba est comprehensio literarum, quæ vno eodemq; spiritu ac tono efferuntur, vt: *Pes, Crus, Frons, Stirps, &c. Dicta à Græco verbo* συλλαβεῖν, *quod comprehendere significat. Nam vnica vocalis, cum syllabam facit,* καταχρηστικῶς *hoc nomine appellatur, vt placet Grammaticis.** *Prisc. lib. 2. in princ.

Hoc loco monendi pueri sunt, quæ consonantes, cum quibus recte connectantur, aut syllabam faciant. *Sæpe enim videmus etiam adultiores in hac re peccare, dum vel disiungunt, quæ natura cohærent: vel rursum connectunt, quæ seorsim sumi debebant.*

I. Recte autem coniunguntur in eadem syllaba consonantes, quæcunque à principio dictionis simul sumi possunt, videlicet, Mutæ cum liquidis, vt: *Flauus, Gnauus, Prauus, Tmarus, &c.*

Item S *cum mutis* C P *&* T, *vt Scutum, Sputum, Stratum, Et in Græcis etiam* B, *vt* σβέννυμι, σβεστὸς, *&c.* Græci vero etiam duas Semiuo-

 cales

cales connectunt, sed diuersas tamen, vt *Mnestheus, Mnemon, Smyrna, Smaragdus.* Et, duas mutas diuersas, *vt Ctesipho, Pterelas, Bdellium, &c.* Ad quod exemplum Priscianus, [*lib. 1. de ordine literarum.*] *& medias in Omnis, Amnis, aptus, actus, & similibus simplicibus connectit.* Nam quæ composita sunt, in ijs consonantes suæ quæq; parti tribuuntur, *vt in Obruo, Abrado, Ablatus, &c.*

II. Omnis consonans media inter duas vocales posita, ad posteriorem vocalem pertinet, *vt Do mi nus, Sa pi ens.*

III. Duæ consonantes geminatæ nunquam simul sumuntur, sed ad diuersas syllabas pertinent, *vt Il le, An nus.*

Sed hanc rem præceptoribus committo.

Accidunt * autem syllabæ duo potissimum, Quantitas, & Tonus siue accentus.

* Accidentia dicuntur ea, quæ solent requiri circa vnamquamque partem.

Quantitas est, qua syllaba alia longa, alia breuis, alia communiter breuis & longa censetur. Longa, *vt mos, ros, dos.* Breuis, *vt per, in, ob.* Communis, *vt primæ in Atlas, Patres, Cygnus & similibus. Hæ enim corripiuntur alibi, alibi producuntur.*

Tonus pronunciandi ratio est, qua syllaba alia efferēdo attollitur, alia deprimitur.

Huius tres sunt species: Acutus, Grauis, & Circumflexus.

Acu-

Acutus tonus eſt, quo ſyllaba pronunciando attollitur: *vt prima in Dóminus, óptimus, &c.*

Grauis eſt, quo ſyllaba grauiter, *hoc eſt*, abſq; aliqua vocis eleuatione profertur, *vt in ijſdem nominibus mediæ & vltimæ. Acciditq; hic tonus omnibus ſyllabis, quæ non acuuntur, aut circumflectuntur.*

Circumflexus autem is tonus à veterib. dictus fuit, quo ſyllaba cum mora nonnulla ac tractim efferretur. *Eſtq; hic ex Acuto & Graui compoſitus: quare & ſyllabæ, quæ ex contractione duarum in vnam coiſſent, hoc tono vt plurimũ efferebantur, vt Amârunt, pro Amauerunt, ποιῶ, pro ποιέω. Huius vſus hodie in ſcribendo magis quàm in pronunciando reſtat. Neq; enim quiſquam fere nunc ita pronunciat, vt vllum diſcrimen inter acutum & circumflexum agnoſcas. Nam ſiue ſerenus ſiue ſacerdos dicat aliquis, eandem pronunciationem, eundemq; tonum vtrobiq; audis. Cum tamen alterum nomen, mediam natura circumflexam, alterum acutam modo habeat.*

Cæterum quia abſq; ſyllabarum quantitate tonus cognoſci recte non poteſt: *Quantitas autem fuſior paulò & maioris operæ eſt, quàm vt à pueris ſtatim à principio, aut ante Etimologiæ traditionem percipi poſſit, de tota hac parte poſtremo loco infra tractabimus, vbi & de verſuum ac carminis ratione nonnihil trademus. Intem-*

pestiuum enim fuerit, atq; ineptum hoc loco, & quasi in vestibulo artis, puerum ijs rebus remorari velle, de quib. etiam inter adultos, & in arte prouectos dubitari interdum videmus. Et frustra in iudicandis tonis ac temporibus vocum laborabunt, qui origines illarum & discrimina casuum, nondum perceperunt.

DE PARTIBVS ORATIONIS.*

* Partes orationis sunt voces indicantes mentis conceptum, id est, cogitationem. Priscianus lib. 2. de Participio.

Expeditis igitur breuiter ijs, quæ ad literarum syllabarumq; rationem pertinent, ad tertiam Grammaticæ partem deinceps veniemus, quam Etymologiam *vocari diximus, eò quod partium atq; casuum discrimina in dictionibus tradat. Hæc ad dictiones proprie pertinet, quas singulas à se mutuo discernit.*

Dictionum species, seu differentiæ,* quas & partes orationis Grammatici vocant, octo numerantur, Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Aduerbium, Præpositio, Coniunctio & Interiectio. *Hæ enim inter se iunctæ atq; compositæ, omnem Orationem absoluunt. De singulis igitur, & eorum accidentibus, perinde vt vnumquodq; se habet, ordine agemus.*

* Priscianus libro 2. de oratione. Fab. lib. 1. cap. 6.

DE

DE NOMINE.

NOMEN est pars orationis, quæ rem significat, non actionem, *hoc est, quæ significat id quo res aliqua appellatur, non illud quo agere, vel pati aliquid dicitur, vt Homo, Equus, Animal.*

Nomen duplex est, Proprium & Appellatiuum.

Proprium est, quod vni soli rei conuenit, *hoc est, quod in eadem specie vni tantum attribuitur, vt Iulius, Bucephalus, Roma, Rhenus, &c.* * *Tametsi enim sæpe contingat, vt eodem nomine plures appellentur, non tamen id fit secundum communem aliquam cæterorum similium notionem ac speciem, sed secundum propriam sui cuiusq; substantiam, vt cum equum dicis, aut canem, secundum communem eius animalis notionem, quemlibet equum aut canem intelligis: At cum Bucephalum, aut Lælapem dici audis, non quemlibet, sed eum solum equum, qui Alexandri fuit,* * *eumq; solum canem, qui Cephali fuit,*

* Ita Rodolphus lib. 1. cap. 6. quanquam & Censorius Cato & Vticensis, vterque Catones dicantur, illud non fit propter communem in ipsis speciem. Propter hanc enim homines dicuntur non Catones: sed ob solam nominum similitudinem.

* Gellius libro 5. cap. 2. Plinius

Proprium nomen quadruplex est: Prenomen, Nomen, Cognomen et Agnomen.

*intelligis. *Fuerunt autem Scaurus & Palæmon, [autoribus Diomed. in 1. & Fab. lib. 1. cap. 6.] qui hoc solum* nomen *vocarent, cætera quæ propria non essent*, vocabula & appellationes *dicentes*.

libro 8. cap. 42.
* Ouid. 7. Metamorph.

Appellatiuum nomen dicitur, quod multis commune est, *hoc est, quo communiter omnes eiusdem speciei res appellantur, vt Homo, Equus, Urbs, Flumen.*

Huius aliud Substantiuum, aliud Adiectiuum.

Substantiuum est, cui non potest addi Man, Weib, Ding, *hoc est, cuius significatio per se absq; altero addito, intelligitur, vt Homo, Equus.*

Adiectiuum cui addi potest Man, Weib, Ding, *hoc est, cuius significatio absq; altero aliquo intelligi non potest, vt Albus, Niger, &c. Nihil enim certi intelligas, nisi substantiuum aliquod adijciatur, quale fuerit: Albus paries, Niger capillus. Hinc enim & nominnm ratio est. Nam ab adiacendo alterum, hoc est, quia adiacet & inhæret subiecto alicui, dictum est: Alterum à subsistendo, quod per se subsistens aliquid significet.*

Nomini accidunt: Comparatio, Genus, Numerus, Figura, Casus & Declinatio.

DE COMPARATIONE.

Com-

Comparantur nomina, quorum significatio augeri minuiue potest.

Gradus Comparationis sunt, Positiuus, Comparatiuus & Superlatiuus.

Positiuus, prima vox Adiectiui est, vt: *Bonus, Albus, Candidus.*

Comparatiuus, quo alterum alteri comparando præfertur, *hoc est, qui supra positiui significationem magis significat, vt: Doctior, magis doctus. Tenerior, magis tener. Quanquam interim & minuendi vim habet,* * *Vt cum tristior pro eo dicitur, quod est subtristis siue minus tristis. [Virg. Aen. 1. Tristior & lacrymis oculos suffusa nitenteis.]*

* Lina. libro 1. Comparatiuum in sua ipsius vi mitigata, per aliquam subauditionem sub sistere ait in his exemplis. Vide Fabium libro 9. cap. 3. Vall. lib. 1. capite 12.

Huius terminationes sunt, Masculina & Fœminina OR, * *Neutra* VS, *vt hic & hæc Doctior, & hoc Doctius.*

* Vetustissimi etiam neutrum in OR finiebant, vt: bellum Punicum posterior, Priscianus lib. 7. Nobis autem non imitandum.

Superlatiuus est, quo vnum aliquid multis aut etiam omnibus sui generis præfertur, * *hoc est, qui supra Positiui significationem valde, siuè maxime significat, vt: Doctissimus, id est, valde siue maxime doctus:*

* Valla libro 1. cap. 13. & cap. 15.

Tenerrimus, valde, siue maxime tener.

Huius terminationes multæ sunt, sed in quas regulariter desinit, duæ, Rimus & Simus. Rimus, *vt hic Tenerrimus, hæc ma, hoc mum.* Simus, *vt hic Doctissimus, hæc Doctissima, hoc Doctissimum.*

DE FORMATIONE Comparatiui.

REGVLA.

Comparatiuus fit regulariter à Positiui casu in I, adiecta syllaba OR, *hoc est, si Positiuus fuerit secundæ declinationis, à Genitiuo: si tertiæ, à Datiuo, vt:*

Amicus	*ci,*	*Amicior.*
Pudicus	*ci,*	*Pudicior.*
Spurcus	*ci,*	*Spurcior.*
Solicitus	*ti,*	*Solicitior.*

Non autem Amicitior, Pudicitior, aut Spurcitior, vt quidam indocti, contra rationem & vsum veterum pronunciant. Sic &

Fortis,	*tis,*	*ti,*	*Fortior.*
Saluber,	*bris,*	*bri,*	*Salubrior.*
Felix,	*cis,*	*ci,*	*Felicior.*
Prudens,	*tis,*	*ti,*	*Prudentior,*

&c.

EXCEPTIO.

Quæ

Quæ vocalem habent ante VS, vel IS, eorum comparatiui describuntur, adiecta ad Positiuum voce magis, vt:

Pius — *Magis Pius.*
Idoneus — *Magis Idoneus.*
Strenuus — *Magis Strenuus.*

*Inuenias tamen vsurpari Tenuior à Tenuis, * vt & Strenuior à Strenuus. Plautus in Epidico?*

*Plin. li. 11. ca. 38. Animalium fortiora, quib. sanguis crassior: sapientiora, quib. tenuior.

Nam strenuiori deterior si prædicat
Suas pugnas, de illius ore fiunt sordidæ.

DE FORMATIONE Superlatiui.

REGVLA PRIMA.

Quæ R finiunt, Superlatiuos faciunt, adiecta Rimus.

Pulcer — *Pulcerrimus.*
Niger — *Nigerrimus.*
Ater — *Aterrimus.*
Teter — *Teterrimus.*

Quam formam & illa sequuntur, quæ positiuos Masculinos bifariam videlicet ER *&* IS, *finiunt, vt:*

Hic Acer & Acris — *Acerrimus.*
Hic Alacer & Alacris, — *Alacerrimus.*

 Hic Ce-

Hic Celeber & Celebris, Celeberrimus.
Hic Saluber & Salubris, Saluberrimus, & similia.

REGVLA II.

Quæ aliter quam R finiunt, Superlatiuum faciunt adiecta S, & Simus, ad Positiui casum, in I desinentem, vt:

Doctus	*Docti*	*Doctissimus.*
Candidus	*Candidi*	*Candidissimus.*
Felix, cis, ci,		*Felicissimus.*
Prudens, tis, ti,		*Prudentissimus.*

EXCEPTIO.

Excipiuntur ab hac regula, quorum Superlatiui in Limus * desinunt, vt:

* Hinc versus: Dant tibi quinque LIMVS, quæ signat dictio FAGVS. Valla addit nomen Docilis lib. 6. cap. 26.

Facilis	*Facilimus.*
Agilis	*Agilimus.*
Gracilis	*Gracilimus.*
Humilis	*Humilimus.*
Similis	*Similimus.*

Sic & composita, Difficilis, Difficilimus: Dissimilis, Dissimilimus, &c. Poëtæ autem geminant L, *vt Iuuenalis:* [*Sat. 6*]

Rara auis in terris nigroq; simillima cygno.

Atq; hæ regularis comparationis formæ sunt.

IRRE-

IRREGVLARIS Comparatio.

Sunt autem & Anomala quædam, *hoc est,* * quæ comparatiuos & Superlatiuos suos contra aliorum formam ac regulam faciunt, *videlicet:*

* Talia sunt & in vulgari lingua: Gut, Besser, Bœss, Erger, &c.

Bonus	*Melior*	*Optimus.*
Malus	*Peior.*	*Pessimus.*
Magnus	*Maior*	*Maximus.*
Paruus	*Minor*	*Minimus.* *
Multus	*Plurimus.*	
Multa	*Plurima*	
Multum	*Plus*	*Plurimum.*

* Lucret. tamen in lib. 3. paruissima corpora dixit.

A quo tamen plurali numero Comparatiuus Masculini ac Fœminini generis vsurpatur, Plures.

ITEM hæc:

Dexter	*Dexterior*	*Dexterrimus & Dextimus.*

vt apud Salustium in Iugurtha: Sylla cum equitatu apud dextimos, in sinistra parte Manlius curabat.

Sinister	*Sinisterior*	*Sinisterrimus*

& sinistimus, vt quidem Prisciano [lib. 3. de Superlatiuo] placet.

Vetus	*Veterior*	*Veterrimus*

Nam antiqui etiam Veter *

* Ennius: cum

Nomina-

Nominatiuo casu dixerunt. vete: occubuit Priamus sub Marte Pelasgo.

Potior, Potissimus, à Potis, quod ἄπτωτον & indeclinabile est.

Deterior Deterrimus, absq; Positiuo.

Et quæ cum verbis Dico, Volo & Facio componuntur, quæ sic comparantur.

Maledicus	*Maledicentior*	*Maledicentissimus*
Beneuolus	*Beneuolentior*	*Beneuolentissimus*
Magnificus	*Magnificentior*	*Magnificentissimus.*

Terentius tamen à Mirificus, Mirificissimum dixit in Phormione, [Act. 5. sc. 6. G. Quodnam arbitrare? A. Nescio. G. Atq; mirificissimum.] Cuiusmodi & alia quædam apud vetustissimos leguntur. *

* Vt sunt Magnificissimus & Beneficissimus. Valla lib. 1. cap. 10.

Veniunt autem & gradus à præpositionibus, vt

Extra	*Exterior*	*Extimus, & Extremus, quod vsitatius est.*
Intra	*Interior*	*Intimus*
Vltra	*Vlterior*	*Vltimus*
Citra	*Citerior*	*Citimus*
Supra	*Superior*	*Supremus & Summus*
Infra	*Inferior*	*Infimus*
Post	*Posterior*	*Postremus* *

*Grachus ab hoc postremissimus dixit, apud Gellium lib. 15. cap. 12.

Prope	*Propior*	*Proximus* *

* *Proxi-*

*Proximus induit aliquando naturam positiui, cum significat propinquitate & necessitudine coniunctum, l. 1. ff. Vnde cognati: Si quis proximior cognatus nasci speretur.

Ante *Anterior* *absq; Superlatiuo.*

Item à Pridem, Prior & Primus, facit Priscianus [lib. 3. de Comparatiuo.] Et à Nuper fit Nuperrimus. * Plautus Nuperum dixit in Captiuis: Recens captum hominem & nuperum & nouitium.

Ocyor autem & Ocyssimus, à Græco ὠκὺς *originem suam habent, Quemadmodum & Ipsissimus, quod ex Græco* αὐτότατος, *translatum est.*

* Quo vsus est Plautus in Trinummo.

Cæterum in comparando vbiq; obseruabis, quid probet vsus, & eruditorum autoritas. *Non enim omnia ea, quorum significatio augeri minuiue potest, comparantur, non quia vetet ratio, sed quia vsus comparationem eorum non probauit, vt sunt: Almus, Canus, Crispus,* * *&c. & quæ Bundus finiunt, vt: Sitibundus, Moribundus, Pudibundus, & similia.*

* Lactuca crispissimi folii, apud Columellam libro 11. cap. 3.

Faciunt autem hoc loco mentionem etiam Motionis Grammatici. *Ac moueri quidem ea nomina dicuntur, quæ ab eodem themate cadentia, diuersis generibus, diuersas terminationes habent, vt omnia adiectiua, quæ* R, IS, VS, *aut* AS *finiunt.*

Mouen-

Mouentur enim vel tribus terminationibus, vt:

Hic Sacer	*hæc Sacra*	*hoc Sacrum.*
Hic Satur	*hæc Satura*	*hoc Saturum.*
Hic Doctus	*hæc Docta*	*hoc Doctum.*

Vel duabus, vt:

Hic & hæc dulcis	*& hoc dulce.*
Hic & hæc Arpinas	*& hoc Arpinate.*

Vel etiam vtroque modo, vt:

Hic Exanimus, hæc ma, hoc mum. Et:
Hic & hæc Exanimis, & hoc Exanime.
Hic Effrenus, hæc na, hoc num. Et:
Hic & hæc Effrenis, & hoc Effrene. Item:
Hic Acer, Hæc Acris, Hoc Acre. Et:
Hic & hæc Acris, & hoc Acre.
Hic Paluster, hæc Palustris, & hoc Palustre. Et:
Hic & hæc Palustris, & hoc Palustre. Cuius generis sunt & Alacer, Celeber, *Volucer, Saluber, Campester, Siluester, Equester, Pedester, &c.*

* Celebris tamen & Salubris apud Ciceronem frequentius reperitur.

Mouentur autem & Substantiua quædam, sed duobus tantum * generibus, vt:

* Hæc nomina, quæ nec prorsus fixa, nec prorsus mobilia sunt, Græce γένη κοινὰ ἀνομοιοκατάληκτα dicuntur.

Hic Lupus	*Hæc Lupa*
Hic Dominus	*Hæc Domina*
Hic Gallus	*Hæc Gallina*

Hic Rex

Hic Rex	*Hæc Regina*
Hic Leno	*Hæc Lena*
Hic Leo	*Hæc Leæna, &c.*

Sed hæc & similia vſus docebit.

DE GENERE.

Genera nominum ſunt:

Maſculinum		*Hic*
Fœmininum	*cuius nota*	*Hæc*
Neutrum	*eſt articu-*	*Hoc*
Commune	*lus*	*Hic & Hæc*
Omne		*Hic, Hæc, & Hoc.*

Επίκοινον ſeu promiſcuum, cum vno articulo duo genera complectimur, *vt hic Paſſer, hæc Aquila.*

Dubium, cum autores variauerunt de vocis alicuius genere, *vt hic Dies, vel hæc Dies.*

REGVLAE GENERALES.*

* Quibus ex ipſa ſignificatione nominis genus deprehendimus.

Virorum, officiorum virilium, menſium, ventorum & fluuiorum nomina, ſunt generis Maſculini,

Virorum, vt:

Hic Virgilius *Hic Carolus*

Officiorum virilium, vt:

Hic Conſul *Prætor,* *Quæſtor.*

Menſium

Mensium, * vt Hic * Vide Macrob. libro primo Saturnal. cap. 12. & de mensibus extat libellus Gregorii Lilii Gyraldi.

Ianuarius, *der Ienner*, *à Iano*, *cui erant rerum principia dicata.*

Februarius, *der Hornung*, *à februis*, *id est*, *sacrificijs mortuorum.*

Martius à Marte, *der Mertz.*

Aprilis, *der Aprill*, *quod aperiat terram.*

Maius, *der Mey*, *à Maia Mercurij matre. Tum enim Pleiades prodeunt.*

Iunius, *der Brachmonat*, *à Iunone.*

Iulius, *der Hewmonat*, *à Iulio Cæsare. Antea Quintilis dictus*, *quod quintus esset à Martio*, *qui quondam fuit anni initium*, *more Aegyptiorum*, *qui à Vere incoant annum.*

Augustus, *der Augstmonat*, *ab Augusto Cæsare*, *quondam Sextilis idem dictus.*

September, *der Herbstmonat*, *quasi septimus imber*, *id est*, *tempestas. Est enim septimus mensis à Martio.*

October, *Octauus imber*, *der Weinmonat.*

Nouember, *Nonus imber*, *der Wintermonat.*

December, *Decimus imber*, *der Christmonat.*

Ventorum, * vt: * Vide Plinium libro secundo, capite 47. Gellius lib. 2. cap. 22.

Eurus	*qui flat*	*ab Ortu*	*Ost*	*Wind.*
Zephyrus		*ab Occasu*	*West*	
Auster		*à Meridie*	*Sud*	
Aquilo		*à Septentrione*	*Nort*	

Fluuio-

Fluuiorum, vt:

Rhenus der Rhein *Albis die Elb*
Danubius, qui & Ister, die Thonaw, &c.

In quibusdam tamen vsus variat. Sic legitur: Albula pota Deo; apud Ouidium, [lib. 4. Fast.] Et: Dia Mosella, apud Ausonium, [in Idyllijs in descriptione Mosellæ.] Et tepidum Iader, apud Lucanum lib. 4. quod alij figurate dictum volunt, pro, tepidum flumen Iader.

Notantur item, Allia, Styx, & Lethe, quæ ipsa quoque fœminino genere vsurpantur. Lucanus, [lib. 7.] Et damnata diu Romanis Allia fastis.

REGVLA II.

Mulierum, muliebrium officiorum, vrbium & arborum nomina, sunt generis Fœminini.

Plinius arboribus sexum & coniugium attribuit, lib. 13. cap. 4.

Mulierum, vt:

Lucretia, *Carmenta,* *Sibylla.*

Officiorum muliebrium, vt:

Obstetrix, *Nutrix,* *Mater.*

Vrbium, vt:

Roma, *Noriberga,* *Athenæ,*

Arborum, vt:

Pyrus, *Prunus,* *Quercus.*

EXCEPTIO.

Excipiuntur primo, Vrbium nomina, V R vel V M finientia, quæ generis neutri sunt, vt: *Hoc Comum, Tybur.*

Et quæ in I desinunt, pluralia Masculina, vt: *Hi Gabij, Philippi.*

Quanquam & alia diuersis generibus vsurpata reperias, vt: *Hic Sulmo apud Ouidium,* [*lib. 4. Trist. eleg. 9.*] *Hic Epidaurus, Hic Camirus, apud Homerum,* [λ. β. ἀμπελόεντ' ἐπίδαυρον. *&* ἀργινόεντα κάμειρον.] *& similia. Sed hæc vsus docebit.*

II. Excipiuntur & arborum quædam nomina, *ex quibus Masculinum est Oleaster. Virg.* [*2. Georg.*] *Indicio est tractu surgens oleaster eodem Plurimus, &c. Et quæ vulgo annumerantur, Rubus & Dumus, qui tamen frutices rectius, quam arbores puto appellantur.*

Seruius autem [*in illud Virg. 4. Georg.*] *Et spinos iam pruna ferentes. Et spinus, inquit, prunorum arbor vocatur, genere Masculino, sed tamen exemplum non addit.*

Robur autem & Suber, & Siler, neutra sunt. [*Virg. 2. Georg.*] *Vt molle Siler, lentæq; Genistæ.*

Degenerant & in genus Fœmininum, κατὰ σύνθεσιν * fabularum nomina, tametsi alioqui Masculina fuerint, *vt apud Teren-*

* Linac. libro 6. Syllepsin generum vocat, quæ acci-

Terentium, [in Prol. Eunu.] In Eunuchum suam. Hic enim Eunuchus fabulam significat, non personam. dit in vna clausula.

REGVLA III.

Fructuum nomina pleraq; generis neutri sunt, vt:

Pomum, Pyrum, Prunum,
Cicer, Papauer, Piper, &c.

Excipiuntur vulgo, *Oliua, Nux, Glans, & quæ ad hæc referuntur, vt sunt: Castanea, Auellana, &c. quæ ex terminatione sua Fœminina sunt.*

Ficus pro fructu & pro arbore, genere Fœminino frequentius vsurpant autores, quam consuetudinem & nos sequamur. Nam pro fructu, Ficus Masculino genere, apud eos, qui diligentius locuti sunt, rarissime inuenitur.

Vt neq; plurale Grossi, cum de ficis intelligitur. [Plin. lib. 23. cap. 7.] Crudæ Grossi verrucas, nitro farinæ; additis, tollunt. Et rursum: Grossi illitæ, strumas & omnem collectionem emolliunt. Sunt autem Grossi, vt Macrobius ait, [lib. 3. Satur. cap. 20.] ficus, quæ non maturescunt. At vero cum de morbo dicitur ficus, Masculino genere recte dici, & Valla [lib. 1. cap. 4.] & Priscianus, [li. 6.] probant. Cætera, si qua à regula variant, sub sua vnumquodq; terminatione reperies.

Neutrum genus tribuitur etiam ijs, quæ

τεχνικῶς, ſeu vt vulgus vocat, materialiter * efferuntur, *vt cum dico, Cæſar diſſyllabum eſt, Græci addunt articulum τὸ, vt τὸ ἄλφα πρῶτον ἐςὶ ςοιχείων, hoc eſt, Alpha primum eſt elementorum.*

* Huc referuntur verba & aduerbia loco nominum poſita, quæ & ipſa Neutra ſunt, vt Euge tuum, clarũ mane, triſte vale, &c.

REGVLA IIII.

Quæ viris ac mulieribus pariter conueniunt communis generis ſunt, vt: † *Hic & hæc Homo, Hic & hæc Pincerna.*

† Paucis poſt annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Cic. lib. 4. Epiſt. fam. Ep. 5.

Sic & gentilia quædam, vt: *Hic & hæc Arabs, Arcas, &c.*

REGVLA V.

Numeralia nomina, à quatuor ad centum, & generis omnis, & indeclinabilia ſunt, vt:

Quatuor, Quinq;, Sex, Septem, Octo, Nouem, Decem, Viginti, Triginta, Quadraginta, Quinquaginta, Sexaginta, Septuaginta, Octoginta, Nonaginta, Centum. Cætera quæ declinabilia ſunt, variantur per genera, mutatis terminationibus, vt:

Valla libro 3. capite 5.

Hic

Hic	*Unus,*
Hæc	*Una,*
Hoc	*Unum.*
Hi	*Duo,*
Hæ	*Duæ,*
Hæc	*Duo.*
Hi & Hæ	*Tres,*
Hæc	*Tria.*

Sic & à Centum compoſita, vt:
Ducenti, tæ, ta. Trecenti, tæ, ta. Quadringenti, tæ, ta. Quingenti, tæ, ta. Sexcenti, tæ, ta. Septingenti, tæ, ta. Octingenti, tæ, ta. Nongenti, tæ, ta.

Mille, * bifariam vſurpant Latini, alias adiectiue, alias ſubſtantiue.

* Gellius libro 1. cap. 16. Macrobius libro 1. Saturnal. cap. 5. Valla libro 3. cap. 4. Linac. libro 3.

Adiectiuum Mille, indeclinabile eſt plurale tantum, generis omnis, vt Mille homines, Mille hominum, Mille hominibus, &c.

Subſtantiuum Mille, ſingulari quidem numero indeclinabile eſt, & generis Neutri, vt Mille paſſuum percurri. Mille hominum cecidit.

Plurali autem ſic declinatur:
Millia, Millium (quanquam raro) Millibus, Millia, &c. Ut, Duo millia equitum habuit in exercitu Carolus, hoc eſt, bis mille equites.

Sunt & trium generum adiectiua pleraque omnia, ſed eorum hæc, alia tribus termi-

 natio-

nationibus continent, vt:

Hic Albus, Hæc Alba, Hoc Album.

Alia duabus, vt:

Hic & hæc Fortis, & hoc Forte.

Alia vna tantum, vt:

Hic & hæc & hoc Felix, Sapiens, &c.

REGVLA VI.

Volucrum nomina vna terminatione duo genera complectentia, dicuntur, ἐπίκοινα, † id est, promiscui generis, quod vna voce, vnoque articulo duo genera promiscue, & sine discrimine sexus * efferantur, vt:

† Tantum enim efficit hoc genus sub vno articulo, quantum commune genus sub duobus.

* In his tamen quoties sexum distinguere volumus, Pauo mas, Pauo fœmina dicere licebit. Sic Ouidius, Inuenit in media fœmina piscis aqua.

Hic Pauo	*Hæc Pica*
Hic Passer	*Hæc Aquila*
Hic Coruus	*Hæc Alauda*
Hic Picus	*Hæc Cornix*
Hic Regulus	*Hæc Coturnix, &c.*

Articulum terminatio indicabit. *Nam A fere Fœminina terminatio est, ER & VS Masculina.*

Sub hoc autem genus referri posse videntur, & Piscium nomina, vt:

Hic

Hic Cancer *Hæc Plateſſa*
Hic Lucius *Hæc Anguilla*
Hic Rhombus *Hæc Muſtela, &c.*

Item aliorum animantium, quorum ſexus diſcretis vocibus non efferuntur, vt:

Hic Gurgulio *Hæc Rana*
Hic Bombyx *Hæc Lacerta*
Hic Buſo *Hæc Vipera, &c.*

Nam & hæc ſub vno articulo vtrunq; genus ſignificant. Sed hæc Grammaticis diſceptanda relinquemus.

At quorum diſcretæ terminationes ſunt, quæq; vtroq; genere dicuntur, ſub hanc regulam non cadunt.

Hic Gallus *Hæc Gallina*
Hic Columbus *Hæc Columba.*

Item, Hic Bubo, & hæc Bubo, Vtroq; enim genere vſurpatur hoc. Quidius [lib. 5. Metam.] Ignauus bubo dirum mortalibus omen. Virg. [4. Aen.] Soláq; culminibus ferali carmine bubo. Quo pacto etiam hic Dama, & hæc Dama, inuenias.

Hic Talpa & hæc Talpa.
Hic Lynx & hæc Lynx.

Grus autem, quod quidam his adijciunt, † Fœminino genere vſitatius dicitur, vt apud Virgilium, [1. Georg. & 11. Aeneid.] Strymoniæq; grues, &c. Et

† Horatius genere Maſculino vſus eſt libro ſecundo Sermon. Satyra 8. Membra gruis ſparſi, &c.

&c. Et Plinius, [lib. 10. cap. 23. Excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes, qui lassatis somno decidens, indiligentiam sono coarguat : cæteræ dormiunt, capite subter alam condito, &c.

REGVLA VII.

Dubij generis sunt, quæ in eadem significatione ab autoribus alio atq; alio genere vsurpata inueniuntur, vt :

Hic Dies	*&*	*Hæc Dies*
Hic Finis	*&*	*Hæc Finis*
Hic Aluus	*&*	*Hæc Aluus*
Hic Adeps	*&*	*Hæc Adeps*
Hic Margo	*&*	*Hæc Margo*
Hic Silex	*&*	*Hæc Silex*
Hic Pumex	*&*	*Hæc Pumex*
Hic Calx	*&*	*Hæc Calx.*

Vt, Rigidos calces dixit Persius, [Sat. 3.] Ferrate calce, Virg. [11. Aen.] Prisc. [lib. 5. de generibus] & Nonius Marcellus [de indiscretis generibus] plurima huius generis recensent, verum est in his sequenda consuetudo receptissimorum autorum.

Frontem Masculino genere dixit Cæcilius, [in subditicio] † id nunc eruditi nulli imitantur.

† Nam ii sunt inimici pessumi, fronte hilaro, corde tristi. Gellius libro 15. cap. 9.

Sic

Sic Cardinem, Fœminino genere dixit Gracchus, in Atalanta : ò grata cardo, at nos Virgilium potius sequamur, apud quem legitur, [1. *Aeneid.*] *Haud tanto cessabit cardine rerum. Atque ita de reliquis iudicandum.*

Priscianus lib. 6. de Nominatiuo & Genitiuo.

SEQVVNTVR REGVLAE SPECIALES.

A.

In A desinentia, Fœminina sunt, vt:

Hæc	*Musa.*
Hæc	*Fabula.*
Hæc	*Procella.*

EXCEPTIO.

In Ta, Verbalia & Gentilia, quæ Græce in της desinunt, pleraq; Masculiua sunt, vt:

Hic Cometa	*Hic Poëta*
Hic Planeta	*Hic Propheta.*

Item:

Hic Spartiata	*Hic Crotoniata*
Hic Sybarita	*Hic Amphipolita*

Nam horum fœminina in Tis *exeunt, vt : Hæc Spartiatis, Hæc Sybaritis.*

Masculinum est & Hadria, apud Lucanum, pro *sinu maris (*nam pro oppido *fœmininũ genus retinet) vt :*

Sonat

Sonat Ionio vagus Hadria Ponto, &c. lib. 1.

II. Verbalia Græca in Ma, tertiæ declinationis, Neutra sunt, vt:

Hoc Poëma *Hoc Noëma*
Hoc Drama *Hoc Schema.*

Vetustissimi tamen etiam, hæc schema, huius schemæ dixerunt, vt: Cum seruili schema, Plautus, [in Amphit. in Prolog.]

Sunt & Neutra pluralia in A omnia, vt:

Hæc Arma *Bactra* *Crepundia.*

Dama & Talpa vtroq; genere vsurpantur.

Virgil. [Eclog. 8.]

Cum canibus timidi venient ad pocula Damæ.

Horatius, [lib. 1. Carm. Od. 2.]

Et superiecto pauidæ natarunt
Æquore Damæ.

Item primo Georgicorum:

Aut oculis capti fodere cubilia Talpæ.

Et Plinius, [lib. 30. cap. 3.] Dente Talpæ viuæ exempto, sanari dentium dolores affirmant.

Polenta, & Neutro & Fœminino genere vsurpari volunt, Neutro, vt 5. Metamorph.

Dulce dedit testa, quod coxerat ante polenta.

Fœminino apud eundem Poëtam, vt: [eod. lib.]

Cum liquido mista perfudit diua polenta.

Et apud Plautum, vt: [in Asin.]

Vbi flent nequam homines, qui polentam pinsitant, &c. Sed fœminino rectius vteris.

Incola, Homicida, Verna, Indigena, &

similia

similia, quæ ad viros pariter & mulieres pertinent, ex generalibus regulis communia esse constat.

Dixerunt tamen veteres etiam Indigenus, a, um, Alienigenus, a, um, &c. Sic alienigena exempla & studia, dixit Valerius, [lib. 1. cap. 5.] † Caprigenum pecus. [Virgilius 3. Aeneid.]

† Idem in libro 6. cap. 2. alienigenus sanguis, &c. 5. alienigena iusticia.

Gellius lib. 2. cap. 14. neque vino alienigeno, sed patrio vsuros. Plinius lib. 14. capit. 6. de indigeno vino, &c.

E.

In E Neutra sunt, vt:

Hoc Mare Cubile Monile, &c.

Græca in E, Fœminina sunt, vt:

Hæc Parasceue, Hæc Epitome, Hæc Psyche.

Quædam etiam neutra, sed pluralia, vt:

Hæc Tempe, Cete, & similia.

Est enim κήτη *à* κῆτος * *vt* τοίχη *à* τοῖχος.

* Vt apud Homerum:

λ. υ. ὄφρα τὸ κῆτος ὑπεκπροφυγὼν ἀλέοιτο.

Pluralia in AE, *vt Nugæ, Tenebræ, & similia,* per se nota sunt.

I.

In I Neutra sunt, vt:

Hoc Gummi, Sinapi, quod tamen & Sinapis nominatiuo

minatiuo casu dicitur, genere Fœminino.

Columell. in Horto: [*lib.* 10.]

Seq; lacessenti fletum facturа sinapis. †

† Sic gummis apud Columellam, lib. 12. cap. 50. Respuit olei pinguitudo talem materiam, qualis est gummis. & Sinape apud eundem lib. 12. cap. 3. Sinape atque Coriandrum ita vti sata sunt, sua sede immota permanent.

Hi obliqui, Frugi, Nauci, Nibili, omnium generum nominibus apponuntur, vt:

Frugi vir, qui Datiuus est à Frux.

Nauci homo.

Nibili bestia.

Mancipi, Genitiuus est, nominis Mancipium, pro Mancipij, per contractionem dictus. Duo *enim ij coëunt in vnum. Et dicitur res mancipi, quasi dicas, res dominij. Significat enim rem propriam & iure mancipatam. Ideo Lucretius eleganter dixit:* [*lib.* 3.]

Vitaq; mancipio nulli datur, omnibus vsu.

Significat enim vitam non esse proprie nostram, aut in potestate nostra.

O.

In O Masculina sunt, vt:

Hic Sermo *Ardelio* *Mucro, &c.*

EXCEPTIO I.

Quæ DO vel GO finiunt, hyperdis-

syllaba

syllaba, penultima longa, Fœminina sunt, vt: *Hæc Alcedo Arundo Testudo.*
Hæc Imago Aerugo Vertigo.

Quibus adde & Virgo, quod quidam commune faciunt, nullo tamen veterum exemplo.

Cupido vtroque genere dicitur, Masculino cum proprium est, idem quod Græcis ἔρως: Fœminino, cum pro cupiditate accipitur. Tametsi Horatius etiam in hac significatione Masculino genere vsus videatur, vt: [Horat. lib. 1. ser. sat. 1.]
Maxima pars hominum decepta cupidine falso.

Cætera in DO vel GO desinentia, Masculina sunt, vt:

Hic Ordo Cardo Ligo Mango, &c.

Præter pondo † quod neutrum est, & tam singularis, quam pluralis numeri indeclinabile. Falluntur enim qui singularibus accommodari posse negant. Nam & coronam pondo auri, & libram pondo, dixit Liuius, [vbi scribit de triumphis.] Significat autem proprie pondo, assem seu libram, Vnde dupondius est, id est, duorum assium. Sed tamen & pro pondere simpliciter vsurpatur, cum vocabulum libra additur. Sic enim Liuius ait,

† Pondo quoties numerum solum additum habet, significat libram. Sin genus ponderis appositum fuerit, nihil notat pondo aliud, quam veluti aduerbialiter pondus. Plautus Menæch. addas auri pondo vnciam, id est, aurum pondere vnciæ. Ioach. Camerar.

uius ait : [decal. 1. lib. 4.] *Libra pondo auri.*

Et Margo, quod inter Dubia refertur.

Vnedo, arboris nomen, quæ alio nomine arbutus dicitur, ad regulam generalem pertinet.

II. Fœminina sunt & Verbalia in IO, vt;

Hæc Legio,	*Regio*	*Natio*
Hæc Statio	*Religio*	*Ambitio.*
Hæc Concio, [illegible], *&c.*		

Quibus similia sunt & Talio & Caro, pro quo vetustissimos etiam Carnis, Nominatiuo casu dixisse legimus.

Sed hic diligenter obseruare pueri debent, quæ huius formæ à verbis veniant, & quæ secus. *Nam Scipio, Titio, Vnio, pro margarita, & similia, Fœminina non sunt, sed Masculina. Neque enim Verbalia sunt sed vel Primitiua, vel aliunde facta.*

Homo, Nemo, † *& Latro, communia sunt, & ad regulam generalem pertinent, quemadmodum & cætera, quorum significatio, tam mulieribus quam viris accommodari potest.*

† Terentius in Andr. act. 3 scen. 2. Hoc ego scio vnum, neminem peperisse hic.

Et Bubo, quod ipsum quoq; duobus generibus vsurpatur, supra inter Epicœna dictum est.

Ambo & Duo, pluralia tantum, Masculino & Neutro genere dicuntur.

Fœminina *Ambæ* *Duæ.*

III. Sunt & Fœminina Græca in O longum,

gum, vt: *Hæc Echo*, *Hæc Argo*, *nauis Iasonis*, & *similia*.

V & Y.

In V, Neutra sunt, vt:

Hoc Cornu † *Hoc Genu*
Hoc Veru.

† Veteres hic cornus, hic tonitrus, dixerunt in 4. declinat. Cæsar in 3. de bello ciuili: Dextri Cæsaris cornus cohortes. Et hoc Cornum, genum, &c. Ouid. in 5. Metamorph. curuauit flexile cornum.

Similiter neutra sunt, quæ in Y Græcum exeunt, vt: *Hoc Moly.*

C.

In C, Neutra sunt, vt:

Hoc Lac *Hoc Halec.*

Sed tamen Halecem, etiam Fœminino genere dixit Martialis, vt [lib. 11. epig. 28. ad Flac.]

Cui portat gaudens ancilla parepside rubra
Halecem, sed quam protinus ipsa voret.

Lactes autem plurale fœmininum est, à Nominatiuo Lactis, & diuersæ significationis: Significant enim Lactes in homine & oue, vt Plinius, [lib. 11. cap. 37.] ait, per quas labitur cibus, in cæteris Ile. Hinc Plautus in Curcul. Ita cibi vacuitate venio lassis lactibus. Priscianus, [lib. 6. de Nominatiuo & Genitiuo.] Græce γαλακτίδας vocari ait.

D.

In D,

In D, Neutra ſunt, vt:

Hoc Aliud, Hoc Aliquid, &c.

Propria, vt: *Bogud, Dauid*, ad regulam generalem pertinent.

A L.

In A L, Neutra ſunt, vt:

Hoc Tribunal, Hoc Vectigal, Cicero: [*In Paradox. vlt.*] *Non intelligunt homines, quam magnum vectigal ſit parſimonia.*

Sal Neutro genere vulgo vſurpatur, Veteres Maſculino maluerunt. *

* Saluſt. in Iugurtha: Neque ſalem, neque alia gulæ irritamenta, &c. Ennius in 14. Annal. hoc ſale dixit teſte Priſciano libro 5. de generibus.

Propria, *vt Annibal, Aſdrubal*, ad regulam generalem pertinent.

E L.

In E L, Neutra ſunt, vt:

Hoc Mel, Hoc Fel, Michaël, Daniel, & ſimilia peregrina, ex generalibus nota ſunt.

I L.

In I L, Neutra ſunt, vt:

Hoc Nihil.

Maſculina ſunt, Mugil piſcis nomen, & Pugil.

Strigil, quod haud ſcio, an Strigilis, † *Nominatiuo caſu rectius dicitur, Fæmininum eſt,*

† Sicut & mugilis apud Iuue. in ſat. 10 Mugilis intrat, &c.

eſt, Horat. [lib. 2. ſermon. ſat. 7.] Furtiua mutat ſtrigili.

Vigil, commune eſt, vt & compoſitum eius Peruigil.

O L.

In O L, vnicum eſt Latinum, & Maſculinum, *Hic Sol.*

V L.

In V L, Maſculinum eſt *Conſul.*

Exul, Commune eſt.

Priſcianus [lib. 5. de generibus.] & Præſul Commune facit. Sed vt nunc vſurpatur, Maſculinum tantum eſt.

A M.

In A M vnum eſt, Nequam * quod adiectiuum & generis omnis eſt.

* Quod fit ex Ne & quicquam, media extrita ſyllaba. Gell. lib. 6. c. 11.

E M.

Tantundem, Neutrum.

Totidem, Omnis generis, & plurale eſt.

V M.

V M finientia, Neutra ſunt, vt:

Hoc Lorum *Speculum.*

Mulierum nomina, †, vt: *Glycerium, Erotium, &c.* ad regulam generalem pertinent.

† His Comici vtuntur, diminutiis, adulatiõis amatoriæ cauſſa.

E AN.

AN.

In A N, Maſculina ſunt, & Græca, vt:

Hic Pæan Titan.

EN.

In E N, Neutra ſunt, vt:

Hoc Flumen Lumen Examen, &c.

Excipiuntur hæc Maſculina.

Ren Splen Lien.

Item:

Hymen, Lichen, & Attagen, quæ omnia E longum habent, Horat. in Epod. [Od. 2.] Nec Attagen Ionicus, auis nomen eſt.

Et quod in E N breue deſinit Latinum, *Pecten, Plautus in cap. Sed vtrum ſtrictimne attonſurum dicam, an per pectinem, Neſcio, &c.*

Flamen, † Sacerdotis nomen, ex generalibus notum eſt, quemadmodum & Syren Fœmininum, & Trœzen vrbis nomen.

† Trogus Hiſtoricus fœmininum à Flamine protulit, Hæc Flamina in 22. Priſc. in 5.

Sunt & Maſculina à Cano compoſita, vt: *Fidicen, Cornicen, Tibicen.* Quorum Fœminina in A exeunt, *vt Fidicina, Tibicina, &c.*

IN.

In I N, Maſculina ſunt, vt:

Hic Delphin.

Vrbium autem propria, vt: Salamin, Trachin, ad regulam generalem pertinent.

O N,

ON.

In ON, Græca ſunt omnia, quare & genera illorum ex ſuis autoribus petenda: Sunt tamen pleraque Maſculina, quæ ad tertiam declinationem pertinent, vt: *Hic Canon, Dæmon, Helicon, Citheron, Python* * *ſerpentis nomen, & ſimilia.*

* Apud Tibullum in Fœminino genere legitur, libro 2. eleg. 3. Delos vbi nunc Phœbe tua eſt, vbi Delphica Python. ſed hoc loco vrbis nomen eſt, & ad regulam generalem recidit.

Exceptis *Sindon, & Icon,* quæ inter fœminina referuntur.

Martialis, lib. 4. [Epig. 19. de Endromide.]
Nec ſic in Tyria Sindone tutus eris.
Plinius de Olympionicis, [lib. 34. cap. 4.] Eorum vero qui ter ibi ſuperauiſſent, imagines, ex membris ipſorum ſimilitudine expreſſa, quas Iconas vocant, &c. dicari mos erat, ein Conterfeyung.

Et quæ vrbium propria ſunt, vt: *Hæc Sidon, Anthedon, Babylon, & ſimilia.*

Illa vero, quæ ON in VM, apud Latinos vertunt, Neutri generis ſunt, vt: *Hoc Symbolum, Idolum, Sympoſium, Plectrum, &c.*

Quæ Græce, σύμβολον, εἴδωλον, συμπόσιον, πλῆκτρον, dicuntur.

AR.

In AR, Neutra ſunt, vt:

Hoc Laquear, Calcar, Far, Baccar, herbæ nomen quæ & Baccaris, Fœminino genere dicitur, Plinius, [lib. 21. cap. 6.] Sed & eorum error corrigendus est, qui Baccar Rusticum Nardum appellauere. Lar, Masculinum est.
Par generis Omnis.
Propria per se nota sunt.

ER.

In ER, Masculina sunt, vt:
Hic Agger, Vesper, Carcer.

Excipe primo hæc Fœminina, *Linter, & Acer,* * *pro arbore, apud Priscianum,* [*lib.* 5.] Quanquam idem hoc etiam ex generalibus notum est. *Quemadmodum & Mulier & Mater.*

* Hoc neutrum esse asserunt apud Plinium libro 16. cap. 15. Acer operum elegantia ac subtilitate cedro secundum.

II. Quæ VER aut BER finiunt, Neutra sunt, vt:
Hoc Ver Hoc Cadauer
Hoc Suber Hoc Tuber Hoc Vber.

Excepto Imber, cum compositis, quod Masculinum est. †

† Videtur enim à Græco esse ὁ ὄμβρος. Prisc. in 5.

Et Mulciber, quod cognomentum Vulcani est, à mulcendo ferro dictum.

III. Neutra sunt & Iter, quod veteres Itiner, * Nominatiuo

* Plautus in

casu

casu dixerunt. Et: Merc. Vt inceptum hoc itiner perficere exequar.

Spinter, quod fibulam significat, Plautus in Menæchmis. Iubeas spinter nouum reconcinnarier.

Et quæ fructus, aut alios terræ fœtus significant, vt:

Hoc Siler Laser
Piper Cicer Papauer, & similia.

Cucumer tamen Masculinum est, Vt & Tuber priore breui, quando plurali numero Poma significat peregrina, quæ olim ex Africa in Italiam apportabantur, vt apud Suetonium [in Domitiano, cap. 16. Pridie quam periret, cum oblatos tuberes seruari iussisset.] & Martialem, [lib. 13. epig. 42.]

Non tibi de Libycis tuberes, nec Apyrina ramis.

Etiam à Siser, quod ipsum alioqui Neutrum est, Plinius tres Siseres, pluraliter dixit, libro vicesimo, capite quinto, [Quoniam nemo tres Siseres edendo continuaret.]

Et Lauer, quod herbæ genus est, idem Fœminino posuit, vt libro 26. cap. 8. Lauer quoq; nascens in riuis, condita & cocta, torminibus medetur.

Priscianus [lib. 5.] autem, Vetustissimi, inquit etiam hoc Cancer, cum de morbo intelligeretur, protulerunt. Sed in hoc & similibus, posteriorum Latinorum vsus obseruandus est.

Degener, Pauper & Vber adiectiue sumtum, Communia sunt. Ex quibus posteriora etiam cum

Neutris iuncta leguntur, vt Vber solum; apud Tacitum, lib. 21. & Pauperis tuguri, apud Virgilium, [in Bucol. eclog. 1.] Vetustissimi autem etiam hic Pauper, hæc Paupera dixerunt. Cuius rei exemplum Priscianus, [lib. 5. de Generibus.] ex Plauto, [in Vidularia; Paupera hæc res est.] citat.

IR.

In IR, Masculina sunt, vt:

Hic Vir.

Triumuir, officij nomen. Et Treuir gentile ex suis regulis cognoscuntur.

Gadir, ciuitatis nomen, quæ alio nomine Tartessus dicitur, Salustius, [in 2. Histor.] Neutro genere vsurpauit. * * Tartessum Hispaniæ ciuitatem, quam Tyrii mutato nomine Gadir habent, adducente Prisc. lib. 5.

Est & Neutrum Ir, quod θέναρ, hoc est, concauitatem manus significat, teste Prisc. [lib. 5.]

YR.

Martyr, quod Ypsilon ante R habet, Commune est, & Græcum.

OR.

In OR, Masculina sunt, vt:

Hic Amor, Honor, Furor, &c.

Arbor, Fœmininum est, *vt & Soror & Vxor, quæ ex regula generali cognoscuntur.*

Neutra

Neutra sunt: *Aequor*, *Cor*, *Marmor*, & *Ador*.

Autor, pro eo, qui iubet ac suadet, aut etiam ipse aliquid facit, Commune est. [*Ouid.* 5. *Fast.*]

Optima tu proprij nominis autor eris. * Idem in 8. Metamorph. Quo fugis, exclamat, meritorum autore relicta. Autor quando αὐθέντην significat, Commune est, quando αὐξήτην auctrix facit Fœmininum. Prisc. in 5.

Sunt & Communis generis Comparatiui in O R, *vt: Hic & hæc Doctior, Melior, Senior. Plinius,* [*lib.* 11. *cap.* 10. *de Apibus loquens.*] *Quarum adolescentiores, inquit, ad opera exeunt, & supra dicta conuehunt, seniores intus operantur.*

Cætera in O R, adiectiua, regulas generales sequuntur, vt sunt:

Memor *Inmemor* Item:
à Corpus *Bicorpor* *Tricorpor*
à Color *Bicolor Discolor Versicolor.*

à Decor veteri adiectiuo, Indecor, quæ tametsi Masculinis ac Fœmininis addita frequentius leguntur, inueniuntur tamen & cum Neutris iuncta, [*Aeneid.* 9.]

Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo. Et apud Ouidium, 3. *Amor.* [*eleg.* 2.] *Et volat admissis discolor agmen equis, Sic & Salustius* [*in* 3. *Histor.*] *alibi dixit, Equis & armis decoribus cultus.* † Sed & hic † Sic apud Vir-

obſeruandum eſt, quid probet vſus.

gil. Aen. 10. Verſicoloribus armis.

VR.

In V R, neutra ſunt, vt:

Hoc Ebur. Sulphur Iecur.

Excipiuntur hæc Maſculina: *Vultur, Turtur, Furfur.*

Plautus etiam Gutturem, Maſculino genere dixit, in Aulularia, vt:

Etiamne obturat inferiorem gutturem,
Ne quid animæ forte amittat dormiens?

Et apud Martialem [lib. 5. epig. 1. ad Cæſarem] legitur.

Siue ſalutiferis candidus Anxur aquis.

Quod vel Ennij exemplo factum, qui vt Feſtus, [lib. 1.] citat, Volſculus Anxur, alibi dixit, vel per ὑποκοπὴν dictum eſt, ab Anxurus, quo nomine Iuppiter eodem loco cultus fuit. Nam idem nomen Horat. Neutro genere poſuit, in Sermonibus [lib. 1. ſat. 5.] vt:

Millia tum pranſi tria repſimus, atq; ſubimus,
Impoſitum ſaxis late candentibus Anxur.

Eſt autem oppidum Anxur, quod Taracinæ poſtea vocatum fuit.

Quæ ad regulas generales pertinent, vt:

Fur, Augur, Aſtur,
Cicur, Satur per ſe nota ſunt.

AS.

In A S

In AS, Fœminina sunt, vt:

Hæc Bonitas   Pietas   Castitas, &c.

I. Excipiuntur primo hæc Masculina,

Mas, Maris.

As Assis, quod veteres * *etiam Nominatiuo casu Assis dicebant.*

* Plinius lib. 33. ca. 3. dupondius appendebatur assis.

Vas Vadis, pro sponsore. Et Græca:

Tiaras. Virg. [7. Aen.] Sacerq; Tiaras.

† Iuuenal. tamen in sat. 6. in genere Fœminino protulit: Et Phrygia vestitur bucca Tiara.

Boreas, venti nomen.

Adamas, elephas, Gigas, & quæ alia per NT declinantur. Nam quæ per D flectuntur, ad regulam pertinent, vt Cyclas, Olympias, Lampas, & similia.

II. Hæc Neutra, *Vas Vasis, σκεῦος Græce, ein Schaff oder Geschir.*

Fas & Nefas indeclinabilia, Iuuen. [sat. 13.]

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat, &c.

Gentilia & propria, ad regulas generales pertinent, vt: *Hic & hæc Arpinas, Aquinas, Priuernas, quæ tamen aliquando etiam neutris iuncta leguntur, vt: Vina Priuernatia, apud Plinium [libro 14. cap. 6.] Veteres autem dixerunt,* * *hic & hæc Arpinatis, & hoc Arpinate.*

* Cato in 2. Orig. Si quis mortuus est Arpinatis, &c. Hinc ergo per Syncopam TI syl-

TI syllabæ factum est Arpinas cum Circumflexo in fine. Prisc. lib. 4. & 5.

ES.

In E S, tertiæ declinationis, quæ crescunt Genitiuis, Masculina sunt, vt :

Hic Gurges, itis. Hic Fomes, itis.
Hic Aries, etis. Hic Paries, etis.
Hic Pes, Pedis. Hic Sonipes, edis.

Cum substantiue pro equo accipitur, vt apud Silium, [*lib.* 19.]

Cernuus inflexo sonipes effuderat armo.

Sic & Græca, *Hic Magnes, etis. Hic Tapes, etis. Hic Lebes, etis. Virg.* [5. *Aeneid.*]

Tertia dona facit, geminos ex ære lebetas.

Excipiuntur hæc Fœminina :

Seges, etis. Teges, etis.

Compes, edis, quod sunt qui vtroq; genere dici velint, sed Fœmininum frequentius est. Terent. [*in Phorm. act.* 2. *scen.* 1.] *Habendæ compedes. Et,* [*Tibull. lib.* 2. *eleg.* 7.]

Spes etiam valida solatur compede vinctum.

Et quæ in obliquis E producunt Latina, vt :

Hæc Merces, edis. Hæc Quies, etis. Cuius compositum Requies, olim quinta & tertia declinatione * *vsurpatum fuit : Hodie autem quinta fere tantum declinatur.*

* Cic. lib. 1. ad Att. ep. 13. Tantum requietis habeo. Et in Catone : Vt meæ senectutis requietem noscatis.

Tres,

Præs, Prædis, tamen Masculinum est.
Aes, Aeris, Neutrum.
Hæres, edis. Et;
Locuples, etis, Communia. Priscianus, [libro 5.] autem posterius hoc etiam trium generũ facit.

Sunt & Communia hæc, quæ vulgaribus hisce versiculis continentur:

Diues, Hebes, Præpes, Miles, Pedes, Obses & Hospes.
Inquies, Antistes, Perpes, Comes, Ales, Equesq;
Interpres, Sospes, Deses, Teres atque Superstes.
Et quæcunq; parit de se Pes nomina iunctus.
Hoc est, à Pes composita ceu sunt: Bipes, Tripes, Quadrupes, Loripes, Cornipes, &c.

Sed ex his multa etiam Neutris aliquando attribuuntur, vt:

Diues, Ouid. 2. Trist. [circa medium fere.] Diuitis ingenij est, immania Cæsaris acta Condere.

Hebes, Iuuenalis, [satyr. 11.] Hebeti lautissima ferro.

Sospes, idem, [satyra 13.] Depositum tibi sospes erit.

Comes, Lucan. [lib. 5. in princ.] Nos rerum summa sequetur, Imperiumq; comes?

Hospes. Stat. 4. Theb. Accipias, fessisq; libens iterum hospita pandas Flumina, &c.

Teres. Virg. [7. Aeneid.] Sed tereti mos est aptare flagello.

Inquies

Inquies. Salust. [*in* 1. *Hist. citante Prisc. lib.* 5.] *Humanum genus inquies atq; indomitum, &c.*

Vbi obseruandum tamen est, quos casus receperit vsus. Neque enim eodem modo recte omnia dicuntur.

Quædam autem & propria de se Fœminina procreant, vt:

Hospes *Hospita.* *

* Vt hospita tellus, apud Lucanum in 5.

Sospes *Sospita, Ouid.* 2. *Fast.*

Sospita delubris dicitur aucta nouis. Et:

Antistes *Antistita, apud Ciceronem, vt quidem à Prisciano citatur.* [*lib.* 5.] *Ceres & Abies, ex generalibus nota sunt.*

REGVLA II.

In ES, quæ non crescunt Genitiuis, Fœminina sunt, vt:

Hæc Fames, *Lues,* *Tabes.*

EXCEPTIO.

Verres quod Masculinum est.

Vates quod Commune.

Torques, quod idem & Torquis Nominatiuo casu dicitur, & inter Dubia refertur. Propertius, [*lib.* 4. *eleg.* 12.] *Torquis ab incisa decidit vnca gula.*

Cicero de finibus, † *T.* † Lib. 1. Neque

Man-

Manlius, qui Galli torque detracto, cognomen inuenit, &c. Et:

eum Torquatum, qui hoc primus cognomen inuenerit, aut Torquem illum hosti detraxisse. & offic. libro 3. ad finem.

Vepres, quod ipsum quoque vtroque genere veteres, sed fere pluraliter vsurparunt. Virgilius 3. Georg. Sudor, & hirsuti secuerunt corpora vepres, &c. Lucret. lib. 4. Nam sæpe videmus, Illorum spoliis vepres volitantibus auctas, &c. Vepecula diminutiuum, quo Cicero vtitur pro P. Sestio: [Id etiam fatum ciuitatis fuit, vt illa ex vepreculis extracta nitedula Rempub. conaretur arrodere.]

Excipitur & *peregrinum Acinaces, quod gladium Persicum significat,* * *vt apud Horatium, [lib. 1. Carm. Od. 27.]*

* Suidas Ἀκινάκης μικρὸν δόρυ περσικόν.

Vino & lucernis Medus Acinaces Immane quantum discrepat, &c. Græce enim ἀκινάκης *vt* χρύσης*, dicitur, prima declinatione, cuius omnia Masculina sunt. Tametsi quidam* † *Acinacis, Nominatiuo casu scribant, nullo veterum exemplo.*

† Porphyrion & alii. Quem errorem & Aldus ibi annotauit.

Item, quæ Neutro genere vsurpantur.

Hippomanes, quo equi in amorem aguntur, vt apud Plinium, [lib. 8. cap. 42.] Et:

Cacoëthes, Vicium seu morbus inueteratus: Iuuenal. [sat. 7.] Tenet insanabile multos Scribendi Cacoëthes, &c. Habent enim hæc adiectiuorum

rum Neutrorum terminationem apud Græcos. *

* Vt ſit τὸ κακοειδὲς, ſicut τὸ ἀληθὲς, Vide Politia. in Miſcellan. cap. 46.

REGVLA III.

Sunt & Fœminina quintæ declinationis omnia, vt:

Hæc Fides *Res* *Species, &c.*

Dies, ſingulari numero Maſculino ac Fœminino genere vſurpatur, Plurali Maſculino tantum.

Huius compoſitum Meridies, Maſculinum tantum eſt, † & ſingulare. † Significat enim certum tempus diei, Priſcianus in 5. Et Valla lib. 4. cap. 80.

IS.

In IS, Fœminina ſunt, tam Græca quam Latina, vt:

Hæc Amuſſis *Hæc Cutis*

Hæc Pixis *Hæc Paropſis.*

Sic & Patronymica, vt: *Hæc Nereis, Chryſeis, Tyndaris, Perſis & ſimilia.*

Et Gentilia, vt: *Hæc Spartiatis, Nilotis, Memphitis, &c.*

Et præterea, quæcunque à Latinis vſurpata, Græcorum formam imitantur, vt:

Hæc Aſpis, ſerpentis nomen.

Hæc Iaſpis, gemma.

Hæc Promuſcis, roſtrum Elephanti.

Hæc

Hæc Promulsis, potionis genus ex mulso, apud Cic. lib. 9. epist. [*ep. 20.*] * *& similia.*

* Habuisses enim non hospitem, sed contubernalem. At quem virum? non eum, quem tu es solitus promulside conficere.

EXCIPIVNTVR Latina.

I. In quibus IS sequitur literam N, vt sunt, *Panis, Penis, Funis, Crinis, Cinis, Ignis, Amnis.* Præter *Canis & Iuuenis, quæ Communia sunt.* Item *Clunis & Finis, quæ inter dubia recensentur, & Bipennis, quod substantiue vsurpatur Fœminino genere pro securi.*

II. In quibus duæ consonantes præcedunt IS, in eadem cum illa syllaba sumtæ, vt sunt, *Axis, Fascis, Piscis, Fustis, Postis, Vectis.*

Præter hæc: *Vestis, Pestis, Restis, Febris, Volucris substantiuum, & Neptis, quod etiam ad generales regulas pertinet.*

III. In quibus penultima syllaba desinit in liquidam, vt,

Ensis, Mensis, Vnguis, Collis, Follis, Callis, Vermis, Orbis, Corbis, Torris, &c.

Præter hæc: *Vallis, Pellis, Peluis, Turris, Sementis, & quod pluraliter fere vsurpatur, Alpis, montium nomen, cuius exemplum infra † posuimus. Etiam Sentis, vul-*

† De Accusati-

go ge-

go genere Fœminino vtuntur, & astipulatur versiculus ille in Culice, Hæc teneras fruticum sentes rimatur, & illa, &c. Sed tamen apud eundem Poëtam 9. Aen. Masculino genere idem nomen legitur, vt: Silua fuit late dumis, atque ilice nigra. Horrida, quam densi complerant vndiq; sentes.

uo tertiæ declinationis.

*Anguis vtroq; genere vsurpatur, * quemadmodum & Torquis, quod inter dubia refertur.*

* Virg. Aeneid. 5. Adytis cum lubricus anguis ab imis. Valer. Max. lib. 1. cap. 6. L. Sylla ab vna parte aræ prolapsam anguem prospexit.

IIII. Quæ Genitiuis crescunt, vt: *Glis, Gliris. Cucumis, eris. Cinis, eris. Vomis, eris, quod & Vomer Nominatiuo casu dicitur. Lapis, idis. Sanguis, Sanguinis.*

Præter hæc *Cuspis, idis. Cassis, idis, pro galea. Capis, idis, vas pontificiale. Plinius,* [*lib. 37. cap. 2.*] *Sed Nero, vt par erat principem, vicit omnes CCC. HS. capidem vnam parando.*

Puluis, Masculino quidem genere vsitatius est, Apud Propertium [*lib. 1. eleg. vlt.*] *autem etiam Fœminino ponitur, vt:*

Sit mihi præcipue puluis Hetrusca dolor.

Et rursum, lib. 2. [*eleg. 14.*]

Quis nunc iacet arida puluis,
Vnius hic quondam seruus amoris erat.

V. Excipiuntur & hæc:

Hic

Hic Caulis, à quo Cauliculus, qui & Coliculus dicitur.

Hic Caſſis, huius Caſſis, cum rete ſignificat, quod tamen pluraliter fere vſurpatur. Ouidius, [*lib.* 2. *de arte amandi.*]

Incidit in caſſes præda petita meos.

Hic Riualis ein Miteſſer.

Hic Maialis, porcus caſtratus, ein Borgk, quæ duo etiam ex generalibus noſci poterant.

Hic Aqualis, vas aquarium, à quo Aqualiculus, vt: Pinguis aqualiculus, apud Perſ. [*ſat.* 1.]

Hic molaris, pro dente.

Hic Iugalis, pro equo, quod ipſum quoq; pluraliter fere vſurpatur.

Hic Natalis, pro die, quo quis natus fuit. Quanquam poſteriora hæc etiam καθ' ὑπόνοιαν, *Maſculina videri poſſunt,* Intelligitur enim Molaris dens, Iugalis equus, Natalis dies, &c.*

* Linac. in lib. 6. ad Eclipſin hæc refert.

Quibus additur & Canalis, [*Columella libro* 9. *cap.* 5.] *Tum perennis aqua, ſi eſt facultas, inducatur, vel extructo canali manu detur, &c. Sed tamen diminutiuum Canalicula, quo Lucilium vſum Nonius * indicat argumento eſt, etiam Fœminino genere nomen hoc à veteribus vſurpatum fuiſſe. Et Seruius in tertio Georgicorum, *Fœmininum magis probat.*

* De diſcretis generibus.

* In illud Virgilii:

F

gilii: Currentem ilignis potare canalibus vndam.

Sunt & Masculina, Assis composita, vt: *Decussis, Centussis, & similia. Persius [sat. 5.]*

Et centum Græcos curto centusse licetur.

Porro quia laboriosum est, tot exceptiones memoria comprehendere, placuit puerorum gratia & versiculos hos subijcere, quibus pleraq; ea, quæ Masculina huius formæ sunt, continentur.

Mascula sunt panis, penis, crinis, cinis, ignis,
Funis, cum vecti, piscis, fascis, lapis, amnis,
Hinc Fustis, postis, hinc axis, vermis & vnguis,
Et collis, follis, callis, glis, sanguis & ensis,
Et mensis, torris, cum vomere corbis & orbis.
Maialis, cum natali, riualis, aqualis,
Cassis & caulis, cumq; assis prole iugales.
Hinc Cucumis, & quæ sexu memorantur vtroq;,
V. clunis, torquis, cum puluere, finis & anguis.

Hæc igitur fere Masculina sunt, cætera Fœminina. Notatis tamen etiam ijs, quæ ex regulis generalibus cognoscuntur, vt sunt:

Propria virorum, vt: *Hic Paris, Thespis, Dis, pro Plutone, &c.*

Fluuiorum, vt: *Hic Tybris, Fabaris, Araris, &c.*

Mensium, vt: *Hic Aprilis, Quintilis, Sextilis, &c.*

Officiorum, vt: *Hic Aedilis.*

Genti-

Gentilia, vt: *Hic & hæc Samnis, Quiris.*

Adiectiua, vt: *Hic & hæc Dulcis, Fortis, Iuuenis, quod vltimum tamen Neutro caret.*

Et quæ vtrique sexui conueniunt, vt: *Hic & hæc Ciuis, Hostis, Testis.*

Et Canis, cuius tamen diminutiuum Canicula, Fœminino genere tantum dicitur.

Fecerunt autem hoc loco mentionem Grammatici figuræ illius, qua complecti solemus Præpositionem & Nomen, significaturi officium, disputaruntque de eorum genere. *Nos orationem potius eam complexionem esse iudicamus. Attribuimus enim alteri voci genus & casum, iuxta exempla autorum, vt:*

A pedibus,	*pro Cursore.*
Ab Epistolis,	*pro Scriba.*
A Concionibus,	*pro Concionatore.*
A Secretis,	*pro Secretario.*

Non enim dicimus: *Meus à pedibus.* Neque recte opinor quisquam dixerit: *Ab Epistolis Romanis, pro Scriba Romano, sed Romæ ab Epistolis, &c.*

Obseruabis igitur ipse, quomodo his formulis autores vsi sint.

YS.

Fœminina sunt & Græca pleraque, quæ in YS per ypsilon desinunt, vt:

Hæc Chlamys.

Hæc	*Pelamys, piſcis nomen.*
Hæc	*Chelys.*
Hæc	*Erinnys, &c.*

O S.

In OS, Maſculina ſunt, vt:

Hic Honos, Flos, Lepos.

Et Græca, *Eros, Heros, Gelos, Monoceros, Aegoceros, Rhinoceros, & id genus alia, quæ abſque contractione declinantur.*

E X C I P E.

I. Fœminina, *Hæc Arbos, Eos, Dos & Glos, quod vltimum ex regula generali notum quoq; eſt.*

Item Græca in OS longum, quæ in Obliquis contrahuntur, vt: *Eos, à quo Eous, a um, pro Oriente.*

II. Hæc Neutra, *Os Oris, Os Oſſis.**

* Pacuuius & Actius, & hoc oſſu protulerunt, qua de re Priſc. in 6.

Et Græca in OS breue, quæ per contractionem declinantur, vt ſunt: *Telos, Melos, Chaos.*

Poſtremo hæc Communia, *Bos, Impos, Compos, Cuſtos & Sacerdos.*

V S.

R E G V L A I.

In VS,

In V S, ſecundæ & quartæ declinationis, pleraq; Maſculina ſunt, vt:

Hic Ventus *Hic Annus*
Hic Fructus *Hic Arcus, Viſus, &c.*

Sic & Græca, quæ OS in V S, Latine vertunt, vt: *Tomus, Typus, Catalogus, & ſimilia, præſertim verbalia.*

EXCIPIVNTVR.

I. Latina hæc Fœminina, *Vannus, Humus, Acus, Manus, Tribus, Porticus, Colus, Domus, & quod plurale tantum eſt, Idus.*

Nam *Anus, Socrus, Nurus.* Et quæ arborum propria ſunt, vt: *Ceraſus, Arbutus, Laurus, Ficus, &c.* ex generalibus nota ſunt.

Item hæc Neutra, *Vulgus*, *quod tamen etiam Maſculino genere vſurparunt autores.*

Pelagus.
*Virus, quod indeclinabile eſt.**

* Lucret. tamen, tetri primordia viri, dixit, lib. 1.

Plautus etiam virile ſexus dixit, Neutro genere, in Rudente. Sed hoc poſterior vſus repudiauit.

Aluus inter dubia refertur, quemadmodum & Penus & Specus, de quibus infra dicemus.

*Pampinus autem, quod Seruius * inter Dubia habet, Maſculino genere vſitatius dicitur, Plinius lib. 23.*

* In illud Virgilii, eclog. 7. Liber Pampineas inuidit collibus vmbras.

[*in proœmio.*] *Pampini triti & impositi, tumorem omnem siccant. Et Columella,* [*lib. 4. cap. 6.*] *Primo tamen bini Pampini submittuntur, vt sit alter subsidio, si alter forte deciderit. Et rursum cap. 26. Umbrasq; compescet, ac superuacuos Pampinos deturbabit.*

II. Excipiuntur hæc Græca, *Arctus, Eremus, Abyssus, Diphthongus, cum absolute dicitur de syllaba, siue vocali diphthongo, hoc est, ambigui, siue duplicis soni.*

Et ab ὁδὸς composita, *vt hæc Methodus, Synodus, Exodus, Periodus & similia.*

*Quibus vulgo & Paradisus annumeratur. Sed hoc nomen apud Suidam, * Strabonem & Xenophontem Masculino genere vsurpari video, vt primo Anabaseos:* διὰ μέσου ἢ τοῦ παραδείσου ῥεῖ ὁ Μαίανδρος ποταμὸς, *&c. hoc est, Per medium autem Paradisum siue hortum labitur Mæander fluuius.*

* καὶ οὗτός ἐστιν ὁ θεῖος παράδεισος.

Sunt & Fœminina, gemmarum nomina pleraq; , vt: *hæc Amethystus, Cristallus, Hyacinthus, Sapphirus, Chrysolithus, &c. apud Plinium lib. 37.* Nam & γενικὸν horum λίθος, Fœmininum apud Græcos est, quando gemmam significat.

Smaragdus tamen, Berillus, Opalus, & quædam alia etiam Masculino genere vsurpata reperias, Propertius, lib. 4. [*eleg. 8.*] Et

Et solitum digito berillos adederat ignis.
Sic apud Plinium, [*lib.* 37.] *passim cætera.*

Et fruticum, aliorumque terra nascentium quædam, vt:

Hæc Nardus, [*lib.* 1. *cap.* 6.] *Hæc Hyssopus,* [*lib.* 3. *cap.* 45] *apud Diosc.*

Hæc Byssus, hæc Costus, autore Prisciano, [*lib.* 5.] *quod idem tamen & Masculino genere legitur, vt apud eundem Dioscoridem,* [*lib.* 1. *cap.* 15.] κόστου διαφέρει ὁ ἀραβικὸς, λευκὸς ὤν. *Id est, à reliquo costo differt Arabicus, candidus existens.*

Hæc Papyrus, hæc Biblus, seu Byblus; nam vtroq; modo scribitur, Lucan. lib. 3.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos Nouerat, &c. Iunci species est, quam Latini & posteriores item Græci papyrum appellant.

Hæc Balanus. Horat. [*lib.* 3. *Carm. Od.* 29.] *Pressa tuis Balanus capillis. Sic & Græci, Suidas, Dioscorides,* [*lib.* 4. *cap.* 149.] *& alij plerique: Tametsi Plinius videatur alibi* [*lib.* 13. *cap.* 4. *Populari nomine à nobis appellantur Balani: eorum quoq; plura genera, &c. Maxime tamen placent candidi.*] *etiam Masculino genere vsurpasse.*

Hæc Carbasus, cuius plurale Carbasa, ad Neutrum genus defecit. Sed & hoc vtroq; genere vsurpasse veteres, Priscianus,[*lib.* 5.] *& alij plerique tradunt.*

Cytisus, Fœminino genere vtitur Columella,

[*lib.* 9. *cap.* 4.] *Masculino Theocritus, Idyll.* 10. * *& alij passim.*

*Et Narcissus, Fœminino genere idem Poëta, Idyll.*1. † *Masculino Plinius,* * *& cæteri Latini vtuntur. Cuiusmodi fortassis etiam alia inuenies, quæ frequens lectio suppeditabit. Neque enim singula hic recenseri possunt, quorum adeo varius ac multiplex apud autores vsus est.*

Ex superioribus autem nonnulla etiam Neutro genere vsurpata leguntur, vt: *Hoc Nardum, Hyssopum, Papyrum, apud Plinium,* [*lib.* 13. *cad.* 11.] Sed in his similibus frequentior vsus obseruandus est.

Item Fœminina sunt pleraque Regionum & Insularum propria, vt: *Hæc Aegyptus, Cyprus, Delus, Lesbus, Tenedus, &c.* Nam hæc & similia ad γενικὰ illa referuntur, quæ sunt χώρα, νῆσος & similia.

Vrbium autem nomina, ad regulam generalem pertinent, *vt Hæc Corinthus, hæc Pylus.*

Camelus inter Communia refertur à Grammaticis, sed Plinius [*libro* 8. *cap.* 18. *Camelos inter armenta pascit oriens, quorum duo genera, Bactriani & Arabici.*] *Masculino genere fere vsurpauit.*

* ἁ αἴξ τὸν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει.

† ἁ δ᾽ καλὰ νάρκισσος ἐπ᾽ ἀρκεύθοισι κομάσαι.

* Lin. 21. cap. 19. Et à Narce Narcissum dictum, non à fabuloso puero.

pauit. Græci frequentius fœminino, vt in prouerbio, ἡ κάμηλος ἐπιθυμήσασα κεράτων, καὶ τὰ ὦτα προσαπώλεσε, *hoc est, Camelus cum affectaret cornua, etiam aures amisit.*

Et Barbitus, quod instrumentum Musicum est, Horatius Masculino genere posuit, vt

Age dic Latinum Barbite carmen,
Lesbio primum modulate ciui, &c. [Od. 32. libro 1.]

Ouidius in Epistola Sapphus, Fœminino, vt:
Non facit ad lacrimas barbitus vlla meas.
Ausonius autem etiam Neutro in Philomusum, vt
Hoc genere & chordas, & plectra, & barbyta conde,
Omnia mercatus, cras Citharœdus eris.

Sed hoc & similia ad Heteroclita pertinent.

REGVLA II.

In VS, tertiæ declinationis, Fœminina sunt, quæ V in obliquis retinent, vt:

Hæc	*Salus*	*Salutis.*
Hæc	*Palus*	*Paludis.*
Hæc	*Tellus*	*Telluris.*

Excipe monosyllaba, quæ Neutra sunt, vt:

Hoc Ius *Hoc Crus* *Hoc Rus.*
Hoc Pus *Hoc Thus* *Hoc Plus.*

Præter Mus, quod Masculinum est.
Grus, quod Fœminino frequentius. Et:

Sus, quod vtroq; genere dicitur. *

* Virgilius 7. Aeneid. Setigerique sues. Horatius lib. 2. ep. 2. Hac lutulenta ruit sus.

Pecus, Pecudis, Fœmininum est. Vall. [li. 4. c. 42.]
Pecus, Pecoris, Neutrum.
Ligus, Liguris, quod & Ligur, Nominatiuo casu dicitur, ad gentilia pertinet.
Intercus, omnium generum nominibus additur, vt: Intercus aqua, † Intercute morbo, Intercutibus vitijs, [apud Aulum Gell. lib. 13. cap. 8.]

† Apud Plautum in Fid. citante Prisc. in 6.

REGVLA III.

In VS, tertiæ declinationis, quæ V in obliquis mutant, Neutra sunt, vt:

Hoc Acus, Aceris, σκύβαλον Græce, * *Sprewen.*

* Vel ἄχυρον potius.

Hoc Corpus, Corporis.
Hoc Vulnus, Vulneris.

Ad hanc regulam & comparatiua in VS pertinent:

Hoc Maius, Maioris.
Hoc Fortius, Fortioris.

Excipe Lepus, oris, quod Masculinum est.
Nam Venus, Veneris, proprium. Et: *Vetus, Veteris, adiectiuum,* ad regulas generales pertinent.

AVS.

AVS.

In AVS, Fœminina ſunt, vt :
Hæc Laus, *Hæc Fraus.*

S, CVM CONSONANTE.

Quæ S finiunt, præcedente conſona, Fœminina ſunt, vt :

Hæc Ars *Mors* *Puls*
Hæc Hyems *Cohors* *Bidens*

pro oue, * vt : [*Virgilius*, *Aeneid.* 6.] *Lectas de more bidentes* : *Nam pro bipalio ſiue ligculo*, *Maſculino genere vſurpatur*, *vt* : *Sæpius ad capita & duros iactare bidentes*, *apud eundem poëtam*, 2. *Georg.*

* Vide Gellium lib 16. cap. 6.

Excipe primo hæc Monoſyllaba, quæ Maſculina ſunt.

Mons, *Pons*, *Fons*, *Dens*, *& Seps*, *ſerpentis nomen*, *vt apud Lucan.* [*lib.* 9] *Tabificus ſeps*.

Et quæ inter dubia recenſentur : *Scrobs*, *& Stirps*, *cum de arbore dicitur.*

Etiam Frons, *apud vetuſtiſſimos Maſculino genere vſurpatum legitur.*

Et Scrobs, *Auctore Phoca ſed tamen in his poſteriores Latini Fœmininum genus retinere maluerunt.*

II. Excipiuntur Polyſyllaba, quæ in PS deſinunt, ſunt enim plerœque Maſculina, vt :

Hic Manceps,* *Cyclops*, *Hydrops*,

* Manci-

* Mancipes qui intelligantur, declarat Alc. lib. 5. Disp. cap. 20.

Horat.[*lib.* 2. *Carm. Od.* 2.] *Crescit indulgens sibi dirus hydrops.*

His adde Chalybs & Torrens.

*Forceps * autem & Adeps, Dubia sunt. Vtroque enim genere vsurpantur, quemadmodum & Serpens Substantiuum.*

* Adunca forcipe dixit Persius sa. 4. Aheno forcipe, Mantuanus.

Princeps, Municeps, Parens, & similia, ad regulam generalem pertinent.

III. Sunt & Masculina nomina, quibus Assis partes significantur, quæ quo certius intelligantur, omnia hic recensebimus.

As, vel Assis, vncias continet	12
Deunx	11
Dextans, seu Decunx	10
Dodrans	9
Bes	8
Septunx	7
Semissis	6
Quincunx	5
Triens	4
Quadrans	3
Sextans	2
Vncia	1

T.

In T, Neutra sunt, vt:

Hoc

Hoc Caput.

Hoc Occiput, quod & Occipitium dicunt. Eſt autem poſterior capitis pars iuxta Catonis Apophthegma, [lib. 1. cap. 4. de re ruſt.] Frons occipitio prior eſt, id eſt, præſentia domini plurimum prodeſt.

Hoc Sinciput, pars, qua ſe frons ad verticem tollit, Græce βρέγμα.

AX.

In AX Latina, Fœminina ſunt, vt:

Hæc Fax, Hæc Pax, Hæc Fornax.

Græca fere Maſculina ſunt, vt: *Hic Abax, Thorax, Limax, Styrax, Arctophilax, &c.*

EX.

I. In EX Monoſyllaba, & item polyſyllaba, Fœminina ſunt, vt:

Hæc Fex, Hæc Lex Hæc Suppellex.

Maſculina ſunt, *Hic Rex & Grex.*

II. In EX diſſyllaba, Maſculina ſunt, vt:

Hic Codex, quod veteres etiam Caudex dixerunt: Hic Frutex, Latex, Pollex, Ramex. Plautus, [in Pœnulo.] Tua cauſſa nemo noſtrum rupturus eſt ſuos ramices, &c.

Excipe primo, quæ Fœminina ſunt: *Hæc Carex, Virg. [3. Georg.] Et carice paſtus acuta. Hæc Vibex, Perſius, [ſat. 4.] Si puteal multa*

cautus

cautus vibice flagellas. *Hæc Forpex, Forfex.* *Et quæ ex generalibus regulis nota quoque sunt: Pellex & Ilex.*

III. Hæc Communia.

Exlex, Illex, Iudex,
Index, Vindex.

Et quæ inter Dubia habentur: *Cortex, Imbrex, Obex, Pumex, & Silex.*

Apud Plautum in Casina. * Eho tu nihili
* *etiam cana culex legitur.* cana culex.

Aliàs culex vbique Masculinum est, *vt in Epigrammate;*

Parue culex, pecudum custos, &c.

IX.

In IX dissyllaba Masculina fere sunt, vt: *Hic Calix, Hic Fornix.* [*Iuuenal. sat.* 3.] *Lenonum pueri quocunq; in fornice nati.*

Hic Natrix pro serpente. [*Lucan. lib.* 9]
Et natrix violator aquæ, &c.

Hic Varix Horatius:
Varice succiso, &c.

Hic Spadix, Phœnix, Histrix, &c.

Excipiuntur hæc: *Cornix, Ceruix, Lodix, Radix, Filix.* *Virg.* [2 *Georg.*]
Et filicem curuis inuisam pascit aratris.

Item:

Hæc Pristix, piscis nomen, quod & Pristis dicitur,

citur, à πρίζειν, hoc eſt, ſecando, quod fluctus ſecet natando, Cicero in Arato:

Andromedam tamen explorans fera quærere priſtix Pergit, &c.

Hæc Perdix, quod tamen & Maſculino genere vſurpatum reperitur. Stat. 2. Syluar. [*de Pſittaco melioris.*]

Quiq; refert iungens iterata vocabula perdix.

Sed fœmininum vſitatius eſt. Martial. [*lib. 3. epig. 76.*] *Ruſtica ſum perdix, &c.*

Et quæ ad generales regulas pertinent.

Hæc Salix, Larix, Matrix & ſimilia.

*Maſtyx, pro flagello, apud Homerum * Fœminino genere vſurpatur. Compoſitum autem Homeromaſtix ex regula generali Maſculinum redditur.*

* Ιλ. κ. ἐπεὶ οὐ μάστιγα φαεινὴν Ποικίλης ἐκ δίφροιο νοήσατο χερσὶν ἑλέσθαι.

Cætera in IX, tam monoſyllaba, quam polyſyllaba, Fœminina ſunt, vt:

Hæc Nix, Pix, Strix.
Hæc Cicatrix, Coxendix, Appendix, &c.

YX.

In YX per ypſilon finientia, Maſculina fere ſunt, vt:

Hic Bombyx, Sandyx, Oryx animal, † quod μόνιος alio nomine Græcis dicitur, vt ex Plinio apparet.

† Lib. 8. cap. 53. Sunt & Oryges, ſoli qui-

li quibuſdam dicti contrario pilo veſtiti, & ad caput verſo.

Excipitur Styx, *quod Fœmininum eſt, &* *Narix, vrbis nomen*, quod ad regulam generalem pertinet.

Onyx, pro gemma, Maſculinum eſt, Martialis [*lib.* 12. *ep.* 50.]

Calcatuſq; tuo ſub pede lucet Onyx.

Pro vaſe autem vnguentario, vtroq; genere legitur. *Idem :* [*lib.* 7. *epig.* 93.]

Vnguentum fuerat, quod Onyx modo parua gerebat. *Propertius,* [*lib.* 3. *eleg.* 10.]

Et crocino nares Murrheus vngat Onyx.

Quo pacto & Sardonyx vſurpatur. *Iuuenalis,* [*ſat.* 6.]

In manibus denſi radiant teſtudine tota,
Sardonyches, &c. *Perſ.* [*ſat.* 1.]

Et natalitia tandem cum Sardonyche albus.

OX.

In OX, Fœminina ſunt, vt :

Hæc Nox, *Vox,* *Celox.*

VX.

In V X, Fœminina ſunt, vt :

Hæc Lux, *Hæc Nux,* *Hæc Faux.*

Dux & Coniux, communia ſunt.

Crux, inter dubia refertur * *ſed Fœmininum vſitatius*

* A Nonio Marcell. qui exemplum eſt

est apud Idoneos autores. Masculini ex libro II. Annal. Ennii adducit : Malo cruce fatur, vt des Iuppiter.

LX. NX. RX.

Quæ consonantem ante X habent, quacunque vocali præcedente, Fœminina sunt, vt :

Hæc Falx, Hæc Lanx, Hæc Arx, Hæc Sphynx, Hæc Phalanx, hæc Meninx, panniculus cerebri, apud Aristotelem † & Pollucem.

† Lib. 1. de Hist. animal. cap. 26. ἐστὶ δ' ἡ μῆνιγξ, ὑμὴν δερματικὸς, ὁ περιέχων τὸν ἐγκέφαλον. Pollux lib. 2. περιειλήφασι δὲ αὐτὸν (ἐγκέφαλον) μήνιγγες δύο. ἡ μὲν ἔνδοθεν, ἐρυθροτέρα. ἡ δὲ ἔξωθεν, στερεωτέρα.

Hæc Syrinx, fistula & Nymphæ nomen, apud Ouidium, [*lib. 1. Metam.*]

EXCIPIVNTVR.

Partes Assis, vt : Quincunx, Septunx, Deunx, quæ Masculina sunt.

Coniunx, quod & coniux scribitur, commune.

Calx & Lynx, quæ inter dubia recensentur, quanquam Calx pro calcaneo, & pro materia Fœminino genere vsitatius effertur, Lyncis autem exempla habes apud Horatium, [*lib. 2. Car. Od.13.*]

Aut timidos agitare lynces.

Et apud Virg. [*1. Aeneid.*]

Maculosæ tegmine lyncis.

Adiectiua quæcunque in X, vel in duas consonantes exeunt, sub vna voce tria genera continent, vt:

Hic & Hæc & Hoc Audax, Loquax, Sons, Insons, Concors, Discors, & similia.

NVMERI.

Numeri nominum duo sunt:

Singularis	*vt:*	*Hic Cæsar*
Pluralis	*vt:*	*Hi Cæsares.*

Quidam subtiliter disputant, propria nomina carere plurali numero, quia fere proprium nomen illud est, quod non significat multos: Sed tamen vsus tribuit eis pluralem, cum Scipiones, Fabios, Metellos, &c. dicimus.

FIGVRAE.

Figuræ item duæ sunt:

Simplex	*vt:*	*Aptus.*
Composita	*vt:*	*Ineptus.*

Addidere quidam * *& Decompositam, quam tribuerunt nominibus, quæ a compositis aliis nascuntur, vt sunt: Experientia, Suffragium, ab Experior, & Suffragor. Iniusticia, Insatiabilitas, ab Iniustus & Insatiabilis.*

* Vide Prisc. in 5. de figur. nomin.

Sunt

Sunt autem hic obſeruandæ adoleſcentibus literarum mutationes, vt: *Amicus, Inimicus, Aptus, Ineptus, Salſus, Inſulſus, &c. Quæ quia in verbis frequentiores quam in nominibus accidunt, de iis infra* † *copioſius agemus.*

† De Figuris verborum.

CASVS.

Caſus nominum ſunt ſex:

Nominatiuus, prima vox eſt, qua nominamus rem.

Genitiuus, non qui caſus gignat, ſed quod eo vtantur interrogati, cuius vel originis, vel poſſeſſoris res ſit, vt: *Cuius eſt hic Liber? Ciceronis. Cuius eſt filius Africanus? Pauli Aemilij?* Vnde idem & patrius caſus dicitur.

Datiuus, quo vtimur attribuendo aliquid cuipiam.

Accuſatiuus, quo vtimur, cum perſonam aut rem verbo ſubiicimus, *vt. Lego Virgilium.*

Vocatiuus, quo vocamus.

Ablatiuus, quo vtimur, cum auferri aliquid ſignificamus. *Eſtq; hic caſus Latinis proprius. Græci enim Ablatiuum non habent. Ideo Grammatici nonnunquam Latinum caſum vocant.* Idem etiam caſus ſeptimus à Diomede, [*lib.* 1.] appellatur, quando aut ab-

solute ponitur, vt: [*Aen.* 2.] *Fit sonitus spumante salo.* Aut alias sine præpositione effertur, vt: [*Virg. Eclog.* 9.] *Cornu ferit ille caueto.*

DECLINATIONES.

Declinationes nominum sunt quinq;.

PRIMA DECLINATIO.

Prima declinatio complectitur quatuor terminationes, A, AS, ES, & E. *Porro Græca sunt omnia, quæ AS, ES, aut E finiunt, veteresq; per A, ea efferebant, *dicebantq; pro Anchises, Anchisa, perinde vt pro Demeas Demea, pro Chæreas Chærea.*

* Vide Fab. lib. 1. ca. 9. Prisc. in 6.

PARADIGMA.

Singulare.		Plurale.	
Hæc	*Musa*	*Hæ*	*Musæ*
Huius	*Musæ*	*Harum*	*Musarum*
Huic	*Musæ*	*His*	*Musis*
Hanc	*Musam*	*Has*	*Musas*
O	*Musa*	*O*	*Musæ*
ab hac	*Musa*	*ab his*	*Musis*

Ex his casibus quidam figuram admittunt: *Nam Virgilius Diphthongum quæ est in Genitiuis diuisit, cum inquit:* [*Aen.* 3.]

Aulai

Aulai in medio, &c. *Et, [Aen. 9.]*
Pictai vestis, &c. *Item, [lib. 7.*
Vis Aquai. *Aeneid.]*

Priscum est, *quod & Prisc. [lib. 6.] annotauit,* genitiuos singulares nominum purorum in A, per AS exire, *vt hæc Maia, huius Maias, pro Maiæ.* Et constat hæc Græcorum imitatione fieri. *Atque inde Genitiuus Familias, pro Familiæ, remansit in his nominibus: Paterfamiliâs, Materfamiliâs, Filiusfamiliâs, &c.*

Virgilius autem etiam Aurâs, pro Auræ, Genitiuo fecit, [lib. 11. Aen.] vt:

Nihil ipsa nec aurâs, Nec sonitus memor.

Et Genitiuo plurali nonnunquam Syncope admittitur, vt: *Terrigenûm, pro Terrigenarum. Troiugenûm, pro Troiugenarum. Idq; fere in compositis tantum accidit.*

Variant & Datiui plurales. Nam veteres pleraque discriminis caussa per abus, * protulerunt, vt: *Eabus Fœminino genere, pro Eis.*

* Valla libro 1. cap. 1.

Hodie reliqua sunt ex hac forma: Filiabus, Natabus, Deabus, Libertabus, Equabus, Mulabus, Duabus, Ambabus, quorum Nominatiui hoc versiculo comprehenduntur:

Filia, Nata, Dea, Liberta, Equa, Mula, Duæ, Ambæ.

Sunt qui & Dominabus dicant, & Animabus, sed nescio an vllo veterum idoneo exemplo, Nam

*contra reperimus etiam Natis * & Filijs, † pro Natabus & Filiabus, veteres dixisse.*

* Ouid. 13. Met. Euboea duabus, & totidem natis Andros fraterna petita est.

† Plautus in Sticho: Ibo intro, & gratulabor vestrum aduentum filiis.

Quæ ES aut AS finiunt, Græcam formam imitantur, vt:

PARADIGMA.

Hic	*Anchises*	*Aeneas*
Huius	*Anchisæ*	*Aeneæ*
Huic	*Anchisæ*	*Aeneæ*
Hunc	*Anchisen*	*Aeneam & Aenean*
O	*Anchise*	*Aenea*
ab hoc	*Anchise*	*Aenea. Virg. 4. Aen.*

Dominum Aenean in regna recepit.

Cuiusmodi accusatiuos etiam ea quæ in A desinunt, Græca faciunt, idque interim A correpta, vt:

Maian & Electram, Taygetamq; Ioui. Ouidius, [lib. 4. Fast.] Et Statius 7. Theb.

Namq; ferunt raptam patrijs Aeginan ab vndis.

In E desinentium, prorsus Græca declinatio est singulari numero, vt:

Hæc	*Epitome*	*Latine hæc Epitoma.*
Huius	*Epitomes*	*Sic & Pentecoste,*
Huic	*Epitomæ*	*hoc est, Quinquagesi-*
Hanc	*Epitomen*	*ma. Euterpe, Para-*
O	*Epitome*	*sceue, & similia.*
ab hac	*Epitome.*	*Plu-*

Plurali autem Latinam formam ſequuntur, vt:

Hæ	*Epitomæ*
Harum	*Epitomarum*
His	*Epitomis*
Has	*Epitomas*
O	*Epitomæ*
ab his	*Epitomis.*

SECVNDA DECLINATIO.

In ſecundam declinationem retulerunt Latini nomina, quæ finiunt:

ER	*vt*	*Gener*
IR	*vt*	*Vir*
VR	*vt*	*Satur*
VM	*vt*	*Scamnum*
VS	*vt*	*Dominus*
EVS	*vt*	*Orpheus.*

Eſtq; hæc Græca terminatio, cæteræ Latinæ ſunt.

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hic Dominus	*Hi Domini*
Huius Domini	*Horum Dominorum*
Huic Domino	*His Dominis*
Hunc Dominum	*Hos Dominos*
O Domine	*O Domini*

Ab hoc Domino *Ab his Dominis.*

Hoc Paradigma regulare est, quo fines casuum singulorum indicantur.

Cæterum numero syllabarum quædam nomina variant. *Alia enim superant Nominatiuum in reliquis casibus. Alia totidem in obliquis habent, quot syllabis constat Nominatiuus.*

Superant Nominatiuum syllabarum numero, quæ VR, IR, aut EVS finiunt, vt:

Satur	*Saturi,*	*Treuir*	*Treuiri,*
Orpheus	*Orphei, &c.*		

Pares cum Nominatiuo syllabas habent, quæ VS, aut VM, finiunt, vt:

Dominus	*Domini,*	*Templum*	*Templi.*

Exceptis *Unus, Ullus, Nullus, Solus, Totus. & Alius,* quæ Genitiuum per IVS, Datiuum per I-pronominum more faciunt, vt:

Unus	*Unius*	*Uni, &c.*	*Sic & Fœ-*
Ullus	*Ullius*	*Ulli*	*minina &*
Nullus	*Nullius*	*Nulli*	*Neutra quo*
Solus	*Solius*	*Soli*	*que.*
Totus	*Totius*	*Toti*	
Alius	*Alius media longa,*	*Alij.*	

Cæsar [in Anti. Canone priore.]

Uno excepto, quem aliusmodi, atque omnis natura finxit, quisque suos habet caros.

Quibus similia sunt, &:

Uter *Utrius* *Utri, &c.*

Alter *Alterius* (quod solum I, ante VS,

VS, breue habet) *Alter* Et:

Neuter, quod Neutrius & Neutri, Genitiuo casu facit. Quanquam etiam ex superioribus quædam apud vetustissimos secundum regulam declinata reperias, vt apud Terentium, [In And. act. 3. scen. 5.] Nulli consili, pro Nullius, & [in Eunuch. act. 5. scen 7.] Mihi solæ ridiculo fuit pro soli, &c. De qua re Priscianus lib. 6. & lib. 13. [capit. de 2. declinatione Pronominis.]

Illa vero quæ in ER desinunt, partim crescunt in obliquis, partim non.

REGVLA I.

In quibus ER præcedit muta, Genitiui pares cum Nominatiuo syllabas habent, vt:

Faber, Fabri. *Cancer, Cancri.*
Vafer, Vafri. *Ager, Agri.*
Aper, Apri. *Auster, Austri.*

EXCIPE.

Liber, Liberi, pro Baccho.

Liber, Liberi, adiectiuum & plurale Liberi, pro filijs siue natis. Nam substantiuum Liber, pro cortice seu volumine, Libri facit.

* Gell. libro 2. cap. 13. Vall. lib. 3. eleg. cap. 7.

Item:

Socer, Soceri. *Lacer, Laceri.*
Asper, Asperi. *Prosper, Prosperi.*

Adulter, Adulteri. Presbyter, Presbyteri.
Quod mutilatum est à Græco πρεσβύτερος, *id est, senior.*

Et à Gero & Fero composita, vt:
Lucifer, Luciferi. Falcifer, Falciferi.
Armiger, Armigeri. Corniger, Cornigeri.
Iber, Iberis, tertia declinatione, & Iber, Iberi, secunda dicitur. Priscianus [lib. 6.] hanc differentiam facit, vt Iber, Iberi, de Hispaniæ populo intelligatur, vnde & Celtiber compositum venit. Iber autem Iberis, de ea gente quæ ad Pontum habitauit.

Dicitur & Iberus, eri, quod fluuij nomen est, vt apud Lucan. lib. 4.
Qui præstat terris, aufert tibi nomen, Iberus.

*Quo pacto & Liuius [lib. 1. dec. 3. amnem Iberum dixit. * & Virgilius [9 Aen.] adiectiue vsurpauit, cum inquit*
Pictus acu chlamydem & ferrugine clarus Ibera.

* Vt finis vtriusque imperii esset amnis Iberus.

Sequester item, secundæ pariter & tertiæ declinationis reperitur. Cic. in 2. Verrin. Aut sequestres, aut interpretes iudicij, &c. Plautus [in Vidular. citante Prisc. lib. 6.]

Ego seruabo, quasi sequestro detis, Neutri reddibo, donicum res iudicata erit. [hæc] *Est tamen secundæ frequentius. Atque hinc Virgilius [11. Aen.] quoque dixit: Pace sequestra.*

At Mulciber, quod quidam huc addunt, tertiæ declina-

declinationis est, vt apud Ouidium, [*in* 2. *de arte amandi.*]

Mulciberis capti Marsq; Venusq; dolis. Sic enim & Priscianus legit [*in* 6.]

Dexter, Dextri facit & Dexteri. Inde deriuantur Dexterior & Dexteritas.

De Neuter, Vter, & Alter, supra dictum est, Compositum Alterutet, simplicis rationem sequitur.

II.

Quæ aliam quam mutam habent ante E R, crescunt Genitiuis, vt:

Miser, Miseri. Tener, Teneri.
Gener, Generi.

Obseruabis autem etiam circa Genitiuos nominum in EVS, interdum Synæresin fieri, & E & I, in vnam syllabam contractis, vt *apud Ouidium,* [*6. Fast.*] *Iniuria Thesĕi pro Thesei.*

Cuius formæ Genitiui sunt & Vlissĕi & Achillĕi apud Poëtas, vt apud Virgil. [*2. Aen.*]

Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuuias indutus Achillĕi.

Nam veteres declinauerunt Achilleus, sicut Orpheus, * *Vnde fit Genitiuus Achillei, quatuor syllabarum, & per contractionem Achillĕi, trisyllabum.*

* Fecerunt enim nomina in EVS, trisyllaba & quatuor syllabarum, vt au-

vt aureus, argenteus, quod & Fabius indicat lib. 1. cap. 9. Sæpius inquit, in Græcis nominibus accidit, vt Atreus, quem nobis iuuenibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant, vt necessario secunda grauis esset. Item, Terei, Nereique.

Estq; in his & similibus obliquis, nominum in EVS, E, natura breue: *tametsi id Poëtæ secuti Græcam consuetudinem, (sunt enim omnia in EVS Græca) alicubi produxerint, vt:*

Idomenea ducem. [*Virg. Aen.* 3.]

Ilionea petit, &c. apud Virgilium, [1. *Aen.*]

Nam Græci ex ἰδομενέα, ἰδομενῆα, *ex* ἰλιονέα, ἰλιονῆα *faciunt.*

Sunt & Græci Genitiui Atticæ declinationis in O, quibus Poëtæ vsi sunt, vt Virgil. [6. *Aen.*]

In foribus lethum Androgeo, &c. Sic enim declinant: ὁ ἀνδρόγεως, τοῦ ἀνδρόγεω, *&c. Sed Græca ex suis autoribus petenda sunt.*

DE DATIVO ET ABLATIVO.

O finiunt Datiui Latini in hoc ordine omnes, vt:

Dominus, Domini, Domino. Sic Orpheus, Orphei, Orpheo. Nam quod Virgilius Datiuo casu dixit, [4. *Eclog.*]

Orphei Calliopea Lino formosus Apollo,

Græcum plane est, & ex ὀρφέϊ, ὀρφεῖ *contractum.*

Illa vero, quorum Genitiui in IVS exeunt, Datiuos in I faciunt, vt: *Vnus, Vnius, Vni, &c. vt supra Pag. 86.*

DE AC-

DE ACCVSATIVO.

Accuſatiui terminatio V M eſt, vt: *Dominus, Dominum. Vir, Virum.*

Sed ab E V S per A, Accuſatiuos faciunt, vt:

Orpheus, Orphea. * *Ilioneus, Ilionea.*

* Virg. Eclog. [Orpheaque in medio poſuit, ſiluaſque ſequentes.

O N Græca terminatio eſt, eorum nominum, quæ O Latine in V vertunt, vt: *Ilion, ab Ilium. Pelion, à Pelium. Rhodon, à Rhodus: Horat. [lib. 1. Carm. Od. 7.]*

Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenen.

Neutra Accuſatiuum Nominatiuo ſimilem faciunt, vt:

Hoc Vulgus, Pelagus. Inuenias tamen & Vulgum Accuſatiuo caſu, vt Aeneid. 2. Spargere voces In Vulgum ambiguas, & quærere conſcius arma. Et Curtius lib. 8. Orta ſeditio in diuerſa conſilia deduxerat vulgum. †

† Sic Pelagum quo Accuſatiuo vſus eſt Valer. Flacc. lib. 1. Argo: Pelagum quantos aperimus in vſus.

DE VOCATIVO.

Ab ER, IR, VR, & VM, Vocatiui ſimiles ſunt Nominatiuis, vt:

ô Sacer, ô Vir, ô Satur, ô Templum.

Inuenias tamen Euandre * * XI. Aen. At

& Thym

& Thymbre apud Virgilium, * *sed ea Græca sunt, ab ὕανδρος, θύμβρος.*

non Euandre pudendis Vulneribus pulsum aspicies.

* X. Aeneid.

Nam tibi Thymbre caput Euandrius abstulit ensis.

Ab V S, fit Vocatiuus per E, vt:

Dominus, Domine. *Bacchus, Bacche.*

Est tamen vbi Nominatiuum pro Vocatiuo, siue metri, *vt Priscianus ait,* [*lib. 7. de Vocatiuo singulari secundæ declinat.*] siue Euphoniæ gratia, vsurparunt Poëtæ, *vt Virgil.* [*8. Aeneid.*]

Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum.

Et Lucan. [*lib. 2.*] *Degener ô populus.*

Sic ô Vulgus, ô Pelagus, quoniam neutra sunt. Sic ô Deus, & alia pleraque dicuntur, quæ vsus docebit.

Propria autem in I V S, per I faciunt Vocatiuos, † vt:

† Quos per Apocopen literæ E factos esse volunt. Vide Seruium in illud Virgilii. 1. Aeneid. Timorem leniit, & Gell. lib. 14. cap. 5.

ô Virgili, ô Valeri, Pompei, penultima acuta.

In appellatiuis hoc non seruatur, præterquam in vno, *scilicet, ô Fili, a Filius. Vetustissimi autem & hoc, & propria illa in E, terminabant. De qua re Priscianus lib. 7.* [*de Vocatiuo singulari secundæ declinat.*]

Ab E V S, Vocatiuus per E V fit, vt:

Orpheus *Orpheu.*

Sunt & quædam contracta Græca, quæ per V

Vocatiuos

Vocatiuos faciunt, vt: Panthous & Panthûs, ô Panthû. Virg. [2. Aeneid.]

Quo res summa loco Panthû? quam prendimus arcem.

NOMINATIVVS PLVRALIS.

Masculina & Fœminina per I, Nominatiuos & Vocatiuos plurales faciunt, vt:

Hi & ô Domini, Lupi, &c.

Neutra omnia, vt & in alijs declinationibus per A, Nominatiuos, Accusatiuos & Vocatiuos formant, vt:

Hæc Scamna, Gymnasia.

GENITIVVS.

Genitiuus pluralis per ORVM finit, vt:

Dominorum Luporum.

*Sed interdum Syncope syllabam subtrahit, vt pro Deorum Deûm. Pro Virorum Virûm, Poëtæ his frequentius vtuntur. Sed tamen & in soluta oratione iam receptum est, * Mille nummûm pro nummorum. Et Sestertiûm pro Sestertiorum.*

* Vide Seruium in illud Virg. Aen. 2. Huc delecta virum sortiti corpora, &c. Priscianus lib. 7. de Genitiuo plurali secundæ declinationis.

DATIVVS ET ABLATIVVS.

Dati-

Datiuus & Ablatiuus nusquam variant præterquam in vocibus * Ambo & Duo, quæ Datiuo & Ablatiuo casu Ambobus, Duobus, dicuntur.

* Item in nominibus festorum, quæ Datiuũ & Ablatiuum per BVS faciunt, vt ab his Saturnalibus, &c.

DE TERTIA DEclinatione.

Tertio ordine declinantur nomina, quæ finiunt: A E I O C L N R S T X.

FORMVLAE CASVVM.

Singulariter.	Pluraliter.
	Nominatiuus E S, vel A, si Neutra sunt.
Genitiuus IS.	*Genit. VM vel IVM.*
Datiuus I.	*Datiuus BVS.*
Accus. EM vel IM.	*Accusat. & Vocat. similes Nominatiuo sunt.*
Vocatiuus similis Nominatiuo est.	
Ablatiuus E vel I	*Ablatiuus similis Datiuo.*

In hac declinatione. quia Genitiuus alias numero syllabarum superat Nominatiuum, alias par est in vtroq; syllabarum numerus. Formatio Genitiui paulo difficilior est, sed tamen ex Paradigmatis facile cognoscetur, quare eius casus formationem

nem æstimandam ab exemplis relinquemus.

A.

In A, quæ Neutra sunt & Græca, omnia Genitiuum formant assumta syllaba TIS, vt:

Poëma Poëmatis. Tragema Tragematis.
Carcinoma Carcinomatis.

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hoc Poëma	*Hæc Poëmata*
huius Poëmatis	*horum Poëmatum*
huic Poëmati	*his Poëmatibus*
hoc Poëma	*hæc Poëmata*
ô Poëma	*ô Poëmata*
ab hoc Poëmate	*ab his Poëmatibus.*

Datiuos & Ablatiuos plurales in hac terminatione Latini etiam faciunt per TIS, vt: * *Poëmatis pro Poëmatibus, Epigrammatis, pro Epigrammatibus, idq; vsu receptum est. Veteres autem huiusmodi nomina etiam prima declinatione declinarunt, vt: Hæc Schema, huius Schemæ, apud Plautum,* [*in Prolog. Amphit.*] *cuius ex-*

* Veteres enim hæc iuxta Latinam formam in 2. ordine declinabant, addita ad Nominatiuum syllaba Tum, vt esset, hoc Poëmatum, &c. teste Celso apud Prisc. in 7. de Datiuo & Ablatiuo plurali

exemplum supra citauimus. [*Pag.* 38.]

tertiæ declinationis.

E.

In E Neutra, faciunt Genitiuos, E in IS conuersa, vt:

Cubile Cubilis. *Ouile Ouilis.*

PARADIGMA:

Singulare.	Plurale.
Hoc Cubile	*Hæc Cubilia*
huius Cubilis	*horum Cubilium*
huic Cubili	*his Cubilibus*
hoc Cubile	*hæc Cubilia*
ô Cubile	*ô Cubilia*
ab hoc Cubili.	*ab his Cubilibus.*

Hæc Præsepes, huius Præsepis veteres * *dixere. Nunc hoc Præsepe dicimus, & in singulari* ἄπτωτον *esse fere sentiunt. Pluraliter autem Præsepia & Præsepibus habet.*

* Plaut. in Curcul. reciperet se huc esum ad præsepim suam. Vbi Nonius tamen præsepiam legit. Sic Cato de re rust. c. 4. Pręsepes bonas dixit.

Virgilius, [4. *Georg. &* 1. *Aeneid.*]

Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.

Et Columell. [*lib. 6. cap.* 2.]

In stabulo sint ampla præsepia.

Et Gausape, in singulari aptoton est. Persius pluraliter dixit Gausapa, quod tamen à Nominatiuo

tiuo Gausapum, volunt esse, Persius, [*satyr.* 6.]
Iam chlamydes regum, iam lutea gausapa captas.

Cæpe, genere Neutro indeclinabiliter vtuntur aliquando autores, Iuuenal.* [*sat.* 15.] *Sic Pers. sat. 4. Tunicatum cæpe.
Porrum & Cæpe nefas morsu violare, &c.

Sed tamen vsitatius est: Hæc Cæpa, huius Cæpæ, &c. Et hæ Cæpæ Cæparum, Ouid. [3. *Fast.*]
Cædenda est hortis eruta cæpa meis.

I.

In I, aptota sunt, vt:
Gummi, Sinapi, suntq; fere peregrina. Inuenies tamen & Sinapis, Nominatiuo casu positum, vt apud Columellam, [*lib.* 10. *de cultu hortorum.*]
Et fletum factura sinapis.

O.

Quæ D O vel G O finiun*t*, Fœminina, Genitiuos faciunt, O in I mutata, & adiecta syllaba N I S, vt:

Hæc Hirundo	*huius Hirundinis.*
Hæc Alcedo	*huius Alcedinis.*

Sic enim & Priscianus [*lib.* 6.] *declinat, tametsi deriuatum Alcedonia O retinet.*

Hæc Siligo	*huius Siliginis.*
Hæc Imago	*huius Imaginis.*

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hæc Imago	*Hæ Imagines*
huius Imaginis	*harum Imaginum*
huic Imagini	*his Imaginibus*
hanc Imaginem	*has Imagines*
ô Imago	*ô Imagines*
ab hac Imagine.	*ab his Imaginibus.*

His ſimilia ſunt : *Ordo, Ordinis. Cardo, Cardinis. Margo, Marginis.*

Cupido, quod Cupidinis facit, tam proprium quàm appellatiuum.

Cætera in O deſinentia, pleraq; O retinent in obliquis, & Genitiuum aſſumta NIS, faciunt, vt:

Legio	*Legionis*
Ardelio	*Ardelionis.*
Ligo	*Ligonis.*
Prædo	*Prædonis.*

Sic & ab Edo composita, vt Vnedo, Vnedonis. Comedo, Comedonis, &c. * *Lucil. [sat. lib. 5.] Viuite Lurcones, comedones, viuite ventres.*

*Non. Marcell. in verbo Lurcones,

PARADIGMA.

Singulare.		Plurale.
Hic Ardelio		*Hi Ardeliones*
huius Ardelionis	*O longum*	*horũ Ardelionum*

huic

huic Ardelioni	*est præter-*	*his Ardelionibus*
hunc Ardelionem	*quam in*	*hos Ardeliones*
ô Ardelio	*gentilibus*	*ô Ardeliones*
ab hoc Ardelione	*vt sunt:*	*ab his Ardelio-*
	Macedo	*(nibus.*
	nis, Vangionis, &c.	

Excipiuntur, Homo Hominis, quod tamen vetustissimi etiam Homonis dixerunt, vt Ennius: Vulturis in siluis miserum mandebat homonem.

Nemo, Neminis. Plaut. in cap. Neminis misereri certum est, quia mei nemo miseret.

Turbo Turbinis Cum dicitur de vi ventorũ. Nam Turbo, Turbonis, proprium gladiatoris est, apud Horat. lib. 2. serm. sat. 3.

Anio Anienis, Fluuij nomen, Nam antiquissimi etiam Anien, Nominatiuo casu dixerunt. † *Ouidius* [*lib.* 14. Metamorph.]

Aut Anienis aquæ, cursuque breuissimus Almo.

† Stat. 1. siluar. De balneo Etrusci: Quas preceps Anien mutat, &c. Ennius tamen Anienem dixit iuxta regulam, teste Seruio in illud Virgil. 7. Aeneid. Gelidumque Anienem, &c.

Et Caro, quod Carnis facit, quia olim & Nominatiuus huius Carnis fuit, vt Priscianus indicat, [*lib.*6. *& lib.* 7. *de Genitiuo tertiæ declinat.*]

Pondo, Neutrum est, indeclinabile, singularis & pluralis numeri, vt supra docuimus. [*pag.* 41.]

III. Propria in O, Fœminina, regulariter Latini declinant:

Hæc Iuno, huius Iunonis, huic Iunoni, &c.

Veteres * etiam Græca in O, eodem modo declinarunt, vt: *Hæc Sappho, Sapphonis.* Verum vsus obtinuit, vt Græca declinatione Græca flectantur, vt:

* C. Cæsar secutus antiquos, vsus est hac declinatione, vt indicat Fabius lib. 1. cap. 9.

Hæc Sappho		ἡ σαπφώ
huius Sapphûs		τῆς σαπφόος
huic Sapphô	*Grece*	τῇ σαπφοῖ
hanc Sapphô		τὴν σαπφῶ
ô Sappho		ὦ σαπφώ
ab hac Sappho.		

C.

In C duo sunt, Hoc Lac, & hoc Halec. Declinantur autem hoc modo:

Hoc Lac		*Hoc Halec*

* In Menœchmis: Nec aqua aquæ: nec lacte lacti, crede mihi, vsquam similius, quam hic tui est, &c. In Bacchidibus autem Masculino vsus est: Quæ nec lactem, nec lanam vllam habent.

huius Lactis	*Plaut.* * *&*	*huius Halecis*
huic Lacti	*Hoc Lacte*	*huic Haleci*
hoc Lac	*Nominati-*	*hoc Halec*
ô Lac	*uo casu di-*	*ô Halec*
ab hoc Lacte.	*xit.*	*ab hoc Halece.*
Plurale desideratur, Nam Lactes plurale est, à Nominatiuo Lactis.		*Desideratur et hic plurale.*

AL.

In AL

In AL, IS, adijciunt Nominatiuo habentq; longas penultimas.

Animal *Animalis.*

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hoc Vectigal	*Hæc Vectigalia*
huius Vectigalis	*horum Vectigali um*
huic Vectigali	*his Vectigalibus*
hoc Vectigal	*hæc Vectigalia*
ô Vectigal	*ô Vectigalia*
ab hoc Vectigali.	*ab his Vectigalibus.*

Sal, Salis, priorem breuem habet, Catullus, [*epig.* 80.]

Non est in toto corpore mica salis.

Sic & peregrina, vt: *Annibal, Annibalis. Adherbal, Adherbalis, &c.*

EL.

In EL, duo sunt, Mel & Fel, Declinantur sic:

Hoc Mel	*Hoc Fel*
huius Mellis	*huius Fellis*
huic Melli	*huic Felli*
hoc Mel	*hoc Fel*
ô Mel	*ô Fel*
ab hoc Melle	*ab hoc Felle.*

Pluraliter.

hæc Mella | *Hoc pluralibus casibus prorsus omnibus caret.*
Genitiuus, Datiuus, & Ablatiuus desiderantur.

De peregrinis nihil attinet præcipere, vsus fecit

Daniel *Danielis*
Michaël *Michaëlis, &c.* penultima longa.

IL.

In IL, IS adijciunt Nominatiuo, vt:
Vigil Vigilis. *Mugil Mugilis.*

PARADIGMA.

Singulare	Plurale.
Hic Pugil	*Hi Pugiles*
huius Pugilis	*horum Pugilum*
huic Pugili	*his Pugilibus*
hunc Pugilem	*hos Pugiles*
ô Pugil	*ô Pugiles*
ab hoc Pugile.	*ab his Pugilibus.*

Nihil, quod & per contractionem Nil dicitur, indeclinabile est.

OL.

In OL vnicum est Latinum, Sol, quod declinatur hoc modo:

Hic Sol & *Hi Soles*
huius Solis *his Solibus, cum abusiue*
huic

huic Soli
hunc Solem
ô Sol
ab hoc Sole.

pro die accipitur, vt : [Eclog. 9. Virg.] Sæpe ego longos Cantando puerum memini me condere soles.

V L.

In V L, Genitiuum per V L I S faciunt, vt : *Hic Consul, Consulis, penultima breui.*

EXEMPLVM.

Singulare.	Plurale.
Hic Consul	*Hi Consules*
huius Consulis	*horum Consulum*
huic Consuli	*his Consulibus*
hunc Consulem	*hos Consules*
ô Consul	*ô Consules*
ab hoc Consule.	*ab his Consulibus.*

A M.

In A M vnum eſt, Nequam, quod ἄκλιτον eſt.

E M.

Tantundem, generis Neutri, ſolum Genitiuum de ſe parit, tantidem penultima longa.

Totidem plurale, generis Omnis, ἄκλιτον eſt.

A N.

In A N Græca sunt omnia, & I S Nominatiuo apponunt, *vt Pæan, Pæanis. Titan, Titânis, &c.*

PARADIGMA.

Singulare.		Plurale.
Hic Pæan		*Hi Pæanes*
huius Pæanis		*horum Pæanum*
huic Pæani		*his Pæanibus*
hunc Pæana,	*vt [Virg.*	*hos Pæanes*
ô Pæan	*lib. 6.*	*ô Pæanes*
ab hoc Pæane.	*Aen.]*	*ab his Pæanibus.*

Lætum Pæana canentes.

*Pan, Panos Genitiuo facit Græca terminatione, idq; differentiæ caussa.**

* Vt discernatur à Genitiuo Panis.

Notat hoc loco Priscianus [lib. 9.] & Euan, quod vt ipsi placet, Genitiuum Euantis facit, vt apud Virgilium, Illa chorum simulans Euantis orgia circum Ducebat, &c. [Aen. 6.] Sed ego pro Participio Euantis hic accipio, cuius singulare foret Euans, idq; etiam quantitas syllabæ postulat, vt sit Euanteis, pro Euantes, antiqua diphthongo dictum, quod & Seruio probatur.

EN.

In E N Latina, I S adijciunt Nominatiuo & E in I mutant, vt:

Lumen,

Lumen, Luminis. *Numen, Numinis.*

EXEMPLVM.

Singulariter.	Pluraliter.
Hoc Numen	*Hæc Numina*
huius Numinis	*horum Numinum*
huic Numini	*his Numinibus*
hoc Numen	*hæc Numina*
ô Numen	*ô Numina*
ab hoc Numine.	*ab his Numinibus.*

Græca pleraque E retinent, & penultimam producunt, vt: *Lichen, enis, Mentagra Latine Martial. [lib. 11. epig. 97.] Nec triste mentum, sordidiq; Lichenes. Siren, Sirenis. Troëzen, Troëzenis.*

*Sic & Ren, Renis. Splen, Splenis. Lien, Lienis. Excepto Hymen, Hymenis, quod penultimam breuem habet, * Græce enim per ἔψιλον declinatur, ὑμὴν ὑμένος, Hinc Hymenæus hymnus, & item Deus nuptialis. [Catull. epig. 58.] Hymen, ô Hymenæe, hymen ades ô hymenæe.*

* Prisc. tamen in 6. hoc quoque inter cætera, quæ E longum habent, recenset.

IN & YN.

Quæ in IN desinunt, IS apponunt Nominatiuo, vt:

Delphin, Delphinis. Trachyn, Trachynis, penultima longa. *Suntq; peregrina omnia.*

PARA-

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hic Delphin	*Hi Delphines*
huius Delphinis	*horum Delphinum*
huic Delphini	*his Delphinibus*
hunc Delphinem et na	*hos Delphines & nas*
ô Delphin	*ô Delphines*
ab hoc Delphine	*ab his Delphinibus.*

Quanquam in his nominibus casus plurales, præter Nominatiuum, Accusatiuum, & Vocatiuum rari atq; inusitati sunt.

Eodem autem modo declinantur, quæ in Y N per ypsilon desinunt, *vt Phorcyn, Phorcynos. Gortyn, tynos,* * *penultima longa, vt apud Homerum, [Odyss.α.] φόρκυνος θυγατὴρ, &c.*

* Homerus. Ιλ. β. οἵ κνωσόντ' εἶχον, γόρτυνά τε τειχιόεσσαν.

ON.

Sunt & hæc peregrina, quæ in ON desinunt, varieq; Genitiuos formant. Quædam enim per ONTIS declinantur, vt: *Xenophon, ontis:* Quædam per ONIS, vt: *Simon, onis. Damon, onis, &c.*

REGVLA I.

In ON, propria, præcedente O vel P aspirata, Genitiuos per ONTIS faciunt, vt: *Laocoon,*

Laocoon, ontis. Demophoon, ontis. Xenophon, ontis, &c.

Sic & à Leon composita, vt:

Demoleon, ontis.

Et à Medon, vt:

Laomedon, ontis.

Et quæ alia participiorum Græcorum formam habent.

Horizon, zontis. Ucalegon, gontis.
Phaëthon, thontis. Phlegeton, tontis.
Acheron, rontis. Charon, rontis.

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hic Phaëthon	*Hi Phaëthontes & tas*
huius Phaëthontis	*hos Phaëthontes*
huic Phaëthonti	*ô Phaëtontes. Cæteri*
hunc Phaëthontem & ta,	*casus in vsu non sunt.*
ô Phaëthon	
ab hoc Phaëthonte.	

Excipe Typhon, quod Typhonis facit. * Est enim hoc ex τυφάων, factum, vt Posidon, ex ποσειδάων.

Tametsi & alia huius formæ per ONIS *declinata reperias, sed Latinè, à Nominatiuis in O, videlicet, vt Demipho, phonis. Ctesipho, phonis. Antipho, phonis, &c. apud Terentium.* † In Adelph. & Phormione.

REGV-

REGVLA II.

Cætera in ON, Genitiuos per ONIS faciunt, vt:

Conon, Cononis. Damon, Damonis, &c.
Sed ex his penultimam breuem habent.

I. Propria, quæ A, vel I longum ante O habent, vt:

Machaon, Machaonis.
Amphion, Amphionis. Sic &
Actæon, Actæonis. Pæon, Pæonis, o breui.
Orion tamen Orionis facit tam longa, quàm breui penultima, apud poëtas, vt:

Nitidumq; Orionis ensem, apud Ouid. [in 8. Metamorph.] Et, Armatumq; auro circumspicit Oriona. [Aeneid. 3.]

II. Verbalia & Comparatiua, vt:

Dæmon, Dæmonis. Icon, Iconis.
Memnon, Memnonis. Arion, Arionis.

III. Gentilia & propria, quæ de se Gentilia pariunt, vt:

Lacedæmon, onis. Amazon, Amazonis. Auson, Ausonis. Mæon, Mæonis, & c.

Excipiuntur tamen hinc quædam, vt: *Latōn, ōnis. Cydōn, ōnis. Nasamon ōnis*, quæ O longum habent, vt & *Vettones, Vasiones*, & similia, quæ Latinorum exemplo apud poëtas producuntur.

IIII. Polysyllaba in DON, præcedente E, &

E, & Fœminina, quæ Græce accentu in fine acuto notantur, vt:

Anthedon, onis. Sarpedon, onis.

Sindon, onis. Trigon, onis, piscis, quam Latini Pastinacam vertunt.

Præterea & hæc:

Canon, Canonis. Pepon, Peponis.

Strymon, monis, fluuij nomen, a quo Strymoniæ grues dicuntur.

Et à χθὼν Composita, vt:

Erisichthon, onis. Damasichthon, onis.

Quibus similia & alia fortassis inuenies, quæ vsus & frequens lectio suppeditabit.

Reliqua vero penultimam pleraque producunt, vt:

Phædon, onis. Zenon, onis.

Ection, onis. Hephæstion, onis.

Helicon, onis. Cithæron, onis.

Et similia quæ vel Patronymicorum, vel Denominatiuorum vel Diminutiuorum, aut etiam Comprehensiuorum Græcorum formam habent.

Item Locorum propria, & dissyllaba priorem breuem habentia, & polysyllaba, in quibus A vel I breue, O antecedit. * *Sed de his diligentius præcipient Græci, sine quorum cognitione recte percipi hæc vix possunt.*

* Horum omnium exempla studiose collegit Micyllus lib. 2. de re Metrica.

PARA-

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hic Canon	*Hi Canones*
huius Canonis, o breui	*horum Canonum*
huic Canoni	*his Canonibus*
hunc Canonem	*hos Canones*
ô Canon	*ô Canones*
ab hoc Canone.	*ab his Canonibus.*

Sic & hic Phædon, huius donis, huic doni, hunc donem, &c. o producta.

AR.

In AR, IS adijciunt Nominatiuis, vt:
Torcular, Torcularis. Puluinar, Puluinaris.

Excipe Far, quod facit Farris, rr geminato. *

* vt discernatur scilicet à secunda persona Indicatiui, Faris, quod à For verbo inusitato descendit. Priscianus lib. 5. de generibus.

Et Epar, Epatis, quod originem suam sequitur, Græce enim ἧπαρ, ἥπατος declinatur.

Longam autem habent penultimam substantiua Neutri generis deriuata, vt:
Laquear, Laqueâris. Calcar, Calcâris, &c.

Virgilius [6. Aen.]

Seu spumantis equi foderat calcaribus armos.

Reliqua breuia sunt, vt: *Nectar, Nectaris. Iubar, Iubaris. Cæsar, Cæsaris. Lar, Laris.**

* Si significet κατοικίδιον θεὸν, de rege autem Vej̈entorum Lartis facit, Priscianus in 5.

Habet

Habet & Nar, Naris, A longum fluuij nomen: vt apud Ennium: [6. Annal.]
Sulphureas posuit spiramina Naris ad vndas.

Par Nominatiuo casu A longum habet, in obliquis correptum, vt Horat. [lib. 2. serm. sat. 3.]
Ludere par impar, equitare in arundine longa.
Et Virg. [8. Eclog.]
Numero Deus impare gaudet.

PARADIGMA.

Singulare.

Hic Cæsar	*Hoc Calcar*
Huius Cæsaris, A breui,	*huius Calcaris, A longa.*
Huic Cæsari	*huic Calcari*
Hunc Cæsarem	*hoc Calcar*
O Cæsar	*ô Calcar*
ab hoc Cæsare.	*ab hoc Calcari.*

Plurale.

Hi Cæsares	*Hæc Calcaria*
Horum Cæsarum	*horum Calcarium*
His Cæsaribus	*his Calcaribus*
Hos Cæsares	*hæc Calcaria.*
O Cæsares	*ô Calcaria*
ab his Cæsaribus.	*ab his Calcaribus.*

ER.

In ER, IS assumunt in Genitiuis, vt:

Agger, Aggeris. *Carcer, Carceris.*

Mulier, *Mulieris*, penultima breui.
Martialis [*lib.* 1. *epig.* 64.]
Amethystinasq; mulierum vocat vestes. Scazon est, habens quarto loco Iambum.

EXCIPIVNTVR.

I. Adiectiua in BER, CER, & STER desinentia, abiecta E, assumunt IS, paribus cum Nominatiuo syllabis, vt:

Alacer	*huius Alacris*
Celeber	*huius Celebris.*
Paluster	*huius Palustris.*

Præter Vber & Puber, quæ analogian sequuntur, faciunt enim Vberis & Puberis.

II. Substantiua in TER Latina, TER in TRIS vertunt, vt:

Pater	*huius Patris.*
Mater	*huius Matris.*
Lynter	*huius Lyntris.*
Vter	*huius Vtris.*

Præter Later, Lateris.
Iter, Itineris. quod ab antiquo Itiner factum est.
*Iupiter, Iouis, ab antiquo Nominatiuo Iouis, † quo Actius * & Cæcilius Poëtæ vsi traduntur.*

† Vnde Diouis, & Veiouis, vide Gell. lib. 5. cap. 12.
* Actius in ἐπὶ ναυσὶ μάχη.

Lucifera lampade, exurat Iouis arietem. Cæcilius in [illegible]: Nam nouus quidem Deus repertus est Iouis.

Accipi-

Accipiter, Accipitris, vsitate & Accipiteris facit, quemadmodum & Opiter, Diespiter, Marspiter, & similia, autore Prisciano [lib. 6.]

III. Imber cum ijs quæ ab eo fiunt, Imbris Genitiuo facit. *Sic: September, huius Septembris, I in E conuersa.*

October huius Octobris, &c.
Mulciber Mulciòris & Mulciberis, (quod posterius tamen vsitatius est) facit.
Exemplum supra habes. [Pag. 88.]

Græca in ER, ERIS faciunt pleraque E longa, vt:

Crater huius Crateris
Character huius Characteris
Stater huius Stateris
Halter huius Halteris.

Sic & Ver, Veris, E longa, vt: Vere nouo gelidus, &c. 1. Georg.

Aër tamen Aeris, Aether, Aetheris, E breue in obliquis habent, licet Nominatiui producantur, † vt: Aëris in campis, &c. [Aeneid.]

† Lucan. lib. 1. Aër & longi voluent Titana labores. Virgil. Aen. 6. Largior hic campos æther & lumine vestit.

PARADIGMA.

Singulare.

Hic Agger	*Hic Pater*
huius Aggeris	*huius Patris.*

Huic Aggeri	*Huic Patri*
Hunc Aggerem	*Hunc Patrem*
O Agger	*O Pater*
ab hoc Aggere.	*ab hoc Patre.*

Pluraliter.

Hi Aggeres	*Hi Patres*
Horum Aggerum	*Horum Patrum*
His Aggeribus	*His Patribus*
Hos Aggeres	*Hos Patres*
O Aggeres	*O Patres*
ab his Aggeribus.	*ab his Patribus.*

IR. YR.

In R, præcedente I vel Y, desinentia, IS adijciunt Nominatiuis, vt:

Gaddir, Gaddiris. *Martyr, Martyris.*

Sunt autem peregrina fere.

PARADIGMA.

Singulare.

Hic & hæc Martyr
Huius Martyris
Huic Martyri
Hunc & hanc Martyrem.
O Martyr
ab hoc & ab hac Martyre.

Plurale.

Hi & hæ Martyres.

Horum

Horum & harum Martyrum
His Martyribus
Hos & has Martyres
ô Martyres
ab his Martyribus.

Græci & ὁ μάρτυς, τοῦ μάρτυρος *declinant.*

OR.

In OR, Genitiuos per ORIS faciunt, penultima longa, vt;

Amor Amoris. *Color Coloris.*

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hic Amor	*Hi Amores*
Huius Amoris	*Horum Amorum*
Huic Amori	*His Amoribus*
Hunc Amorem	*Hos Amores*
O Amor	*O Amores*
ab hoc Amore	*ab his Amoribus.*

I. Excipiuntur, quæ O breue habent, hæc Latina:

Arbor	*Arboris*
Aequor	*Aequoris*
Marmor	*Marmoris*
Memor	*Memoris.*

Et Composita à Corpus, & Decor

antiquo adiectiuo, vt:

Bicorpor *Bicorporis*
Tricorpor *Tricorporis*
Indecor *Indecoris.* *vt:*

Non erimus regno indecores, &c. apud Virgil. [*Aeneid.* 7.] *Simplicis exemplum ex Næuio † citat Priscianus; Magnamq; domum, decoremque ditem vexerant. Iambicus Trimeter est, habens tertio loco Anapæstum.*

† In carmine belli Punici. Locus Prisciani est in 6. Seruius Systolen esse putat.

II. Habent breue O, Græca pleraq; propria & verbalia, vt:

Nestor Nestoris, *Hector Hectoris.*
Rhetor Rhetoris, &c.

Cor, interposita D, cordis facit.

Adôr, apud posteriores Latinos indeclinabile mansit. Vetustissimi autem etiam hoc Ador, huius Adoris, tam longa quam breui penultima dixere, vt in iis versibus, quos Prisc. [*lib.* 6.] *ex Gannio quodam Poëta citat.*

Emicat in nubes nidoribus ardor adoris.

Gannius in tertio.

Et: [*in* 2.] *Illam sponte satos adoris strauisse maniplos.*

VR.

In VR, IS adijciunt Nominatiuis, vt:

Augur, Auguris. *Fulgur, Fulguris.*

PARA-

PARADIGMA.

Singulare.

Hic Vultur,	*Hoc Fulgur*
Huius Vulturis	
Huic Vulturi	
Hunc Vulturem,	*Hoc Fulgur, &c.*
O Vultur	
ab hoc Vulture.	

Plurale.

Hi Vultures	*Hæc Fulgura*
Horum Vulturum	
His Vulturibus	
Hos Vultures.	*Hæc Fulgura*
O Vultures	
ab his Vulturibus.	

Habent autem V breue omnia huius formæ, preter *Fur Furis*, quod priorem producit. †

† Perſ.ſat.1.Fur es ait Pedio,&c.

Quædam V in O mutant, hæc videlicet:

Ebur, Eboris. *Femur, Femoris.*
Robur, Roboris.

Et Iecur, Iecoris, quod & Iecinoris dixere veteres, à Nominatiuo exoleto Iecinus, vt Priſcianus tradit in 6.

AS.

In AS abiecta S, & addita TIS faciunt Genitiuos, vt:

Aetas, Aetatis. *Bonitas, Bonitatis.*
Facultas, Facultatis, &c. penultima longa.

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hæc Facultas	*Hæ Facultates*
Huius Facultatis	*Harum Facultatum*
Huic Facultati	*His Facultatibus*
Hanc Facultatem	*Has Facultates*
O Facultas	*O Facultates*
ab hac Facultate.	*ab his Facultatibus.*

EXCIPE.

As	*Assis*
Mas	*Maris*
Vas	*Vadis, pro sponsore.*
Vas	*Vasis, pro eo, quod σκεῦος Græcis est.*

Fas & Nefas ἄκλιτα sunt.

Græca variant, Masculina per ANTIS Genitiuos faciant, vt:

Pallas	*Pallantis*
Gigas	*Gigantis*
Adamas	*Adamantis*
Elephas	*Elephantis, &c.*

Fœminina & Patronymica per ADIS, vt:

Pallas

Pallas *Palladis*
Lampas *Lampadis*
Ilias *Iliadis*
Troas *Troadis, &c.*

Sic & Gentile *Arcas Arcadis.*

ES.

In ES, Masculina siue Communia, abiecta ES, faciunt Genitiuos per ITIS, penultima breui, vt:

Hic Cespes *huius Cespitis*
Hic Fomes *huius Fomitis*
Hic & hæc Diues *huius Diuitis, &c.*

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hic Cespes	*Hi Cespites*
Huius Cespitis	*horum Cespitum*
Huic Cespiti	*his Cespitibus*
Hunc Cespitem	*hos Cespites*
O Cespes	*ô Cespites*
ab hoc Cespite	*ab his Cespitibus.*

Excipe quæ E retinent, eadem penultima breui.

Hebes *Hebetis*
Indiges *Indigetis*
Interpres *Interpretis*
Præpes *Præpetis*

Perpes — *Perpetis*

Impes, ab Impete, vt: Impete vasto.

* Ouid. 15. Metamorph. Impete nunc vasto ceu concitus imbribus amnis Fertur, &c.

Teres — *Teretis*
Aries — *Arietis*
Paries — *Parietis.*

Pes Pedis facit, cum compositis, vt Bipes, Bipedis. Tripes, Tripedis. Loripes, Loripedis. Alipes, Alipedis, penultima breui.

Faciunt & Genitiuos per D, quæ à Sedeo naſcuntur, vt:

Obſes — *Obſidis*
Præſes — *Præſidis*
Deſes — *Dèſidis, penul. correpta.*

At contra, producunt penultimam hæc:

Hæres — *Hærèdis*
Præs — *Prædis*
Locuples — *Locuplètis.*

Inquies, Inquietis, cuius tamen obliqui inuſitati fere ſunt, Apuleius, [lib. 11.] Qua contentione, & inquieti procacitate præditus aſinus, &c. Plinius ſubſtantiue vſus eſt, cum ait: Furiales ſomni & inquies nocturna, &c. [lib. 14. capite 22.]

Verres, huius Verris. Et: Vates, huius Vatis. Fœmininorum Analogiam ſequuntur.

REGVLA II.

In

In ES Fœminina, Genitiuos faciunt, ES in IS mutata, vt:

Hæc Nubes	*Huius Nubis.*
Hæc Clades	*Huius Cladis.*
Hæc Fames	*Huius Famis.* †

† Veteres etiam fames famei dicebant. Vnde Ablatiuus fame, quasi 5. ordinis, producitur. Virgilius in 6. Ille fame rabida tria guttura pandens. Priscianus & Gellius lib. 9. cap. 14.

EXEMPLVM.

Singulare.	Plurale.
Hæc Nubes	*Hæ Nubes*
Huius Nubis	*Harum Nubium*
Huic Nubi	*His Nubibus*
Hanc Nubem	*Has Nubes*
O Nubes	*O Nubes*
ab hac Nube.	*ab his Nubibus.*

Excipe quæ Masculinorum formam sequuntur.

Abies	*Abietis*
Seges	*Segetis*
Teges	*Tegetis*, penult. breui.

Vt apud Iuuenalem Satyra sexta:

Ausa Palatino tegetem præferre cubili. Significat autem rusticum & vile stragulum Teges.

Item hæc Ceres Cereris, E breui.

Merces	*Mercedis.*
Quies	*Quietis*, penultima longa. *Tam-*

ga. *Tametsi compositum Requies, quinto ordine declinent.* [*Virg. 4. Aeneid.*]

Tempus inane peto, requiem spaciumq; furori.

Sed Cicero in Senectute etiam requietem dixit. *

* Vt meæ senectutis requietem oblectamentaque noscatis.

Priscianus, [*lib. 6.*] *& Apes, Nominatiuum facit, & ad hanc formam refert, sed tamen Ouidius,* [13. *Metamorph.*] *Apis Nominatiuo casu dixit, vt:*

Non apis inde tulit collectos sedula flores.

Et hæc Apis, huius Apis, Columella [*lib. 9. cap.* 3.] *quoque facit.* †

† Quanto grandior apis, tanto peior.

Aes, quod Neutrum est, Aeris Genitiuum facit. Porro Priscianus [*lib. 6.*] & alij hæc in ES desinentia, quantitate distinguunt: Ac Masculina quidem, & crescentia in obliquis, sub ES breue, Fœminina autem & æquisyllaba, sub ES longum referunt. Habent enim ES breue, Masculina pleraque, *præter Aries, Paries, Verres, Vates, Hæres, Præs, Pes & Locuples.* Et rursum ES longum, Fœminina omnia præter *Seges & Teges. Nam & Ceres licet in obliquis E breue habeat, Nominatiuo tamen casu E longa ponitur, vt primo Georg.*

Flaua Ceres alto nequicquam spectat Olympo.

DE GRAECIS.

In ES

In ES Græca, quæ patronymicorum formam habent. Item propria composita, & quæ ex EVS in ES transeunt apud Latinos, pleraque paribus syllabis Genitiuum cum Nominatiuo faciunt, vt:

Euripides	*huius Euripidis*
Thucydides	*huius Thucydidis*
Demosthenes	*huius Demosthenis*
Palamedes	*huius Palamedis*
Hercules	*huius Herculis*
Neocles	*huius Neoclis*
Achilles	*huius Achillis*
Vlysses	*huius Vlyssis & similia.*

Nam priora, vt Euripides, &c. Patronymicorum terminationem habent. *Quæ sequuntur, composita sunt, vt:* δημοσθένης *ex* δῆμος *&* σθένος. ἡρακλῆς *ex* ἥρα *&* κλέος. *Achilles autem & Vlysses Græce* ἀχιλλεὺς *&* ὀδυσσεὺς *scribuntur.*

Hanc rationem & Neutra Hippomanes & Cacoëthes sequuntur. *Sunt enim & hæc ex compositorum ordine.*

Cætera fere S in TIS mutant penultima longa, vt:

Magnes	*Magnetis.*	*Lebes*	*Lebetis.*
Tapes	*Tapetis.* Et propria, vt:		
Chremes	*Chremetis.*	*Laches,*	*Lachetis.*
Dares	*Daretis, &c.*		

Quanquam & horum inueniuntur quædam, paribus syllabis declinata, vt:

Chremes

Chremes, Chremem, apud Terentium. †

† In And. act. 3. scen. 2. Nunc Chremem conueniam. Et act. 2. scen. 2. Puerum inde abiens conueni Chremis.

Daren, in prima declinatione, pro Daretem, apud Virgilium Aeneid. 5. *

* Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto.

IS.

In IS desinentia, Genitiuos habent, Nominatiuis similes, vt:

Collis	*huius Collis*
Piscis	*huius Piscis*
Febris	*huius Febris*
Auis	*huius Auis.*

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hæc Auis	*Hæ Aues*
huius Auis	*harum Auium*
huic Aui	*his Auibus*
hanc Auem	*has Aues*
ô Auis	*ô Aues*
ab hac Aue.	*ab his Auibus.*

Excipe primo Gentilia, vt:

Quiris	*Quiritis.*
Samnis	*Samnitis.*

Et quæ in IS longum desinunt, vt:

Lis

Lis — *Litis*
Dis — *Ditis*
Glis — *Gliris*, *quod pro T, R accipit, quemadmodum & Vires plurale, cuius quidam singulare Vis esse volunt. Sed Priscianus [lib. 6.] ostendit, veteres etiam plurali numero Vis, à singulari eadem voce dixisse, vt Salust. [in 3. Historiarum.] Male iam assuetum ad omnes vis controuersiarum.*

Et Lucretius, [lib. 2.]

Sed quam multarum rerum vis possidet in se
Atque potestates.

II. Quæ ab antiquis Nominatiuis in ER veniunt, Genitiuos in ERIS penultima breui, retinuerunt, vt:

Puluis — *huius Pulueris.*
Cinis — *huius Cineris.*
Vomis — *huius Vomeris.*
Cucumis — *huius Cucumeris,*

Antiqui enim & Puluer, Ciner, Vomer, Cucumer dicebant, ex quibus Vomer † etiam hodie in vsu frequens est.

*Et impubis, quod à Puber siue Pubis * (vt Cæsari placebat †) compositum est, Impuberis & Impubis Genitiuo casu facit.*

† Virg. 1. Georg. & sulco attritus splendescere vomer.

* Vel a Pubes vt Probus declinat.

† In libris περὶ ἀναλογίας.

Virgil. [Aeneid. 5.] Impubis Iuli.

Cicero

Cicero [in 4. Inuect. in Catil.]
Filiumq; eius impuberem, ligatum a Prætore missum in carcerem.

III. Excipiuntur & hæc, vt:

Cuspis	*Cuspidis*
Cassis	*Cassidis, pro Galea.*
Lapis	*Lapidis*
Capis	*Capidis antiquum, quo*

vas pontificiale significabatur, vt apud Lucilium, [in 9.] Hinc Ancilia, ab hoc Apices, capidasq; repertas.

*Item Sanguis, huius Sanguinis, cuius tamen compositum Exanguis, huius Exanguis, regulam sequitur. Lucretius autem & Sanguen; * Nominatiuo casu dixit, Neutro genere, vt lib. 1. Et de Visceribus viscus gigni, sanguenq; creari.*

Faciunt † & Genitiuum Pollinis, à Nominatiuo Pollis cum tamen analogia arguat Nominatiuum esse Pollen.

* Sic & Cato in Originibus: Spirantem quod sanguen defluxerat, cognouere. Quæ verba sunt apud Gell. lib. 3. cap. 7.

† Charisius apud Prisc. in 6.

Et Semis, Semissis facit, cum ponderis nomen est, vt Prisciano placet in 6. Quanquam & Nominatiuo casu, Semissis dici velint, vt in Epistola Vatinij ad Ciceronem, [quæ est 10. lib. 5. ep. fam.] Simul vero Semissis homo contra me arma tulit. At Semis idem quod dimidium, indeclinabile est, ex Græco ἥμισυ deductum.

Est

Est & Potis indeclinabile, à quo Potior & potissimus.

Græca huius terminationis mire variant.

Masculina pleraque sicut Lapis declinantur, vt:

Hic Paris	*Huius Paridis*
Hic Alexis	*Huius Alexidis,*
Hic Thespis	*Huius Thespidis.*

Accusatiuo tamen casu etiam *Parin, Alexin,* * *&c. Græco more inuenias. Quo pacto Plautus & Ablatiuum à Theti. in Epidico protulit.* †

* Vt: Coridon ardebat Alexin. Ecloq. 2. Pamphilus: Non potuit roseum forma iuuare Parin. Vetustissimi autem & hic Lapis huius Lapis protulerunt. Ennius in 15. Annal. Occumbunt multi lethum ferroque lapideque.

† Tum ille prognatus Theti sine perdat.

Fœminina alia per D declinantur, vt: Patronymica, Gentilia, acutitona, & pleraque propria. *Qualia sunt:*

Nereis	*Huius Nereidis vel dos*
Briseis	*Huius Briseidis*
Sibaritis	*Huius Sibaritidis*
Memphitis	*Huius Memphitidis*
Aegis	*Huius Aegidis*
Pixis	*Huius Pixidis*
Thetis.	*Huius Thetidis*
Isis	*Huius Isidis, &c. Sic et*

Aspis	*Huius Aspidis*
Iaspis	*Huius Iaspidis*
Promuscis	*Huius Promuscidis*
Promuscis	*Huius Promuscidis.*

Et alia quæ Græcorum formam imitantur.

Alia Genitiuum Nominatiuo similem apud Latinos habent, vt quæ Græce per *ος* purum declinantur, vt:

Neapolis	*Huius Neapolis*
Constantinopolis	*Huius Constantinopolis.*

Et verbalia omnia, vt:

Genesis	*Huius Genesis*
Diœcesis	*Huius Diœcesis, &c.*

Declinantur enim Græce νεάπολις, εος & ιος.

κονσταντινόπολις	εος & ιος.
γένεσις	εος & ιος.
διοίκησις	εος & ιος.

Quæ vero in IS, præcedente vocali, hoc est, in Græcam diphthongum *εις* desinunt, Genitiuum per ENTIS faciunt, vt:

Simois	*Huius Simoentis.*
Opūs	*Huius Opoentis, & per*

contractionem, Opûs, Opûntis.

Sunt & quæ INIS Genitiuo faciunt, vt: *Salamis, Salaminis.* Sed hi Genitiui à Nominatiuis in IN veniunt. *Dicitur enim Nominatiuo casu Salamis & Salamin,* δελφίς & δελφίν.

YS.

Eodem

Eodem modo & quæ in Y S per ypsilon exeunt, Genitiuos variant.

Quædam enim Græce per O S purum declinantur, vt:

Erinnys, nyos, nyi, nyn, ab ny. Et plural. Erinnyes, nyas & nys per contractionem. Sic Tethys, yos, yi, yn, & similia. Quæ quia synæresin in quibusdam casibus Græce patiuntur, vulgus paribus syllabis declinat: Hæc Erinnys, huius nys, huic ny, &c. Sed poëtæ Græcam fere declinationem sequuntur.

Alia per D, Genitiuum formant, vt:

Chlamys, huius Chlamydis Pelamys, huius Pelamydis. Et similia in quibus Y breue est.

Quædam etiam per N, vt:

Phorcys, huius Phorcynis, vel os, &c. Sed & hic Genitiuus à Nominatiuo in Y N factus est.

Hæc igitur Græcorum varietas, ex suis autoribus petenda erit.

O S.

In O S, Genitiuos faciunt per O R I S, penultima longa, vt:

Mos	*Moris*
Ros	*Roris*
Flos	*Floris.*

EXEMPLVM.

Singulare.	Plurale.

Hic Flos	*hi Flores*
huius Floris	*horum Florum*
huic Flori	*his Floribus*
hunc Florem	*hos Flores*
ô Flos	*ô Flores*
ab hoc Flore	*ab his Floribus.*

EXCIPE.

Dos Dotis	*Cos Cotis*
Nepos	*Nepotis*
Sacerdos	*Sacerdotis*
Custos	*Custodis,*

quæ penultimam producunt.

Item Compos	*Compotis*
Impos	*Impotis*
Arbos	*Arboris*
Bos	*Bouis,*

* penultima correpta. *Et neutrum, Os, Ossis, & in B in.*

* Vtrunque factum est Aeolico more. Aeoles enim βῶς dicunt, pro βοῦς, & inter duas vocales eiusdem dictionis digamma ponunt, vt ὄFις, δάFος.

Græca ex suis autoribus pete, sunt enim varia. Nam alia per IS purum declinantur, vt:

Heros	*Herois*
Minos	*Minois, pro quo Salust.*

† *Minonis dixit, quem-* admodum

† In 5. Histor.

*admodum & Cicero * Athonis, à Nominatiuis Latinis, Mino & Atho, vt Priscianus [lib. 6.] indicat.*

Dædalum ex Sicilia profectum, quo Minonis iram atque opes fugeret. Cicero in 3. de Repub. Nisi quis Athonem pro monumento vult penitus efficere.

Alia per T, vt:

Monoceros	*Monocerotis*
Aegoceros	*Aegocerotis*
Rhinoceros	*Rhinocerotis, &c. quæ*

cum Græco κέρας composita sunt.

Martialis, [*lib.* 1. *epig.* 3.]

Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

Quædam Græcam declinationem prorsus retinent, vt: *quæ in OS breue desinunt neutra, ceu sunt Chaos, Melos, Telos & similia. Declinantur enim* τὸ μέλος
τοῦ μέλεος & ους
τῷ μέλεϊ & ει
τὸ μέλος

Et pluraliter τὰ μέλεα & μέλη.

Hinc Cygnea Mele apud Lucretium, [*lib.* 2.] *Thessala Tempe,* [*apud Horat. lib.* 1. *Carm. Od.* 6.] *apud Virgilium,* [*Peneia Tempe, li.* 4. *Georg.*] *& similia alia reperies.* Tametsi quidam poëtæ etiam Latina declinatione, sed certis tamen casibus huiusmodi nomina interim declinauerunt. *Sic Virgil.* [4. *Georg.*] *dixit:*

Atque Chao densos diuûm numerabat amores.

Et Plaut. in Captiuis:

Horæum, Scombrum, & Trigona, & Cetum, & mollem caseum.

VS.

Masculina in VS, ad declinationem secundam magna ex parte pertinent. Verbalia & substantiua quædam ad quartam, Fœminina autem in VS longum, & Neutra huius fere ordinis sunt.

REGVLA I.

Fœminina in VS retinent V, & Genitiuos faciunt per VTIS, penultima longa, vt:

Virtus	*Huius Virtutis.*
Iuuentus	*Huius Iuuentutis.*

EXEMPLVM.

Singulare.	Plurale.
Hæc Virtus	*Hæ Virtutes*
Huius Virtutis	*Harum Virtutum*
Huic Virtuti	*His Virtutibus*
Hanc Virtutem	*Has Virtutes*
ô Virtus	*ô Virtutes*
ab hac Virtute	*ab his Virtutibus.*

EXCIPE.

Palus

Palus — *Huius Paludis*
Incus — *Huius Incudis*
Tellus — *Huius Telluris*, penultima longa omnia.

Et quæ in VS breue exeunt, *vt Venus, huius Veneris*, * *Pecus, huius Pecudis, penultima breui.* Variat enim cum genere & declinandi characterem *Pecus*, ac Fœmininum quidem, *Pecudis Genitiuo casu*, Neutrum autem *Pecoris*, vt cætera eius generis facit.

* Ne si Venus Veni declinaretur, dubitationem haberet cum imperatiuo Veni Genitiuus.

REGVLA VI.

Neutra in VS, mutant V, & faciunt Genitiuos per ORIS, penultima breui, vt:

Corpus — *Corporis*
Pecus † — *Pecoris*
Tempus — *Temporis &c.*

† Vetustissimi etiam hoc pecu, hęc pecua dicebant, cuius rei exempla ex Plauto & aliis, Prisc. in 6. adducit.

Quibus simile & Masculinum *Lepus, huius Leporis est.*

PARADIGMA.

Singulare,	Plurale.
Hoc Corpus	*Hæc Corpora*
Huius Corporis	*Horum Corporum*

Huic Corpori	*His Corporibus*
Hoc Corpus	*Hæc Corpora*
O Corpus	*O Corpora*
ab hoc Corpore	*ab his Corporibus.*

Excipe primo Monoſyllaba, quæ V retinent, & Genitiuum per VRIS faciunt, penultima longa, vt:

Rus Ruris, Thus Thuris,
Crus Cruris

Sic & Maſculinum *Mus Muris.*
Sus autem Suis, & Grus Gruis, faciunt.

II. Quæ LVS, NVS, DVS finiunt, per ERIS Genitiuos faciunt, vt:

Vellus	*Huius Velleris*
Vulnus	*Huius Vulneris*
Fœdus	*Huius Fœderis, et ſimilia*

Quam formam & hæc ſeptem ſequuntur.

Acus Aceris, *pro Palea.*
Latus Lateris
Opus Operis
Vlcus Vlceris
Glomus Glomeris
Viſcus Viſceris
pro extis.

Habent enim verba de ſe cum eadem Vocali, vt: Operor, Vlceror, Glomero, Euiſcero, Priſcianus, [lib. 6.]

Tametſi Nominatiuo, vt & cæteris caſibus ſingularibus præter Ablatiuum † raro vſi ſint Latini. *Extant tamen apud Lucretium, [lib. 1.]*

† Ouid. 6. Met. E quibus vna trahens hærentia viſcere tela.

Et Ve-

Et Vetus *huius Veteris* * *adiectiuum.*

* Ab antiquo nominatiuo Veter.

Tolluntur autem rursum ab hac exceptione *Fænus, huius Fænoris, per O.*

Penus *huius Penoris*
Facinus *huius Facinoris*
Pignus, *huius Pignoris* *& Pigneris,* † *sed inusitate.*

† Iuuenalis sat. 9. Viginti millia fœnus Pigneribus positis. Sic enim legit Priscianus, Inde est verbum Pigneror, vt ab inusitato Genitiuo Fœneris, Fœneror & Fœnerator.

III. Comparatiua in VS, Genitiuum per ORIS faciunt, penultima longa, vt:

Maius, Maioris. Candidius, Candidioris, &c.

Excepto Plus, quod facit Pluris, sequitur enim analogiam monosyllabarum.

Ligus gentile, Liguris facit, quoniam & Ligur Nominatiuo casu dicitur.

Intercus autem Intercutis, vtrunq; V breui.

Græca in VS circumflexum, siue contractum desinentia, per NT declinantur, vt:

Trapezûs *Trapezûntis*
Hierichûs *Hierichûntis.*
Amathûs *Amathûntis, &c.*

Ouid. [10. *Metamorph.*]

Piscosamq; Gnidon, grauidamq; Amathunta metallis.

A ποῦς autem composita, in hac declinatione Genitiuum per DIS, præcedente O faciunt, vt:

Oedipus — *Huius Oedipodis*
Polypus — *Huius Polypodis.* *Facit enim & ποῦς Græce πόδος.*

In secunda autem cæterorum eius declinationis analogiam sequuntur, vt:

Oedipus — *Huius Oedipi.*
Polypus, — *Huius Polypi.*

A V S.

In A V S duo sunt, vt:

Laus, quod Laudis facit.
Fraus, quod Fraudis.

B S.

In BS Genitiuos faciunt, interposita I, inter B & S, vt:

Arabs, Arabis. Trabs, Trabis. Chalybs, Chalybis. Plebs, Plebis. Scobs, Scobis. Scrobs, Scrobis. Vrbs, Vrbis.

Notatur *Cælebs, Cælibis*, quod E in I vertit in penultima.

L S. R S.

Quæ L S, aut R S finiunt, abiecta S apponunt TIS Nominatiuo, vt:

Puls — *Pultis.*

Ars

Ars	*Artis*
Sors	*Sortis*
Cohors	*Cohortis*
Tyburs	*Tyburtis, &c.*

Excipiuntur composita à Cor, quæ simplicis consonantem seruant, vt:

Vecors, Vecordis. Concors, Concordis. * *Discors, Discordis.*

* Antiquissimi tamen Nominatiuum in his similem Genitiuo proferebant, vt Cæcilius in Crat. Modo sit obsequens, hilaris, comis, communis, concordis, &c. Priscianus in fin. 6.

MS.

In MS vnum est, vt:

Hyems, quod facit Hyemis.

NS.

In NS, mutant S in TIS in Genitiuis, vt:

Amans	*Amantis*
Quadrans	*Quadrantis*
Lens	*Lentis*
Dens	*Dentis*
Mons	*Montis*
Frons	*Frontis, capitis pars.*
Aruns	*Aruntis, &c.*

EXCIPE.

Glans	*Glandis*

Iuglans *Iuglandis*
Lens *Lendis, pro capillorum immundicie, Niß.*

Frons, Frondis, pro ramo viridi seu folijs.

Et quod à pendo compositum est, *Libripens, Libripendis. Plinius,* [*lib.* 33. *cap.* 3.] *Quin & mi itum stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensatores, Libripendes dicuntur.*

II. Iens participium, & ab eo composita, mutant I in E, & pro E, quod est in penultima assumunt V, vt: *Iens* *Euntis*
Rediens *Redeuntis*
Periens *Pereuntis, &c.*

Præter Ambiens, quod secundum regulam *Ambientis* facit.

Tiryns, Græcum, Tirynthis facit, assumta aspiratione.

PS.

In PS, Genitiuos faciunt, interposita I, inter duas extremas consonantes, vt:

Daps * *Dapis*

* Hoc Nominatiuo vtitur Cato de re rustica, cap. 50. Vbi daps profanata, comestaque erit, verno arare incipito, &c. Vide Vall. lib. 4. cap. 23.

Lælaps *Lælapis*
Stips *Stipis*
Stirps *Stirpis*
Ops *Opis*
Inops *Inopis,* penultima breui.

Præter

Præter *Seps, Sepis.* Et quæ ab ἀπὸ ὠπὸς fiunt, in quibus penultima longa eſt, vt:

Cyclops	*Cyclopis*
Cercops	*Cercopis*
Hydrops	*Hydropis &*
Conops	*Conopis, à quo Conopeium,*

velum ad prohibendos culices, apud Propercium, [*lib. 3. Fædaq; Tarpeio Conopeia tendere ſaxo.*]

Excipe quæ E ante PS habent, illud enim in I mutant in penultima, vt:

Adeps	*Adipis*
Forceps	*Forcipis*
Princeps	*Principis, &c.*

Habentq; penultimam breuem omnia. *Præter Auceps. quod Aucupis facit.*

Et compoſita à Caput, quæ ſyllaba vna ſupra reliquorum formam creſcunt, vt:

Anceps *Ancipitis* Atque hi Genitiui ſunt ſecundum analogiam ab antiquis Nominatiuis, ancipes, præcipes, &c. vt à ſoſpes ſoſpitis. Plautus in Rudente: Securicula ancipes. Veteres quoque Præcipis in Genitiuo a Præceps dixerunt. Sic Ennius in 17. annal. Præcipe caſu dixit.

Præceps	*Præcipitis*
Biceps	*Bicipitis*
Triceps	*Tricipitis.*

Græca *Gryps & Cinyps*, aſpirationem aſſumunt. *Facit enim Gryps Gryphis*, penultima longa.

Virgil. [*Eclog. 8.*]

Iungen-

Iungentur iam Gryphes equis, &c.

Cinyps Cinyphis, eadem syllaba breui.

Idem, [3. Georg.] Cinyphij tondent hirci, &c.

PARADIGMA.

Singulare.

Dens	*Seps*	*Princeps*
Dentis	*Sepis*	*Principis*
Denti	*Sepi*	*Principi*
Dentem	*Sepem*	*Principem*
ô Dens	*Seps*	*Princeps*
à Dente.	*à Sepe*	*à Principe.*

Plurale.

Dentes	*Sepes*	*Principes*
Dentium	*Sepium*	*Principum*
Dentibus	*Sepibus*	*Principibus*
Dentes	*Sepes*	*Principes*
ô Dentes	*Sepes*	*Principes*
à Dentibus.	*à Sepibus*	*à Principibus.*

T.

In T, vnum est, Caput, quod sic declinatur.

Singulariter.	Pluraliter.
Hoc Caput	*Hæc Capita*
Huius Capitis	*Horum Capitum*
Huic Capiti	*His Capitibus*
Hoc Caput	*Hæc Capita*

ô Caput

ô Caput	*ô Capita*
ab hoc Capite	*ab his Capitibus.*

Sic & Sinciput, Sincipitis. Tametsi huius obliquos non facile inuenias. Et:

Occiput, Occipitis. Persius, sat. [II.]

Occipiti cæco posticæ occurrite sannæ.

A X.

In A X desinentia, faciunt Genitiuos, X in C I S mutata, vt:

Audax	*Audacis*
Fornax	*Fornacis*
Pax	*Pacis, &c.*

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hæc Fornax	*Hæ Fornaces*
Huius Fornacis	*Harum Fornacum*
Huic Fornaci	*His Fornacibus*
Hanc Fornacem	*Has Fornaces*
O Fornax	*O Fornaces*
ab hac Fornace	*ab his Fornacibus.*

Adiectiua E vel I faciunt, vt: *ab Audace vel Audaci.*

Neutra pluralia in I A, vt: *Hæc Audacia.*

Habent autem penultimas longas Latina omnia, præter *Fax, Facis. Virgilius,* [I. *Aeneid.*]

Iamq;

Iamq; faces & saxa volant, &c.

Peregrina fere corripiuntur, vt:

Abax	*Abacis*
Corax	*Coracis*
Colax	*Colacis.*

Dropax, Dropacis, vnguenti genus, [*Martial. lib. 3. epig. 32.*]

Psilothro faciemq; lauas, & Dropace caluam.

Styrax	*Styracis*
Smilax	*Smilacis*, & similia.

EXCEPTIS.

Phæax	*Phæacis.*	*Thorax*	*Thoracis.*
Thrax	*Thracis.*	*Virgilius, 3. Aeneid.*]	

Thraces arant.

Syphax, Syphacis. Claudianus [*de bello Gildonico.*] *corripuit: Compulimus dirum Syphacem, fractumq; Metelle Traximus.*

Iuuenalis, [*sat.6.*] *Latinorum exemplo produxit.* * *Tolle tuum precor Hannibalem, victumq; Syphacem. Sic & Arctophilacis, Manilius* [*lib.* 1.] Nisi quis hanc ἔκτασιν dicere magis velit.

* Sic & Propertius lib. 3, epig. 11. Hannibalis spolia & victi monumenta Syphacis.

Harpax Harpagis facit, breui penultima. Seruat enim consonantem præteriti eius, à quo descendit. Hinc Harpagare verbum, quo Plautus vsus est in

est in Aulularia. *

* Aurum mihi intus harpagatũ est.

EX.

I. In EX Monosyllaba, X in CIS mutant Genitiuis, vt:

Fex Fecis. *Nex Necis, &c.*

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hæc Fex.	*Hæ Feces*
huius Fecis	*harum Fecum, inusitate*
huic Feci	*his Fecibus (tamen.*
hanc Fecem	*has Feces*
ô Fex	*ô Feces*
ab hac Fece	*ab his Fecibus.*

Excipe *Rex Regis. Lex, Legis.*

Grex, Gregis. Hæc enim verbis in GO cognata, consonantem eandem retinent.

II. In EX polysyllaba, Genitiuos per ICIS faciunt, penultima breui, vt:

Pumex	*Pumicis*
Silex	*Silicis*
Murex	*Muricis*
Culex	*Culicis.*

Sic & adiectiua, *Simplex, Simplicis.*

Duplex	*Duplicis*
Supplex	*Supplicis.*

Et quæ à Facio deriuantur, vt:

Aurifex	*Aurificis*
Carnifex	*Carnificis*
Opifex	*Opificis*
Pontifex	*Pontificis.*

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hic Codex	*Hi Codices*
huius Codicis	*horum Codicum*
huic Codici	*his Codicibus*
hunc Codicem	*hos Codices*
ô Codex	*ô Codices*
ab hoc Codice	*ab his Codicibus.*

EXCIPE.

Remex, Remigis, I breui.

Supellex, Supellectilis, Nam & Nominatiuo *Supellectilis* dixerunt veteres. *

*Vide Pompeiũ Festum, lib. 17.

Senex, Senis, quod antiqui etiam Senicis dixere.

Hinc diminutiuum Senecio.

Verucx, Veruecis, media longa.

Vibex, Vibicis, quod longa penultima posuit *Persius*, [*satyr.* 4.]

Si puteal multa cautus vibice flagellas,
Nequicquam populo bibulas donaueris aures:

Respice

Respice quod non es, tollat sua munera cerdo.
Tecum habita, et noris quàm sit tibi curta supellex.

Exlex, primitiuum sequitur, tametsi obliquos eius vix inuenias.* * Cicero pro Cluentio, Accusatiuo vsus est: Non quod illi Syllam exlegem esse putarent.

IX.

I. In IX, adiectiua verbalia, & Fœminina, faciunt Genitiuos per ICIS penultima longa, vt:

Pernix, Pernicis, Victrix, Victricis.

Struix, Struicis, pro extructione, Plaut. in Menæchmis: Tantas struices concinnat patinarias. Senarius est. Item:

Cornix, Cornicis. Lodix, Lodicis.

Perdix, Perdicis. Pristix, Pristicis, &c.

Cicero in Arato, Inter pristicem fusæ, sparsæq; videntur.

PARADIGMA.

Singulare.

Hæc	*Cornix*
huius	*Cornicis*
huic	*Cornici*
hanc	*Cornicem*
ô	*Cornix*
ab hac	*Cornice.*

Adiectiua I & E fa-

E faciunt, vt: *à Felice vel Felici.*

Plurale.

Hæ	*Cornices,*	Neutra CIA faciunt, vt; *Hæc Felicia.*
harum	*Cornicum*	
his	*Cornicibus*	
has	*Cornices*	
ô	*Cornices*	
ab his	*Cornicibus.*	

Excipiuntur quæ penultimam corripiunt.

Pix	*Picis*
Filix	*Filicis*
Larix	*Laricis*
Salix	*Salicis.*

Et hyperdissyllaba pleraq; , vt:

Appendix	*Appendicis*
Coxendix	*Coxendicis.*

Serenus, [*cap. 37*] *Sæpius occultus victa coxendice morbus, &c.*

Strix	*Strigis facit.*
Nix	*Niuis.* *

* Apuleius tamen in 3. Hermog. Ninguis fecit: Omnia ningue canebant, &c.

II. Masculina in IX, ICIS Genitiuo faciunt, sed penultima breui, vt:

Hic Fornix	*Fornicis.*
Hic Varix	*Varicis, Ein vberbein.*

Hic Histrix, Histricis, apud Calphur. [*Eclog. 6.*] *Venit & hirsuta spinosior histrice barba.*

Græco-

Græcorum mira varietas est.

Phœnix, Phœnicis facit, penult. longa. Sic & *Spadix, Spadicis, quod folium palmæ significat, & colorem eius folij, Kestenbraun. Virgilius*, [3 Georg.]

Spadices, glaucíq; color deterrimus albis.

Contra corripiunt penultimam.

Cilix, Cilicis gentile. Iuuenal. [*sat.* 4.]

Sic pugnas Cilicis laudabat & ictus.

Κύλιξ, Κύλικος, *quod Latine Calix dicitur* υ *in a conuersa.*

Quædam etiam per G obliquos faciunt, vt: *Mastix, Mastigis, penultima longa. Iliad.* ε.

Ἥρη δὴ μάστιγι θοῶς ἐπεμαίετ' ἂρ ἵππους. *Flagellum significat. Unde Homeromastix, id est, insectator Homeri. Sic Zoilus vocabatur, quem in Olympijs de monte præcipitem deiecerunt Græci, propterea quod Homero maledixerat.*

Μαστίχη *autem* τῆς μαστίχης *gummi, quod vulgo mastix dicitur. Plinius*, [*lib.* 12. *cap.* 17.] & *Dioscorides* † *Mastiche Nominatiuo casu dixerunt, habetque penultimam breuem, nec pertinet ad hanc declinationem.*

† Libro primo ἐν δὲ περὶ μαλάστεως ἐνδιδοὺς ὡς μαστίχη.

YX.

Quæ vero upsilon ante X habent, Genitiuos in GIS pleraque formant, vt:

Phryx, Phrygis. *Styx, Stygis*, penult. breui. *Sic & Iapyx, Iapygis, gentile, & venti nomen. Ortyx, Ortygis, vnde Ortygiæ nomen.* *Et: Oryx, Orygis, vt apud Plinium, [lib. 8. cap. 53.]*

Sunt & Oryges, Soli à quibusdam dicti, contrario pilo vestiti.

Excipe, quæ Y longum habent:

Bombyx, Bombycis, ein Seidenwurm.
Ceyx, Ceycis, proprium.
Sandyx, Sandycis, coloris genus, Bergkroth.

Propertius: [lib. 2. eleg. 26. ad Cynthiam.]

Illaq; plebeio, vel sit sandycis amictu, &c.

Item Naryx, Narycis, quod breuem penultimam habet, *loci nomen apud Stephanum. A quo Narycius, a, um, vt apud Virgilium, [3. Aen.]*

Hic & Naryci posuerunt mœnia Locri. *Et: Bebryx, quod Bebrycis*, nunc longa nunc breui penultima facit. Longa, *vt apud Sili. lib. 3.*

Possessus Baccho sæua Bebrycis in aula.

Breui, *vt apud Valerium Flaccum, lib. 2.*

Bebrycis & Scythici procul inclementia sacri.

Onyx, Onychos facit ch aspirata. Sic & compositum eius, *Sardonyx. Inde Sardonychen dixit Persius, [sat. 1.] breui penultima.*

OX.

In O X, Genitiuos faciunt per OCIS penultima longa, vt:

Vox *Vocis*

Ferox

Ferox *Ferocis*
Celox *Celocis.* *Varro:*

* *Nautæ remiuagam mouent celocem, &c.*

* Hoc ex Bimargo Varronis affert Nonius. Est autem integer versus Phalæcius.

PARADIGMA.

Singulare	Plurale.
Hæc Vox	*Hæ Voces*
huius Vocis	*harum Vocum*
huic Voci	*his Vocibus*
hanc Vocem	*has Voces*
ô Vox	*ô Voces*
ab hac Voce	*ab his Vocibus.*

Excipiuntur *Nox, Noctis.* Et quæ penultimam corripiunt.

Præcox, Præcocis, est enim à Præcoquo. Et Gentile *Cappadox, Cappadocis. Persius in Mercatorem multos seruos vendentem,* [*sat. 6.*]

Vende animam lucro, mercare, atq; excute solers
Omne latus mundi, ne sit præstantior alter,
Cappadoces rigida pingues pauisse catasta.

VX.

In VX desinentia, X in CIS mutant Genitiuis, vt:

Nux *Nucis.*

Dux, Ducis, &c. penultima breui.

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hæc Nux	*Hæ Nuces*
huius Nucis	*harum Nucum*
huic Nuci	*his Nucibus*
hanc Nucem	*has Nuces*
ô Nux	*ô Nuces*
ab hac Nuce	*ab his Nucibus.*

Sic & composita, *Redux, Reducis.*
Tradux Traducis.

Et proprium, *Volux, Volucis, vt quidem placet Prisciano,* [*in 6. & 7. de terminatione 3. declinationis.*]

EXCIPE.

Frux, *Frugis,* † *qui Nominatiuus obsoletus est.* Et quod penultimam Genitiui producit:

† Ennius in 9. Annal. Dictum factûque facit frux, id est, frugi homo.

Pollux, Pollucis.

AVX.

In AVX vnum est, vt:
Faux, quod faucis facit.

LX. NX. RX.

Quæ consonantem ante X habent, X in CIS mutant Genitiuis, vt:

Calx

Calx Calcis	*Lanx Lancis*
Arx Arcis	*Merx Mercis.*

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hæc Arx	*Hæ Arces*
huius Arcis	*harum Arcium*
huic Arci	*his Arcibus*
hanc Arcem	*has Arces*
ô Arx	*ô Arces*
ab hac Arce	*ab his Arcibus.*

EXCIPIVNTVR.

Quæ N ante X habent, Genitiuo GIS faciunt pleraq;, vt:

Phalanx	*Phalangis*
Syrinx	*Syringis*
Sphinx	*Sphingis*
Meninx	*Meningis, vt apud Pol-*

luc. [lib. 2. περὶ μυελῶν.] αἱ δὲ μήνιγγες ἐκ νεύρων καὶ ὑμένων συμπλακεῖσαι, *hoc est, Meninges autem ex neruis & membranis contextæ sunt.*

Coniunx, quod Phocas Nominatiuo casu Coniux scribit, à iugando videlicet, Genitiuo Coniugis facit. *

* Idque ad differentiam verbi coniungis.

Composita simplicium naturam sequuntur, vt:

Bilanx	*Bilancis*
Quincunx	*Quincuncis*
Septunx	*Septuncis, &c.*

Atque hactenus de formatione Genitiui.

DATIVVS.

Datiuus in I desinit, vt:

Poëma	*Poëmati.*

Et in hunc modum à Genitiuo suo cadit, nec figura vlla hanc terminationem mutat. Nisi quod Græcorum Datiui aqud poëtas interdum corripiuntur, cum Latini vbique I longum habeant.

Statius, [1. Achilleid.]

Palladi littoreæ Scyros celebrabat honorum
Forte diem.

ACCVSATIVVS.

Accusatiuus in EM desinit, vt:

Sol	*Solem*
Torquis	*Torquem.*

Sed quorundam Accusatiui finiunt per IM, vt:

Turris	*Turrim*
Buris	*Burim*

Sitis

Sitis *Sitim*
Tussis *Tussim, apud Catullum,* [*ad Fund. epig. 39. Grauedinem & tussim illi ferat frigus.*]
Vis *Vim*
Peluis *Peluim.*

Et propria, vt:

Araris *Ararim, quod & Arar,* * *dicitur,* κατ᾽ ἀποκοπὴν. * Lucan. lib. 6. Rhodanumque morantem præcipitauit Arar.

Fabaris *Fabarim*
Tyberis *Tyberim & Tybrim.* † *Virg.* [*Aen. 7.*] *Qui Tyberim, Fabarimq; bibunt.* † Virgilius 8. Aeneid. A quo post Itali fluuium cognomine Tybrim Diximus, &c.
Tygris *Tygrim*
Syrtis *Syrtim,* *Lucan.* [*lib. 8.*] *Trans Pharon, in medio tanget ratis æquore Syrtim. Vbi tamen Aldus Syrtes legit. Priscianus Syrtim.*
Charybdis *Charybdim*
Opis *Opim, &c.*

Et quæ alia vel à Græcis sumta sunt, vel Græcorum formam habent, vt: *Mephitis* * *Mephitim, putor terræ, seu graueolentia.* * Videtur enim hoc à Græco μεσίτης, mutatione σ in φ translatum. Prisc.

Maguderis, Maguderim, fruticis genus, siue silphium, vt Priscianus [*libro 7. de Accusatiuo*

tertiæ

tertiæ declinationis] ait, vel vt alij, radix silphij, cuius succus olim Laser, hodie Bensoë vulgo, siue asa dulcis appellatur.

Ab Alpis tamen, quod proprium est, & pluraliter ferè vsurpatur, Latini poëtæ Alpem faciunt.

Lucanus [lib. 3.]

Agmine nubiferam rapto supereuolat alpem.

Et Iuuenalis, [sat. 10.]

Opposuit natura alpemq; niuemq;.

II. Quorundam per E M & I M, vt:

Puppis, Puppem & puppim.

Securis, Securem & Securim.

Sementis, Sementem vsitate & Sementim, apud Catonem de re rustica, capite 27. *

* Sementim facito ita. Columell. libro 11. cap. 2. Ante aliam sementim potest id obrui. Sic lentim Cato capite 116.

Restis, Restem apud Iuuenalem [sat. 10.] vt:
Descendunt statuæ restemq; sequuntur.

Et Restim, vt: Ad restim res rediit, apud Terentium, [in Phorm. act. 4. scen. 4.]

Febris, Febrem apud Plinium † & Celsum passim. Et Febrim apud Horatium secundo sermon. [Satyra 3.] vt:

† Plinius lib. 7. cap. 50. Quadrini circuitus febrem, nunquam bruma incipere. Celsus libro 3. cap. 4. Tot horæ expectandæ sunt, quot febrem habuerunt.

In gelida fixum ripa, febrimq; reducet.

Nauis, Nauem, vsitate, Virg. [1. Aen.]

Iam

Iam valida Ilionei nauem, iam fortis Achatæ, etc.

Qua voce & Liuius, * *& Terentius Accusatiuum ferè faciunt, vt: Nauem ascendit, [in Adelph. act. 4. scen. 5.] &c.*

* Vt in libro 2. decad. 4. Philippus nauem vt exaudiretur, propius terram applicuit.

Et Nauim, quod rarius est, vt apud Virgilium [Aen. 1.] Nauim in conspectu nullam, &c.

Et apud Persium, [sat. 5.]

Nauim si poscat sibi peronatus arator, &c.

Quo pacto & Clauim à Clauis dici quidam volunt, sed ego Clauem rectius dici iudico.

Sic enim & Ouidius, [1. Fastor.]

Ille tenens baculum dextra, clauemq; sinistra, &c.

VERSVS.

IM faciunt Turris, Buris, Sitis atq; Charybdis,
Tussis, Vis, Peluis, Maguderis atq; Mephitis.
Et propria, vt Fabaris, Tyberis, Leucaspis & Opis.
Tygrisq;, Syrtisq; & in IS residentia Græca.
EM dat et IM, Puppis, Restis, Febris atq; Securis,
Et Nauis, cum Sementi.

Græcorum mira varietas est. Quædam IN faciunt Accusatiuis, vt:

Genesis γένεσιν.
Thetis θέτιν.
Erinnys ἐρίννυν. Et cætera, quæ Græce per OS purum declinantur.

Quædam A, vt:

Pæan

Pæan παιᾶνα.
Sidon σιδῶνα.
Aër ἀέρα.
Rhetor ῥήτορα.
Pallas πάλλαντα.
Chlamys χλάμυδα, quæ Latini per EM efferunt, vt: *Chlamydem, Pallantem, Rhetorem, &c.*

Quædam etiam vtroque modo, hoc eſt, paribus ſyllabis, & imparibus, vt:

Chremes, χρέμητα, *& Chremem, quod Latini fecere.*

Paris, Paridem & Parin. Sed hanc diuerſitatem ex ſuis autoribus peti malim.

Obiter autẽ hic monendi ſunt pueri, neutrorum vbiq; ſimiles eſſe tres caſus: Nominatiuum, Accuſatiuum & Vocatiuum, vt: *Hoc Pecus, hoc Numen, hoc Tribunal, &c.*

VOCATIVVS.

Vocatiuus ſimilis eſt Nominatiuo, Græci tamen dicunt, *ô Palla, à Pallas.*
ô Thebai *à Thebais.*
ô Pari *à Paris, I breui.*

Ouidius, [in epiſtola Helenæ ad Parin.] Bella gerant fortes, tu Pari ſemper ama.

ABLATIVVS.

Ablati-

Ablatiuus regulariter per E fit, vt:

Pectus à Pectore *Pestis, à Peste.*
Clauis à Claue *Classis, à Classe*
Torquis à Torque *Rudis, à Rude, pro virga, vt apud Horat.* [*lib. 1. epistol. ep. 1.*]
Spectatum satis, & donatum iam rude quæris.

Sed tamen variant à regula non pauca, quorum alia per I faciunt Ablatiuos, alia per E & I simul.

Per I tantum faciunt Ablatiuos, Neutra in E, AL, & AR, desinentia, vt:

Mare *ab hoc Mari.*
Vectigal *ab hoc Vectigali.*
Calcar *ab hoc Calcari.*

A Sal tamen & Far, Sale & Farre dicimus.
Et, Præneste sub ipsa, dixit Virgilius, [*8. Aen.*] *Quod Priscianus* [*lib. 6.*] *proprijs peculiariter accidere dicit.*

Sed tamen videmus veteres & alia pleraque eodem modo finijsse. *Plautus in Rudente: Dicunt in mare communi captos. Idem,* [*Ibidem*] *Mea opera, & rete & horia, &c. pro mari & reti.*

II. Adiectiua in IS & ER, quorum Neutra in E desinunt, vt:

Fortis *ab hoc Forti.*
Humilis *ab hoc Humili.*
Acer *ab hoc Acri.*
Saluber *ab hoc Salubri.*

Non

Non autem *à Pauperi, Vberi, aut Degeneri, sed à Paupere, Vbere & Degenere*, siue quod neutris carent, seu potius quod vsus vetet.

Similiter & *à Iuuenale, à Martiale*, quando propria sunt.

III. Mensium nomina, vt:

September — *à Septembri.*
December — *à Decembri.*

Iuuenalis, [*sat.* 7.]

Tunc par ingenio precium, nunc vtile multis
Pallere, & toto vinum nescire Decembri.

Nam & ab Imbri, veteres dixisse, Priscianus [*lib.* 7.] *docet. Sic Lucret.* [*lib.* 1.]

Ex igni, terra, atq; anima procrescere, & imbri.

Recentiores tamen ab Imbre dicere maluerunt.

Ouidius, [5. *Fastor.*]

Nauita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.

IIII. Quæcunque Accusatiuum per IM tantum faciunt, vt:

Sitis	*Sitim*	*à Siti.*
Tussis	*Tussim*	*à Tussi.*
Vis	*Vim*	*à Vi.*
Peluis	*Peluim*	*à Pelui, &c.*

Alia per I vel E, promiscue faciunt Ablatiuos.

I. Adiectiua Omnis generis, vt:

Par ab hoc Pare & Pari, quod vsitatius est.

Memor, ab hoc Memore & Memori, * *quod item vsitatius est.*

* Antiquissimi enim

enim hic & hæc memoris & hoc memore proferebant. Prisc. in 7.

Vetus, ab hoc Vetere. Cicero in Offic. [lib. 1.] Vetere disciplina, & ab hoc Veteri.

Inops, ab hoc Inope, vsitate, & ab hoc Inopi.

Audax, ab hoc Audace & Audaci.

Supplex, ab hoc Supplice, & Supplici. Salustius, [con. Catil.] Voce supplici.

Duplex, ab hoc Duplice & Duplici. Terentius [in phorm. act. 4. scen. 2.] Duplici spe vtier.

Triplex, ab hoc Triplice & Triplici. Virgilius, [8. Aeneid.] At Cæsar triplici inuectus Romana triumpho Mœnias &c.

Artifex, ab hoc Artifice & Artifici. Statius 1. Achill. Qualiter artifici victuræ pollice ceræ, Accipiunt formas. Sic &:

Teres, a Terete & Tereti.

Hebes, ab Hebete & Hebeti.

Locuples, a Locuplete & Locupleti.

Vigil, a Vigile & Vigili. Nam & hæc Neutris aliquando iunguntur.

Hospes tamen ab Hospite tantum. Et,

Sospes, a Sospite faciunt.

Superioribus autem similia sunt, & *Tridens, ab hoc Tridente vel Tridenti. Virg. [2. Aen.] Magnoq; emota tridenti Fundamenta quatit.*

Potest enim hoc trium generum esse. *

* Vt si dicatur tridens hasta vel telum, & quæ alibi leguntur.

Anceps, ab hoc Ancipite vel Ancipiti.

Concors, ab hoc Concorde vel Concordi. Et quæ his cognata sunt.

Item Arpinas, ab hoc Arpinate vel Arpinati.

Fulginas, ab hoc Fulginate vel Fulginati, & similia. *Cicer. pro Cluent. Ex municipio Alctrinati.*

Et alibi idem, [pro Vareno.] Ruffus fuit à municipio Fulginate.

II. Comparatiua in O R & V S, vt:

Maior, ab hoc Maiore & Maiori.

Melior, ab hoc Meliore & Meliori, &c.

III. Verbalia in T R I X, vt:

Victrix, ab hac Victrice & Victrici.

Vltrix, ab hac Vltrice & Vltrici. Sed hæc tum adiectiue vsurpantur, & cum Neutris iunguntur, *vt apud Lucanum, [lib. 1.]*

In sua Victrici conuersum viscera dextra.

Nam substantiue vsurpata, non facile in I, Ablatiuos admittunt, vt: *ab hac Obstetrice. Ab hac Nutrice, &c.*

IIII. Substantiua in C T I S, M N I S, G N I S, G V I S, & V I S pleraque, vt:

Vectis, à Vecte vsitate, & Vecti, apud Terent. in Eunucho, [act. 4. scen. 7.] vt: In medium huc agmen cum vecti Donax, &c.

Amnis, ab Amne & Amni.

Lucan. [lib. 6.] Amne citato.

Virgilius, [1. Georg.]

Prono rapit alueus amni, &c.

Ignis

Ignis, ab Igne & Igni, vt: Et cæco carpitur igni. [*Aeneid.* 4.]

Anguis, ab Angue & Angui. Horat. 1. *Epist.* [*ep.* 18.] *Textam cane peius & angui Vitabat chlamydem.*

Vnguis, ab Vngue, quod vsitatius est, & Vngui, apud eundem, [*in Epist.* 1. *ep.* 20.] *Acuto ne secer vngui.*

Ciuis, a Ciue & Ciui. Cicero pro Sestio. Quod ausus esset pro ciui, pro benemerito ciui. Et philip. 7. *Sed in principe ciui non satis est.*

Auis, ab Aue & Aui. [*Horat.* 1. *Carm. Od.* 15.] *Mala ducis aui domum, Quam multo repetet Græcia milite.* Quanquam in posterioribus his Ablatiui in I, rariores sunt.

Vt & à Posti, pro Poste: cuius exemplum apud Ouid. [5. *Metamorph.*] *legitur.*

Raptaq; de dextra robusta repagula posti,
Ossibus illisit,

Postremo faciunt biformem Ablatiuos, ea quorum Accusatiui per EM & IM finiunt, vt:

Nauis, à Naue & Naui. [*Terent. in Andr. act.* 5. *scen.* 4.] *Naui fracta, apud Andrum eiectus est.*

Febris, à Febre & Febri. Iuuenal. [*sat.* 13.] *Præterea lateris vigili cum febre dolorem. Et Cato ad Filium: Ex dolore, ex febre, ex siti, &c.*

Puppis, à Puppe & Puppi, vt: Virgil. 3. 8.

 & 10.

& 10. Aeneid.] *Stans celsa in puppi.*
Et Lucanus, [lib. 2.] Rapta puppe minor.

Securis, a Secure & Securi, Virg [6. Aen.]
Sæuumq; securi Aspice Torquatum, &c.

Restis, a R.ste & Resti.

*Turris, a Turri vsitate, & a Turre, quod rarius est. Nam & Accusatiuum Turrem, * repudiauit consuetudo doctorum. Iuuen. [sat. 6.]*
Stantes Collina in turre mariti.

* Quo vsus est Actius in Medea apud Vetustam turrem, &c.

Sic & Sementis, a Semente & Sementi, apud Colu-mell. in lib. 2. cap. 12. †

† Peracta sementi, sequens cura est sarritionis.

Supellex, a supellectile, vt: de supellectile legata, apud Iureconsult. 10. tit. lib. 33. π.

Et a supellectili, vt: In Instrumento & supellectili C. Verris, apud Cicer. [in Verrin. 6]

*Strigilis a strigili. Horat. [lib. 2. serm. sat. 7.] Furtiua mutat stri ili. Nam & strigilim Accusatiuo casu apud Nonium * leges.*

* De indiscretis generibus.

† *Mugilis, quod & Mugil dicitur, a Mugili, apud Plinium, [libro nono, capite 17.]*

† De Mugili & aliis piscibus.

Canalis, a Canali. Statius, [lib. 1. Silu.] in Epithalam. Stellæ. Flumina demerso trahit intemerata canali, &c. quod tamen sunt qui a Nominatiuo Canale, deductum velint: & id genus

plura-

plura fortaſsis quæ diligens lectio ſuppeditabit.

CASVS PLVRALIS numeri.

Nominatiuus, Accuſatiuus & Vocatiuus pluralis, in cæteris generibus deſinunt in ES, vt:

Colles *Ardeliones.*

Neutrorum terminatio, vt alias etiam A eſt, vt:

Hæc Pectora, Flumina, Corda, &c.

Sed hic obſeruabunt pueri, in I A exire ea, quorum Ablatiui deſinebant in I tantum, vel in I & E promiſcue, vt:

Hæc Mollia *Vectigalia*
Hæc Audacia *Victricia, &c.*

Præter *Vetus, Vetera, quod tantum dicitur, non Veteria.*

Et comparatiua, *vt ſunt, Meliora, Grauiora, etc.*
Veteres tamen & *Pluria & Plura dixere.* *

* Vide Gell. lib. 5. cap. 21. Terentium in Phor. act. 4. ſcen. 2.

Et à ſingulari Apluſtre, quod nauis ornamentum ſignificat Apluſtra & Apluſtria vſus fecit.

Cicero in Arato.

Nauibus aſſumtis fluitantia quærere apluſtra.

Et in eodem Cæſar.

Fulgent Argoæ ſtellis apluſtria Puppis.

Obseruabunt & antiquam diphthongum in Accusatiuis nominum, quorum Genitiui sunt Nominatiuo similes. Item, quorum Nominatiui desinunt in duas consonantes, vt:

Acreis, Omneis, Salubreis, Parteis, Arteis, &c. Item: *Imbreis, Decembreis, Plureis, Complureis, &c.* Et pluralia tantum, *vt Sardeis, Tralleis, & similia.*

Græci Accusatiui terminatio AS est, vt:

Titanas, Cyclopas, Crateras, &c.

Virgilius, [1. Aeneid.]

Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

Vbi & illud notandum, quod quæ Græcis casibus in ES vel AS desinunt Nominatiuo & Accusatiuo, vltimam plerunque correptam habent, vt:

Virgilius, [12. Aeneid.]

Iam vero & Rutuli certatim Troës & omnes.

Et: [3. Aeneid.] Sparsasque per æquor

Cycladas, & crebris legimus freta concita terris.

DE GENITIVO.

Genitiui terminatio est VM vel IVM. *Sæpe autem mediocriter literatis nonnihil negocij hæc varietas facit, dubitantibus, vtra terminatione sit vtendum.* Proinde pueri diligenter assue-

aſſuefaciendi ſunt ad perdiſcendam huius caſus varietatem.

REGVLA I.

In IVM deſinunt omnia, quorum Ablatiui finiunt I, ſiue ſolum, ſiue I & E ſimul, vt:

Igni	*Ignium*
Amni	*Amnium*
Vtili	*Vtilium*
Felici	*Felicium*
Victrici	*Victricium, &c.*

Cum adiectiue ſumuntur. *Nam Nutrix, ſubſtantiuum, Nutricum facit.*

Ancipiti	*Ancipitium.*
Tricipiti	*Tricipitium,*

& quæ alia à Caput veniunt.

Animans	*Animantium*
Sapiens	*Sapientium.*

Nonnunquam tamen ſyncope fit, *vt: Cœleſtum pro Cœleſtium, apud Virgilium, Cœleſtûm vis magna iubet. Aeneid. 7. Arpinatum pro Arpinatium, apud Ciceronem* [*Epiſt. lib.* 13. *ep.* 13.] *Alia epiſtola communiter commendaui tibi legatos Arpinatum.*

Excipiuntur à regula Comparatiua, vt:

Maiorum	*Meliorum.*

Præter *Plus, quod Plurium facit.*

Item hæc: *Vetus* *Veterum.*

Memor Memorum. *Vigil Vigilum.*
Locuples, *Locupletum.* *
Supplex, *Supplicum.*
Pontifex, *Pontificum.*
Artifex, *Artificum.*
& similia à Facio composita.

* Hæc differentiæ caussa proferri per V M tantum putat. Prisc. in 7. propter substantiua Neutra, artificium, supplicium, &c.

REGVLA II.

Quæ Nominatiuum duabus consonantibus finiunt, Genitiuis I V M faciunt, vt:

Pars, Partium. *Vrbs, Vrbium.*
Falx, Falcium. *Glans, Glandium.*
Trabs, Trabium. *Merx, Mercium.*
Ars, Artium. *Cohors, Cohortium.*

Parens, Parentium, vt apud Horatium, [*lib. 3. Carm. Od. 24.*] *Dos est magna parentium virtus, &c, Sed tamen Parentum vsitatius dicitur.* Quæ syncope & in alijs quibusdam crebro fit, vt sunt: *Serpentum, Bidentum, Rudentum, &c.*

Exceptis *Hyems* *Hyemum.*

Et quæ BS & PS desinunt polysyllaba, vt:

Arabs *Arabum*
Cælebs *Cælibum.*
Princeps *Principum.*
Municeps *Municipum.*
Manceps *Mancipum.*

Forceps

Forceps — *Forcipum*
Inops — *Inopum.*

R E G V L A III.

Vbi pares ſyllabæ in Nominatiuo ac Genitiuo ſunt, plurales Genitiui fiunt per IVM, vt:

Collis — *Collium*
Menſis — *Menſium*
Auris — *Aurium*
Aedes — *Aedium*
Sedes — *Sedium.*

Cicero & Sedum dixit pro Seſtio. †

† Veſtarum ſedum templorumque cauſſa.

Exceptis

Vates — *Vatum*
Iuuenis — *Iuuenum*
Canis — *Canum*
Panis — *Panum*
Volucris — *Volucrum*, cum ſubſtantiue ponitur. Et:

Apis, à quo Apum & Apium, apud Columellam paſſim legitur. *

* Vt lib. 9. de re ruſt. cap. 12. Quæ ſit forma regis apum, &c. 21. Quomodo apium paucitas emendetur.

R E G V L A IIII.

Faciunt IVM ea, quæ in IS longum deſinunt, vt:

Lis — *Litium*
Dis — *Ditium*
Quiris — *Quiritium*
Samnis — *Samnitium.*

Et quæ pluraliter tantum dicuntur, vt:

Vires — *Virium*
Manes — *Manium*
Tres — *Trium*
Sales — *Salium*
Penates — *Penatium & Penatum.*

Præter *Opes* — *Opum*
Proceres — *Procerum*
Luceres — *Lucerum,* tertia pars *ciuium sub Romulo.*
Celeres — *Celerum, equites Romuli.*
Lemures — *Lemurum.*

Item in A S Monosyllaba & Gentilia, vt:

Mas Marium — *As Assium*
Vas — *Vadium*
Arpinas — *Arpinatium, & Arpinatum, vt supra.*

REGVLA V.

Postremo faciunt I V M, & hæc monosyllaba:

Os — *Ossium*
Cor — *Cordium*
Nix — *Niuium*
Nox — *Noctium*

Faux

Faux	*Faucium*

Facit & Caro Carnium. Nam antiqui etiam Carnis Nominatiuo casu dicebant.

Cætera omnia faciunt pluralem Genitiuum in V M, vt:

Poëma	*Poëmatum*
Arundo	*Arundinum*
Consul	*Consulum*
Numen	*Numinum*
Agger	*Aggerum*
Fur	*Furum*
Mos	*Morum*
Miles	*Militum*
Ciuitas	*Ciuitatum, quod ta-*

men per Syncopen dici, pro Ciuitatium, Prisc. [*lib. 7. de plur. Genitiuo tertiæ declin.*] *existimat.*

Silex	*Silicum*
Caput	*Capitum, &c,*

Boum, à Bos, anomalum est.

Et Alituum, pro Alitum, epenthesi fecit Poëta.

Virgilius, [8. *Aeneid.*]

Alituum, pecudumq; genus sopor altus habebat.

Notantur hoc loco & Festorum nomina antiqua, quæ duplices Genitiuos habent, vt *Saturnalia, Saturnalium, & Saturnaliorum.* * Vide Macrob. lib. 1. Satur. ca. 4. *Bacchanalia, Bacchanalium, & Bacchanaliorum.*

DATIVVS ET ABLATIVVS.

Datiuus & Ablatiuus in BVS desinunt, vt: *Canibus* *Militibus, &c.*
Bobus, Anomalum est.

Græca in MA, geminos Datiuos & Ablatiuos habent, vt:
Epigramma, Epigrammatibus, & Epigrammatis. Poëma, Poëmatibus & Poëmatis. Plautus [in Asina.] Nam neque vsquam fictum, neque pictum, neque scriptum in poëmatis, &c.

QVARTA DECLINATIO.

Quarta declinatio continet duas terminationes, VS & V, quæ Neutrorum est. *Formam declinationis ex paradigmate cognosces.*

PARADIGMA.

Singulare.	Plurale.
Hic Fructus	*Hi Fructus*
Huius Fructus	*Horum Fructuum*
Huic Fructui	*His Fructibus*
Hunc Fructum	*Hos Fructus*
O Fructus	*O Fructus*
ab hoc Fructu.	*ab his Fructibus.*

DE GENITIVO SINGVLARI.

Genitiuus regulariter VS finit.

Veteres

Veteres autem etiam per VIS diuisas syllabas Genitiuum fecerunt. * *Terentius in Heaut.* [*act. 2. scen. 3*] *Eius anuis caussa opinor, quæ erat mortua.*

* Vide Gell. li. 4. cap. 16. Prisc. in 7. Diomed. in 1.

Nam apud eundem : [in Andr. act. 2. scen. 2.] Nihil tumulti, Et Nihil ornati, pro tumultus & ornatus, antiquè dicta sunt in secunda declinatione.

DE DATIVO.

Datiuus in VI diuisas syllabas exit.

Apud Poëtas tamen Metu pro Metui, Victu pro Victui, & similia, κατ' ἀποκοπὴν, *dicta inuenias.* *Virg.* [1. *Aeneid.*]

Parce metu Cytherea. Et : [Georg. 4.]
Namq; aliæ victu inuigilant, &c.

DE GENITIVO PLVRALI.

Patitur & in hac declinatione syncopen Genitiuus pluralis, *vt apud Virgilium,* [*6. Aeneid.*]

Quæ Gratia currûm, Armorumq; fuit.
Vbi alij Synalœphen fieri aiunt.

DE DATIVO ET ABLATIVO.

Bifariam Datiui & Ablatiui finiunt in hac declinatione : Quidam enim V in pen-

in penultima ante B habent, vt:

Acubus, Arcubus, Artubus, Lacubus, Portubus, Quercubus, Specubus, Tribubus, Verubus. Quibus alij addunt & Partubus & Questubus, a Questus pro Querela.

† Sed in talibus doctorum consuetudo obseruanda est.

† Quæstus enim à quæro, quod lucrum nummarium significat, quæstibus facit. Valla libro tertio, cap. 12.

V E R S V S.

Arcus, Acus, Portus, Quercus, Ficus, Lacus, Artus,
V retinent, quibus & Tribus, & Verua, & Specus adde.

Cætera I ante B habent.

Manibus *Genibus* *Fluctibus, &c.*

In V singulari numero ἄπτωτα sunt, vt:

Hoc Cornu
Huius Cornu
Huic Cornu
Hoc Cornu
O Cornu
ab hoc Cornu

Plinius tamen ceruini cornus dixit aliquoties vt lib. 28. ca. 11. Ceruini cornus cinere scabritias eorum inungunt.

Pluraliter autem sic declinatur:

Hæc Cornua
Horum Cornuum
His Cornibus

Sic Verua, Tonitrua, & similia, quanquam in plerisq; cæteri casus præter

Hæc Cornua	*ter Nominatiuum & Accusatiuum admodum rari sunt.*
O Cornua	
ab his Cornibus.	

QVINTA DECLINATIO.

Vnica terminatio est Quinti ordinis ES, vt: *Species, Fides, &c. Declinantur autem.*

Singulariter.

Hæc Species	E, longa est in puris, *id est*, vocalem ante E I, habentibus, vt: *Materiei, Progeniei, &c. In alijs breuis, vt Fidei, &c.*
Huius Speciei	
Huic Speciei	
Hanc Speciem	
O Species	
ab hac Specie.	

Pluraliter.

Hæ Species	
Harum Specierum	Genitiuus, Datiuus, & Ablatiuus in paucis nominibus huius ordinis vsitati sunt.*
His Speciebus	
Has Species	
O Species	
ab his Speciebus.	

* Qualia fere sunt: acies, dies, facies, meridies, res, progenies.

Olim ex tertio ordine quædam etiam hoc modo declinabantur, vt *Plebs, Plebei. Qui Genitiuus apud Liuium frequens adhuc legitur.* †

† Liuius lib.3.ab V.C. Fusa ac fugata

gata plebes est, & ibidem: Quos hodie tribunos plebei feceritis.

Est autem id quoque obseruandum, Genitiuum singularem in hac declinatione contrahi solere, vt: *pro Diei, dicatur Die, * pro Fidei, Fide, &c. Quæ recte scripseris, Dieï & Fideï, antiqua diphthongo, vt apud Virg.* [1. Georg.]

† Gellius lib. 9. cap. 14.

Libra dieï, somniq; pares vbi fecerit horas.

Et tertio Metamorph. Ouid.

Prima fideï, vocisq; ratæ tentamina sumsit.

DE HETEROCLITIS.

Hactenus Analogiam proposuimus, quam pueros animo complecti oportet, vt fingere ex propositis paradigmatis, omnium vocum casus ac variationes possint.

Est autem Analogia † proportio, cum similia inter se conferuntur. *Nomen factum est ab ἀναλέγομαι, quod significat reputo, confero, quod videlicet collatione similitudo deprehendatur, & appareat. Superest igitur, vt & de Anomalis dicamus.* Sunt enim nonnulla, in quibus vsus Latine loquentium discessit ab Analogia. ὁμαλὸν Græcis æquale significat. Vnde anomala dixerunt, quæ non quadrant ad regulam.

† Gellius lib. 2. cap. 25.

ANO-

ANOMALA SEV DEFECTIVA NUMERO.

Maſculina ſingularia tantum hæc ferè recenſentur:

Aër *Aether* *Almus*
Aluus *Carcer* *Ceſtus, pro Cingulo Veneris.*
Fimus *Limus* *Mundus*
Penus *Puluis* *Pontus*
Ros *Sopor* *Sol*
Sanguis & Veſper.

Quæ eadem hiſce tribus verſiculis continentur:

Aer, Sol, Mundus, cum veſpere, Pontus et Aether,
Sanguis, Ros, Aluus, cum Carcere, Puluis & Almus,
Et Sopor, & Ceſtus, Limus, Fimus, & Penus adde.

Verum hic, vt & in cæteris deinceps, ſatius eſt vſum conſulere. *Nam & alia permulta ſunt, quæ vix pluraliter vſurpata reperias. Et rurſum ex his quæ recenſuimus, aliquando pluralia ſunt, vt Soles pro æſtu & pro diebus. Carceres, pro ſeptis, vnde equi in certamen emittuntur.*

Fœminina ſingularia tantum.

Culpa *Contagio* *Bilis*
Fama *Fuga* *Fames*

Gloria	*Gaza*	*Indoles*
Iuuentus & Iuuenta. [*Vall. lib. 4. cap. 40.*]		
Lux	*Labes*	*Lues*
Mors	*Pestis*	*Pubes*
Paupertas	*Plebs*	*Proles*
Salus	*Sitis*	*Soboles*
Senectus & ta		*Supellex*
Talio	*Tabes*	*Tussis*
Tellus &	*Vita.*	

Item : *Fides*, *Spes*, *Requies*, & pleraque alia quintæ declinationis.

Præterea virtutum & viciorum nomina, *vt sunt : Amicitia, Eloquentia, Pax, Veritas, Pietas, Iusticia.*

Item : *Ira, Amentia, Auaritia, Insania, Perfidia, & similia.* Quæ & ipsa versiculis hisce comprehenduntur.

Vita, Salus, Soboles, Proles, Mors, Gloria, Tellus,
Lux, Fuga, Fama, Lues, Humus, & cum Pube Iuuentus,
Paupertas, Plebs, Gaza, Fames, Contagio, Labes,
Talio, cum Tussi, cumq; Indole, Culpa, Senectus,
Et Bilis, Pestis, Tabes, Sitis atque Supellex.
Hinc bona pars quintæ, ceu spes, requiesq;, Fidesq;,
Quæq; aliquod vicium, aut virtutem nomine signant.

Sed tamen inuenias & horum quædam pluraliter elata, *vt pro Rab. Post. Cicer. Nec me pœnitet mortales inimicitias sempiternas amicitias habere.* Et

Et Gell. [lib. 1. cap. 2.]

Adolescens inanes flabat glorias.

Item Terent. [in And act. 3. scen. 3.]

Amantium iræ amoris redintegratio est, &c.

Neutra singularia tantum.

Aeuum, Album cum de tabula prætoris dicitur.

Cœnum	*Fascinum*	*Fel*
Gelu	*Halec*	*Iusticium*
Iubar	*Lethum*	*Lutum*
Macellum	*Nihilum*	*Pedum*
Penus	*Pelagus*	*Salum*
Senium	*Solium*	*Sesum*
Ver	*Vitrum*	*Vulgus*

Et ἄκλιτα, Pus, Fas, Nefas & Virus.

VERSVS.

Ver, Pelagus, Senium Soliũ, Nihilumq;, Pedumq;,
Lethum, Iusticium, Fel, Cœnum, Vulgus et Aeuum,
Et Iubar, & Halec, cum Vitro, Fascinum, & Album,
Adde Gelu, atque Salum, Penus, atque Lutum, atq; Macellum.
Quæq; carent casu, Virus, Pus, Fasq;, Nefasq;.

Carent præterea plurali numero metallorum nomina, vt: *Aurum, Argentum, Electrum, Plumbum, Ferrum, Orichalcum, &c.*

Et quæ semina, vel alia terræ nascentia significant pleraq;, vt: *Hordeum, Eruum, Triticum, Ador, Fœnum, Cordum, Crocum, Cicer, Oriza, Conchis, &c.*

Item liquidorum nomina, aliarumque rerum, quæ vel ad mensuram, vel ad pensum pertinent, vt: *Oleum, Lac, Nectar, Mulsum, Garum, Acetum, Butyrum, Oleum, Resina, Pix, Nitrum, Sal, Piper & similia.* Dixit tamen Virgilius, [3. Georg.]

Idæasq; pices, & pingues vnguine ceras.

Cuiusmodi & alia fortassis inuenies, sed apud poëtas ferè tantum.

Et quæ vnius rei propria ac sola sunt, vt: *Orcus, Erebus, Barathrum, Rhenus, Albis, Corinthus,* & id genus alia. Atque hæc singularia tantum sunt, non quidem omnia, vt supra monuimus, sed communiora. Cætera studiosus puer per se adijciet.

¶ Vt autem singulariter quædam solum dicuntur, ita rursum pluraliter alia tantum, quæ & ipsa, vt vulgo traduntur, subijciemus.

Masculina pluralia tantum.

Antes	*Annales*	*Artus*
Canie	*Cancelli*	*Carceres, pro*
Casses	*Cœlites*	*septis.*
Fasces	*Fasti*	*Fori, pro sedilibus.*
Inferi	*Superi*	*Manes.*

Gemini, Trigemini, &c. cum de ijs intelligitur, qui tales nascuntur.

Lares	*Lemures*	*Liberi.*

Loci, cum de mulieribus intelligitur.

Natales

Natales, cum de genere vel familia dicitur.
Penates Proceres Primores
Pugillares Sales, pro salse dictis. Et:
Vepres, cuius tamen singulari Ablatiuo Ouidius vsus est, 5. Metamorph.
Aut lepori, qui vepre latens, hostilia cernit
Ora canum.

Et propria quædam locorum ac populorum, vt
Gabij Pometij Heluetij
Parisij, & similia. Hæc eadem versiculis his continentur:

Liberi & Annales, Natales atq; Penates,
Cancelli, Cani, Fasti, Superi, Inferi & Artus,
Manes, & Lemures, cum Cælitibusq; Primores,
Et cum Carceribus, Gemini, Proceresq; Laresq;,
Inde Pugillares, Fasces, Vepresq;, Salesq;,
Atque Fori, atque Loci, & iuncti cum Cassibus,
Antes,
Et propria, vt Gabij, Locri, Veij, atq; Philippi.

Fœminina pluralia tantum.

Aedes, pro domo priuata. * 　* Vall. lib. 3. cap. 7. Gell. lib. 4. cap. 14. Aedem singulariter dixit.
Alpes, montium nomen, quo tamen poëtæ singulariter aliquando vsi sunt.
Ambages 　*Antiæ, muliebres capilli,* προκόμιον Græce.
Apinæ, pro rebus vilibus & nihili.
Argutiæ 　Blanditiæ

 　Bigæ.

Bigæ, & quæ ab eadem origine veniunt:
Trigæ *Quadrigæ, &c.* * * Vide Gell. lib. 19. cap. 8.
Ceremoniæ, Copiæ, pro exercitu, quanquam Virg. [2. *Aeneid.*] *& singulariter dixit:*

Et quæ sit me circum copia lustro.

Cunæ *Clitellæ* *Compedes*, cuius tamen Ablatiuo singulari compede vtuntur poëtæ.
Crates *Calendæ, quas à καλεῖν, id est, vocando nominarunt. Nam nouilunio conuocabatur plebs, & pronunciabatur numerus dierum, qui ad Nonas supereßent. Nonis enim conueniebant populares ex agris in vrbem.* *

* Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 15.

Diuitiæ *Dapes, pro fercüs.*
Excubiæ *Exuuiæ* *Exequiæ*
Feriæ *Facetiæ* *Fauces, pro angustijs locorum.*

Fores, cuius tamen Ablatiuo singulari Fore, vsus est Horatius, [*lib. 1. sermon. sat. 2. Exclusus fore, cum Longarenus foret intus.*] *Accusatiuo Forem. Ouidius,* [*lib. 1 amor. eleg. 6. Difficilem moto cardine pande forem.*] *Nominatiuo Plautus,* [*in Amphit. Increpuit foris.*] Sed plurale tamen vsitatius est:

Grates *Grossi, pro ficis.*
Genæ, sed & hoc singulariter vtitur passim Plinius. * * Sic in lib. 11. cap. 37.

cap. 37. Extremum ambitum genæ superioris antiqui cilium vocauere.

Habenæ, cuius singulari Ablatiuo, Virgilius vsus est, [9. Aeneid. Ipse ter adducta circum caput egit habena.]

Illecebræ Induciæ Inferiæ

Insidiæ Inimicitiæ, cuius singulare Inimicitia apud Ciceronem in Tusculanis † legitur.

† In Tusculana quarta: Inimicitia ira vlciscendi tempus obseruans.

Idus, quæ a diuidendo dictæ sunt. Nam in medium mensem incidunt. Iduare autem diuidere veteribus significabat.

Literæ, pro epistola. [Valla lib. 3. cap. 6.]

Lactes, de quibus supra

Manubiæ Minæ

Nundinæ Nuptiæ Nugæ

Nonæ, quas Plutarchus [in Numa Pomp.] quasi Neomenias dictas putat. Tunc enim prodit à coitu Luna, & clare conspicitur.

Opes Offuciæ, Plautus in Cap.

Ita mihi stolido suis os subliniuit offucijs.

Primitiæ Præstigiæ Phaleræ

Paleæ, vt quidem Seruio placet. Nam Virgilius [1. Georg.] singulariter vsus est. * Nequicquam pingues palea teret area culmos.

Quisquiliæ Reliquiæ

Salebræ, Cicero tamen, in salebra singulariter dixit [in 5. de Finibus : Hæret in salebra.

Secundæ, τὰ ὕστερα *Græce.*
Sordes *Sortes*, *pro oraculo.*
Suppetiæ *Scopæ* *Scalæ*, *tametsi Scala singulari numero apud Iurisconsultum* * *legitur*, *vt*: *Qui scalam sciens commodauerit ad ascendendum.* Sed plurale vsitatius est. *Salustius in Iugurth.*

Vnæ atq; alteræ scalæ comminutæ sunt.
[*Valla lib.* 3. *elegant. cap.* 13.]

* Caius in L. si pignore. parag. qui ferramenta 47. lib. ff. de furtis.

Tenebræ *Tricæ* *Thermæ*
Vigiliæ *Valuæ*, &c. *Vires*, cuius, tamen singulare quidam Vis esse volunt, & inter anomala referunt.

Item vrbium quædam, vt:
Athenæ *Amyclæ* *Baiæ*
Cumæ *Pheræ* *Thebæ*
Sardes *Tralles*

V E R S V S.

Antiæ & Ambages, Aedes, Argutiæ, & Alpes,
Blanditiæ, Bigæq;, Apinæ, Tricæ atq; Clitellæ,
Copiæ & Excubiæ, Grates, Diræq;, Genæq;,
Et cum Compedibus, Ceremoniæ atque Salebræ,
Diuitiæ, Sordesq;, Inimicitiæ, Insidiæq;,
Cratesq;, Grossiq;, Facetiæ, Opesq;, Foresq;,
Feriæ & Exequiæ, Fauces, Valuæq;, Minæq;
Litteræ & Illecebræ, Lactes, Nugæ atq; Tenebræ,
Exuuiæ, Scopæq;, Manubiæ, Quisquiliæq;.

Nundinæ

Nundinæ & Induciæ, Nonæ, Idus atq; Calendæ,
Nuptiæ & Inferiæ, Cunæ, Thermæ atq; Secundæ,
Vires, Suppetiæq;, Vigiliæ, Primitiæq;,
Relliquiæ, Phaleræ, Paleæ, Præstigiæ, Habenæ,
Sortesq;, Scalæq;, Offuciæ, & oppida, Thebæ,
Cumæ, & similes, quarum pars maxima Graiæ.

Neutra pluralia tantum.

Arma Bellaria Castra, quo tamen singulariter vsus est Virg. [6. *Aen.*] *sed paulò alia significatione, vt: Pometios, castrumq; Inoi, &c.*
Cunabula Crepundia Exta
Genitalia Hiberna Ilia, cujus singulare Ile apud Plinium † *legitur.*

† Libro 11. capite 37.

Iusta, sacrificia mortuorum.
Iuga, pro summitatibus montium.
Lustra, pro stabulis ferarum.
Mœnia Munia Magalia
Mapalia Pascua substantiuum, Columella * *tamen dixit:*

* Lib. 7. cap. 1.

In eo rure, quod pascuo caret, &c.
Parentalia Palearia, quæ boum sunt.
Præcordia Repotia Rostra, vbi Romæ conciones fiebant.
Sponsalia Statiua, pro Castris.
Tesqua, loca augurio designata. Vinacea.

Præterea propria quædam, vt:

Hæc Cythæra Ceraunia Gargara Artaxa-

Artaxata *Bactra* *Susa*

Et festorum nomina, vt:

Orgia *Mysteria* *Bacchanalia*

Scenopœia, & *similia*.

VERSVS.

Ilia cum Rostris, Bellaria, Pascua & Arma,
Exta, Parentalia, Sponsalia, Munia, Iusta.
Mœnia, Vinacea, Cunabla, Crepundia, Castra,
Et Iuga cum Lustris, Hiberna, Repotia, Tesqua,
Hinc Præcordia cum Genitalibus atq; Statiuis,
Et Mapalia cum Balearibus, atq; Cytharis,
Et proprijs alijs, velut: Orgia, Gargara, Susa.

Etiam in titulis pluralis numerus frequenter vsurpatur; vt:

Bucolica *Georgica*

Halieutica *Chronica*, &c.

ANOMALA GENERE.

Quædam nomina vtroque numero declinantur, sed diuersis generibus.

Masculina in plurali Neutra.

Tartarus *Hæc Tartara*

Auernus *Hæc Auerna*

Dindymus *Hæc Dindyma.* *Virgilius*, [*Aencid.* 9.] *Ite per alta Dindyma*, &c.

Mænalus, *hæc Mænala*, *Ouidius*: *Mænala transierant*, 1. *Metamorph.*

Ismarus,

Iſmarus, *hæc Iſmara. Virgilius : Iuuat Iſmara Baccho conſerere.* [2. *Georg.*]

Maſſicus , *hæc Maſſica. Idem* : [7. *Aeneid.*] *Vertunt ſeli ia Baccho Maſſica,* &c.

Taygetus, *hæc Taygeta. Idem* : [2. *Georg.*] *Et virginibus bacchata Lacænis Taygeta*, &c. Cuius formæ fortaſsis etiam alia inuenies. Nam Latini in his Græcorum exempla imitati ſunt , apud quos huiuſmodi nomina Neutro genere vſurpantur , ad ſubſtantiuum ὄρος relata.

His ſimilia ſunt & hæc appellatiua *Sibilus*, *hæc Sibila. Lucan.* [*lib.* 9.]

Cerberus Orpheo leniuit ſibila cantu.

Baltheus , *quod* & *Baltheum ſingulariter quidam tradidere* , * *hæc Balthea.* * Varro lib. 4. de lingua Latina : Baltheum , quod cingulum è corio habebat, bullatum baltheum dictum.

Iuſſus & *Iuſſum* , *apud Gellium* , *hæc Iuſſa.* † † Lib. 1. cap. 20. Lex eſt , generale iuſſum populi aut plebis, rogante magiſtratu.

Supparus & *Supparum* , *hæc Suppara. Lucanus*, [*li.* 2.] *Suppara nudatos cingunt anguſta lacertos.*

Et quæ vtroque genere pluralem faciunt.

Locus	*Loci* & *Loca*
Iocus	*Ioci* & *Ioca* , *ſed inuſitate.*

Cicero ad Atticum [*lib.* 14. *ep.* 12.] *Itaq; ioca tua plena facetiarum.*

Euentus quartæ declinationis in ſingulari vſitatius eſt.

tius est. Ouidius [in epist. Phyll. ad Demoph.]

Careat successibus opto,
Quisquis ab euentu facta notanda putat

In plurali, Euentus apud Liuium [lib. 10. ab V. C. decad. 3.] reperies, vt: Nusquam minus, quàm in bello, euentus respondent.

Euenta autem apud Ciceronem, [ad Atticum lib. 9. ep. 4.] pro rebus quæ accidunt, vt: Semper enim caussæ euentorum magis mouent, quàm ipsa euenta, Valla [lib. 1. cap. 7.]

Fœminina in plurali Neutra.

Carbasus, hæc Carbasa, quanquam & hoc singulariter Masculinum vsurpari dicant.

Pergamus, apud Homerum, vt κατ' περγάμου ἄκρου. Iliad.

Hæc Pergama, apud Virg. [1. Aeneid.] vt: Pergama cum peteret, &c. Quo numero Latini ferè vtuntur, cum de arce Troiana intelligitur. *

* Nam de regia Attali, quæ Galeni patria fuit, in singulari magis in vsu est.

Intybus autem, hæc Intyba, quod alij addunt apud Plinium Masculino genere, Intybus, Intybi, & Neutro Intybum, Intyba declinatur, vt lib. 19. cap. 8. Nec ex eodem genere possunt dici, neq; ex alio Intybi hyemis impatientiores, virusq; præferentes, sed caule non minus grati. Item lib. 20. cap. 8. Intybi quoq; non extra remedia sunt. Succus eorum cum rosaceo & aceto, capitis dolores lenit. Et rursum libro superiore. Est & erraticum

Intybum,

Intybum, quod in Aegypto Cichoreum vocant, &c. A quo Nominatiuo Virgilius, [1. Georg.] fecit: Et amaris Intyba fibris.

Pascuam, substantiue non dixerunt veteres, sed Pascuum & Pascua pluraliter.

Et Zizania, quod apud Suidam ζιζάνιον * *scribitur, & pro* αἶρα, *siue lolio accipitur, sacris literis magis, quàm Græcis, aut Latinis vsurpatum est.*

*ζιζάνιον inquit, ἡ ἐν τῷ σίτῳ αἶρα.

Neutra in plurali Masculina.

Cœlum	*Cœli*	
Frenum	*Freni*	*Inuenies tamen*
Porrum	*Porri*	*& Frena, Ra-*
Rastrum	*Rastri*	*stra, Capistra.*
Capistrum	*Capistri*	
Argos	*Argi, Græcum.*	

Hoc Specus, & hi Specus vsitate, iuxta Seruium. †

† 7. Aeneid.

Neutra in plurali Fœminina.

Epulum — Epulæ

Balneum — Balneæ & Balnea.

Delicium — Deliciæ, Plaut. [in Trucul.] *tamen & Delicia, Nominatiuo singulari dixit, vt: Mea voluptas, mea delicia, &c.* *

* Idem in Rudent. Ocium vbi erit, tum tibi operam ludo & deliciæ dabo.

ANOMALA DECLI-natione.

Vas,

Vas, Vasis, singulare tertiæ declinationis est. Plurale, Vasa, Vasorum secundæ. Nam veteres & Vasum dixerunt. *

* M. Cato apud Gellium lib. 13. cap. 22. Neque villa ædificatio, neque vasum, &c.

Iugerum, Iugeri, singulariter dicitur. In plurali in tertium ordinem degenerat, *Iugera, Iugeribus. Inuenias tamen in singulari & Iugere* †

† Vt Plin lib. 18. cap. . De ugere & actu. & Tibull. lib 2. eleg. 3. Vt multo innumeram iugere pascat ouem.

Quædam nomina secundo & quarto ordine declinantur. Sunt autem pleraque arborum, vt:

Laurus, huius, Laurus & Lauri.
Quercus, huius Quercus & Querci.
Cornus, huius Cornus & Corni.
Pinus, huius Pinus & Pini.
Ficus, huius Ficus & Fici, siue de arbore intelligas, siue de fructu. De arbore, vt: Sterilis mala robora fici, Iuuenal. [sat. 10.] Vxorem suam suspendisse se de ficu, Cic. [2. de Orat.] De fructu, vt: Aridæ fici, apud Macrobium, [lib. 3. cap. 20.] Et ficus virides apud Suetonium, in Augusto, [cap. 26] Eodem autem modo & de morbo dicitur, Prisciano autore, [in lib. 6.]

Arborum declinationem sequitur & *Colus, huius Colus & Coli. Et Domus, huius Domus & Domi, nisi quod in hoc non sunt recepti pa-* riter

riter omnes casus vtriusque declinationis. Declinatur enim hoc modo.* *Valla li. 3. c. 15.

Hæc Domus

Huius Domus, pro ædificio, *vt : Iste partem domus demolitus est. Et :*

Domi, quod locale est, vt : *Pater est domi*, aduerbialiter. Interdum tamen & casum domus, vt : *Est domi tuæ.*

Huic Domui tantum : Nam in secunda declinatione caret Datiuo.

Hanc Domum

O Domus

ab hac Domo tantum, Caret enim Ablatiuo in quarta declinatione.

Plurale.

Hæ Domus tantum

Harum Domuum & Domorum

His Domibus tantum

Has Domos & Domus

O Domus tantum

Ab his Domibus tantum.

Penus autem & Specus, etiam tribus generibus & declinationibus variauerunt veteres, vt :

Hic & hæc Penus, Peni, * *& Penus, Penus.* Masculino ac Fœminino genere : in secunda & quarta declinatione.

* Veteres & hoc Penus, & hæc Penus, & huius Peni, & Penris, & Penitiris, & Penoris dictitauerunt. Gell. lib. 4. cap. 1.

Hoc Penus, Penoris, in tertia, genere Neutro,

Neutro, *Plautus in Pseud. Nisi mihi annuus penus ab amatoribus congeritur, &c. Lucilius:*

Magna penus paruo spacio consumta peribit.

Item Horat. [lib. 1. epist. 16.]

Annonæ præsit, portet frumenta, penusq;.

Et Persius [sat. 13.] In locuplete penu, &c.

Posteriores tamen magis in quarto ordine vsi sunt, *vt Gellius lib. 4. cap. 1. Quod sunt penus genera. Et: Non vt aliquid ex penu nomines.*

Sic & hic & hæc Specus, ci, & cus. Et hoc Specus, oris, & Specu ἄκλιτον, *vt:*

Quæ nemora aut quos agor in specus? apud Horatium [lib. 3. Carm. Od. 25.] Et apud Gellium [lib. 5. cap. 14.] Sole medio specum quandam nactus remotam, &c. Et Virg. [8. Aen.] Hîc specus horrendum, &c. Liuius tamen & Ouidius, hoc quoq; in quarto ordine, & Masculino genere frequentius vsi sunt, vt lib. 1. ab vrbe con. Lucus erat, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua. Et 11. Metam.

Est specus in medio, natura factus an arte,
Ambiguum.

Bifariam autem declinantur, & Græca artium nomina, singulariter quidem in prima declinatione, Fœminino genere, pluraliter autem in secunda genere Neutro, vt:
Grammatice, ces, & Grammatica, corum.
Rhetorice, ces, & Rhetorica, corum.

Et à

Et à ποῦς composita, in secunda & tertia declinantur, vt:

Oedipus, pi & *Oedipus, podis.*
Polypus, pi & *Polypus, Polypodis,*

Variant & propria quædam in ES Græca, vt:

Orontes, huius Orontæ, in prima declinatione.
Et: Orontes, huius Orontis, in tertia,
Orestes, huius Orestæ Et
Orestes, huius Orestis. Hinc & Accusatiuus *Daren*, *apud Virgilium, Aeneid. 5. legitur, vt:*
Præcipitemq; Daren, ardens agit æquore toto.
Ab eo, quod alias Dares, huius Daretis declinatur.

Item in eadem declinatione.

Laches huius Lachetis & Lachis.
Chremes, huius Chremetis, & Chremes, vt: Puerum inde abiens conueni Chremis, Terent. in And. [act. 2. scen. 2.] Sed de his supra diximus. Quemadmodum & de Genitiuis nominum, quibus festa significantur, vt sunt: Vulcanalia, Vulcanalium & Vulcanaliorum. Bacchanalia, Bacchanalium & Bacchanaliorum.

Declinatur autem & *Ambo & Duo* ἀνομάλως.

Masculino genere.

Ambo, Duo. Amborum, Duorum. Ambobus, Duobus. Ambos, Duos, & Duo antique, vt:

Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros, &c. *Aen. 11.*

Fœminino genere.

Ambæ, Duæ, Ambarum, Duarum. Ambabus, Duabus. Ambas, Duas.

Neutro genere.

Ambo, Duo. Amborum, Duorum & Duum. Ambobus, Duobus. Ambo, Duo.

HETEROCLITA GENERE & declinatione simul.

Quædam etiam Nominatiuo casu bifariam efferuntur, vt:

Hic Syngraphus apud Plautum in Asinar. * *& hæc Syngrapha, apud Ciceronem* † *& Suetonium.* *

* Aged um istum ostende, quem conscripsisti Syngraphum.

† Lib. 7. ep. famil. ep. 17. Tanquam syngrapham attulisses, non epistolam.

* In Iulio Cæsare, cap. 12. Non dubitauit à quibusdam iusiurandum atque etiam syngrapham exigere.

Hic Angiportus, & hoc Angiportum.

Hic Tonitrus, & hoc Tonitru.

Hic Baculus, & hoc Baculum, † [*Ouid. 15. Met.*] *Baculumq; tenens agreste sinistra, &c.*

† Valla libro 1. cap. 5.

Hic Supparus, hoc Supparum.

Hic Nuncius, & hoc Nuncium, pro re quæ nunciatur. Plaut in Stich. Vt nunciarem nuncium exoptabilem. Quanquam alias nuncius & nuncium significatione differunt, *

* Vide Vallam quemad-

libro 6. cap. 15.

quemadmodū Sestertius quoque & Sestertium. Item:

Hic Chirographus, & hoc Chirographum.

Hic Crocus, & hoc Crocum.

Hic Intybus, & hoc Intybum quorum quædam etiam supra memorauimus.

Et quæ Fœminino ac Neutro genere dicuntur, vt: Hæc Tribula, apud Columellam * [*lib. 2. capite 21.*] *Et hoc Tribulum, apud Varronem* † *& Virgilium, vt:* [*Virg. 1. Georgic.*]

Tribulaq;, trabeæq;, &c.

Hæc Mulctra, [*3. Georg.*] *& hoc Mulctrum, apud Horat.* [*in Epodis, Od. 16.*]

Hæc Colocasia, apud Plinium, [*lib. 51. cap. 15.*] *& hoc Colocasium, apud Virgilium in Bucolicis, Eclog. 4.*

Hæc Baccaris, & hoc Baccar.

Hæc Cæpa, & hoc Cæpe.

Hæc Nardus, & hoc Nardum.

Hæc Papyrus, & hoc Papyrum.

Hæc Hyssopus, & hoc Hyssopum, apud Plinium lib. 27. cap. 13.

Hic & hæc Barbytus & hoc Barbytum & similia. Cuiusmodi multa annotauit Nonius Marcellus, pleraque etiam Valla, quæ vsus

* Sic pauca iuga sunt, addicere tribulam & traheam possis.

† Lib. 1. de re rust. cap. 25. E spicis in aream excuti grana, quod fit apud alios iumentis iunctis ac tribulo.

& frequens autorum lectio suppeditabit.

Pertinent autem huc etiam adiectiua illa, quæ bifariam mouentur & declinantur, vt:

Ab Animus composita.

Exanimus, a, um. Et hic & hæc Exanimis, & hoc Exanime.

Semianimus, a, um. Et hic & hæc Semianimis & hoc Semianime.

A Frenum.

Effrenus, a, um. Et hic & hæc Effrenis & hoc Effrene, &c.

A Cliuus.

Accliuus, a, um. Et hic & hæc Accliuis, & hoc Accliue.

Quo pacto & à Iugum, Biiugus & Biiugis. à Neruus, Eneruus & Eneruis. à Baculus, Imbecillus & Imbecillis leguntur. Item Hilarus, a, um. Et, hic & hæc Hilaris.

Alia nonnulla, quæ studiosi per se facile obseruabunt. Sed in his tamen omnibus videndum est, quid vsus probet, & quos casus consuetudo receperit, loquendumq; verbis præsentibus, *vt Phauorinus apud Gell. monebat,* [*lib. 1. cap.* 10.]

Est & hic annotanda Græca quædam consuetudo, ex casibus nouas declinationes pariendi, *vt ex Genitiuo ἄβακος, ab Abax, fit Abacus, Abaci.*

Ex

Ex Accusatiuo κρατῆρα, *fit Cratera, Crateræ.*
Et κασσίδα, *Cassida, & id genus alia.*

QVAE DEFICIVNT CASIBVS.

Deficiunt autem & casibus quædam certis.

Vt fere Nominatiuo, *Vicis, Dapis, Frugis, Precis & Opis, cuius tamen compositum Inops Nominatiuo casu dicitur.* (que.

Vis, Vim a Vi facit, pluraliter Vis, sed anti-

a Fors, Forte, vsitate dicitur.

ab Astu, Astus, plurale, *apud Ciceronem* 3. *Offic.* * * Vt illud intelligas non placuisse maioribus nostris astus.

a Situs Situm & Situ tantum.

a Lues, Luem, Lue, fere tantum.

Idem & de reliquis eius formæ censebis.

Inficias, Accusatiuo tantum dicitur. *Valla lib. 6. cap. 9.*

Sponte, Ablatiuus tantum in vsu est. † † Columella tamen lib. 9. cap. 4. Est satiua, inquit, cythisus, & altera suæ spontis. Valla lib. 2. cap. 37.

Nec permissu, alio quam Ablatiuo casu, facile inuenies. *Valla lib.* 1. *cap.* 7.

Macte, Vocatiuo tantum dicitur, *Virgil.* [9. *Aeneid.*] *Macte noua virtute puer, &c. Cic.* [1. *Tuscul. quæst.*] *aduerbialiter, Macte virtute. Plin.* [*lib.* 2. *cap.* 12.] *Macte ingenio dixit.*

Tabi & Tabo, pro sanie, absque reliquis casibus inuenies.

Verbere, singulariter a Verber, quod in vsu non est, Ablatiuo tantum dicitur, *Pluraliter Verbera, Verberum & Verberibus declinatur. Valla lib. 6, cap. 47.*

*Sic Viscere a Viscus, quo Nominatiuo Lucretius * alibi vtitur, Pluraliter Viscera, um, ribus integre.*

Seruius & Fœmine † singulariter Ablatiuo tantum dici ait, Pluraliter Fœmina & Fœminibus habet. Valla lib. 4. cap. 57.

* Lib. 1. Sic & Suetonius in Vitellio, cap. 13. Quin viscus & farra pene rapta è foco manderet.

† In illud Virgilii 10. Aeneid. Eripit è femore, & trepidanti feruidus instat.

Opus, idem quod necesse vel χρεία, neque casum habet, & propemodum aduerbialiter vsurpatur.

At Necessum & Necesse, Nominatiuo & Accusatiuo vsurpantur.

Ab Expes, nullum inuenies obliquum. Cuiusmodi fortasis & alia quædam reperiuntur.

Quintæ declinationis pleraque Genitiuos, Datiuos & Ablatiuos plurales desiderant. *Præter dies, Res, Acies, Facies & Species. Cicero autem * etiam Specierum & Speciebus, quibus antiqui vsi sunt, reijcit.*

* In Topicis, In diuisione sunt formæ, quas Græci ἰδέας vocant

vocant, nostri, si qui hæc forte tractant, species appellant, non pessime id quidem sed inutiliter ad mutando, casus in dicendo. Nolim enim (ne si Latine quidem dici possit) specierum & speciebus dicere.

Iisdem casibus & hæc pluralia carent;
Maria, Aera, Vina, Mella, Thura, Rura, Ora, & similia. Virg. tamen Oribus dixit, Aen. 8.

Componens manibusq; manus atque oribus ora.
Et Ouidius, Viris, vt 6. Fastorum.

Nox erat & viris, oculiq; animiq; natabant.

In species autem & alia multa, quæ duntaxat certis casibus in vsu sunt, præsertim apud Poëtas, vt sunt Accusatiui, *Cilicem & Trilicem*: Ablatiuus *Impete*, pro *Impetu*, & id genus alia. Sed nos communiora tantum persequi voluimus. *Et quæ apud Poëtas varie vsurpantur, ea ex illorum lectione obseruare satius est, quam hic præceptorum multitudine puerorum ingenia obruere.*

DE COMPOSITORVM Declinatione:

Composita ex duobus rectis vtrinque declinantur, vt:
Respublica, Reipublicæ, Rempublicam, &c.
Præter Alteruter, quod posteriore tantum parte variatur, Alteruter, Alterutrius, Alterutri, Alterutrum ab Alterutro, &c.
Tametsi veteres † etiam Al-

† Cato de ambitu: Sed sunt par

 terum-

terumutrum, & Alteriusutrius dixerunt, vt Priscianus [lib. 5. cap. de figuris.] ostendit.

tim, qui duarum rerum alteriusutrius caussa magistratum petunt.

Quæ vero ex obliquo & recto componuntur, in ijs tantum rectus declinatur, vt: *Hic Iurisperitus, huius Iurisperiti, huic Iurisperito, hunc Iurisperitum.*

Ex duobus obliquis composita, aptota sunt, vt:

Huiusmodi, Istiusmodi, Eiuscemodi, &c.

DE SPECIEBVS Nominum.

Hactenus accidentia Nominum persecuti sumus. Restat autem hoc loco, vt & de Speciebus nominum nonnihil dicamus. Nam & has inter accidentia recenset Priscianus [lib. 2. cap. de Oratione.] Et ad Etymologiam pertinent, non solum discrimina & casus partium cognoscere, sed & à qua origine vnumquodque nascatur videre. Diligenter autem assuefaciendi sunt pueri, vt origines & themata partium requirant atque inspiciant. Conducit enim hæc res, & ad parandam copiam, & ad significationes ac vim verborum proprie ac recte intelligendam.

Sunt

Sunt autem Nominum primitiua alia, alia deriuata.

PRIMITIVA dicuntur, quæ à nullo alio descendunt, vt:

Equus, *Aper, &c.*

DERIVATA, quæ aliunde originem trahunt, vt:

Equuleus *Aprugnus, &c.*

Vide Gellium lib. 1. cap. 18. Fabius libro 1. cap. 9.

Neque hic de curiosa illa deriuandi superstitione intelligi volumus, qua quidam nulli non voci originem ac deriuationem suam assignant, vt cum Leporem, quasi qui leuipes sit dici, aut Furem à Furuo appellatum volunt, sed de ijs nominibus, quorum deriuatio plana atque aperta est, & quæ proprie hoc nomine vocantur.

Horum igitur alia patronymica, alia Possessiua, alia Diminutiua, alia Denominatiua, alia Verbalia appellantur.

PATRONYMICA.

Patronymica sunt, quæ gentem & originem significant, & vt plurimum à nominibus parentum, vnde etiam nomen habent, deducuntur, vt:

Priamides, à Priamo, Chryseis, à Chryse, &c.

Improprie autem etiam aliunde deriuantur, vt:

Ab Ilio, Ilias. Ab Achaia, Achaeis. a Thebe, Thebais, & similia.

Patronymicorum terminationes sunt DES, vt Priamides. IS, vt Nereis. AS, vt Thestias. NE, vt Nerine. Ex quibus DES Masculinorum est. Cæteræ Fœmininorum omnes.

Sunt autem patronymica Græca omnia. Quanquam interdum & Latini ad exempla Græcorum quædam finxerint, vt *Scipiades*, a *Scipione*, quo *Virgilius* * vsus est. Et, *Honoriades* ab *Honorio*, quod apud *Claudianum* legitur.

* VI. Aen. Geminos duo fulmina belli Scipiadas.

Formantur autem generaliter ea, quæ exeunt in DES, à nominibus primæ quidem declinationis in AS, abiecta vltima consonante à Nominatiuo, & addita syllaba DES, vt: *Aeneas*, *Aenea*, *Aeneades*. *Hippotas*, *Hippota*, *Hippotades*, apud *Ouidium* 4. *Metamorph.* †

† Clauserat Hippotades æterno carcere ventos.

Aut si Nominatiuus in ES desinat, mutata S in DES, & pro vocali E assumtis I & A, vt: *Anchises*, *Anchisiades*. *Laërtes*, *Laërtiades*.

In secunda autem & tertia declinatione, à casu exeunte in I, vt: *Priamus*, *Priami*, *Priami-*

Priamides. Thestor, Thestoris, Thestori, Thestorides, &c.

Nisi quod in secunda declinatione, ea quæ à Nominatiuis in IVS veniunt, alterum I Genitiui in A vertunt, vt: *Mœnetius, Mœnetij, Mœnetiades.*

Quæ vero à Nominatiuis in EVS fiunt, penultimam Genitiui cum vltima in ei diphthongum contrahunt, vt: *Tydeus, Tydei, Tydeides, OEneus, OEnei, OEneides,* pro *Tydeïdes, OEneïdes.*

Nam Amphitryoniades † & *Atlantiades* * pro *Amphitryonides,* & *Atlantides, figurata videntur, quemadmodum* & *AEneides, quo Virgilius, Aeneid.* 9. *pro Aeneades vsus est:*

† Lucanus lib. 6. Amphitryoniades vidit, cum vinceret hydram.

* Ouid. Metamorph. 7. Venit Atlantiades positis Caducifer alis.

Sit satis AEneidæ, telis impune Numanum
Oppressisse tuis, &c.

In AS autem & in IS desinentia, pleraque à Masculinis in DES fiunt, abiecta DE syllaba, vt: *Iliades, Ilias. Dardanides, Dardanis.*

Exceptis in IS, quorum Masculina à proprijs in EVS veniunt, ea enim plerunque I longum, siue diphthongum, quæ in penultima est, dissoluunt, & priorem vocalem in suam longam conuertunt, vt:

Theseïdes

Theseïdes, Theseis. Nereïdes, Nereis. Sic & ab Aeneïdes, Aeneis.

Et quæ à Nominibus primæ declinationis in E S fiunt. *Briseis, à Brises. Chryseis a Chryses. Thebais autem, quod à Græco* θήβη *factum est, vocalem primitiui longam in A breue conuertit.*

Quanquam & alia præter regulam formata inuenias, *vt Persis a Persa. Libystis a Libya, vt: [Virgil. Aeneid. 5.] Pelle Libystidis vrsæ, &c.*

In N E desinentia, suæ cuiusdam formæ sunt, quæ siue à Nominibus in E V S, siue in V S veniant, I in penultima longum habent, vt: *Nereus, Nerei, Nerine. Adrastus, Adrasti, Adrastine.*

Sin autem à Nominibus in I V S fiunt, posteriorem vocalem etiam in O vertunt, vt: *Acrisius, Acrisij, Acrisione, penultima longa.* *

* Virgilius Aeneid. 7. Quam dicitur vrbem Acrisioneis Danae fundasse colonis.

POSSESSIVA ET GENTILIA.

Possessiua dicuntur, quæ possessionem aut proprietatem aliquam significant, vt: *Euandrius, Herculeus, Tullianus, &c. Significat enim Euandrius ensis,* † *eum qui Euandri est vel fuit.*

† Apud Virgilium in 10. Aeneid.

Hercu-

Herculeus morbus, eum qui Herculis est vel fuit.

Sub his continentur & Gentilia, quæ patriam vel gentem significant, vt: *Romanus, Sabinus, Athenienſis, Sicilicus, &c.*

Terminationes poſſeſsiuorum atque Gentilium multæ variæq; ſunt, præcipue tamen hæ:

CVS præcedente I, vt: *Gallicus, Germanicus, Vrbicus, Ruſticus, &c.*

NVS præcedente A vel I, vt: *Romanus, T[illegible]us, Rheginus, Alexandrinus.*

VVS vna ſyllaba, præcedente I longa vt: *Argiuus, Achiuus, quæ forma Græcorum propria eſt.*

VS purum præcedente E longa, vt: *Achilleus, Pythagoreus.*

VS purum præcedente E breui, vt: *Herculeus, Aethereus, Cæſareus, &c.*

IVS præcedente T, vt: *Tribunitius, Natalitius,* * *ſignificant enim & hæc poſſeſſionem ſere, vt: Natalitium munus, quod ad natalem pertinet, &c.*

* Valla libro [illegible] capit. 10.

IVS, præcedente conſona caſus Primitiui, vt: *Prætorius à Prætore,* † *Euandrius ab Euandro, & ſimilia.*

† Valla libro 1. capit. 6.

ENSIS, vt: *Catinenſis, Parmenſis, Caſtrenſis, Forenſis, Hortenſis. Hæc [illegible] Linacer vocat lib. 1.*

Huc

Huc pertinent & illa Latinorum antiqua in N S vel R S desinentia, *qualia sunt Laurens, Tiburs, quæ forma Gentilium propria est.*

Et quæ per concisionem dicuntur, in A S, vt: *Arpinas, pro Arpinatis. Aquinas, pro Aquinatis.*

Et in TA desinentia, præcedente A vel I Græca, vt: *Spartiata, Sybarita, &c.*

Porro vna aliqua & certa horum formatio tradi non potest, propter nominum & terminationum diuersitatem. Sed tamen neque illa difficilis adeo erit, si ad Analogiam, hoc est, ad similium exempla vbique aspicias. *Vt enim à Roma, Romanus fit, sic à Gratia, Gratianus, à Sparta, Spartanus. Et vt à Titus, Titi, Titius: Ita & à Quintus, Quinti, Quintius. Ab Euander, Euandri, Euandrius, &c.*

DIMINVTIVA. *

* Vide omnino Vallam libro 1. eleg. cap. 5.

Diminutiua dicuntur, quæ diminutionem primitiui sui significant, vt:

Regulus a Rex. Canicula a Canis, &c. Significat enim Regulus paruum regem, proprie. Canicula paruam canem.

Adhibentur tamen eadem etiam blandiendi gratia interdum. †

† Atquo

* Atque hoc peculiariter Græcis est ὑποκοριστικῶς λαλεῖν. Vide Budæi commentaria.

Sic Capitulum & Corculum, apud Poëtas vsurpantur, & propria mulierum *quæ neutro generebac forma apud Græcos efferuntur, ceu sunt: Glycerium a Glycera. Phœnicium a Phœnix. Philenium a Philenis, &c.*

Vel Festiuitatis caussa, *vt cum Iuuenalis dixit, Satyra quarta.*

Vnde fit, vt malim fraterculus esse gygantum, &c.

Terminationes horum sunt:

OLVS, a, um, vt: *Vrceolus ab Vrceus. Vnciola ab Vncia. Tuguriolum a Tugurium.*

VLVS, a, um, vt: *Regulus a Rex. Hastula ab Hasta. Capitulum a Caput.*

CVLVS, a, um, vt: *Igniculus ab Ignis. Canicula, a Canis.* † *Corculum a Cor.*

† Sic specula à spes, apud Ciceronem libro secundo, epist. 15. In communibus miseriis hac tantum oblectabar specula.

ELLVS, a, um, vt: *Agellus ab Ager. Pagella a Pagina. Flagellum a Flagrum.*

ILLVS, a, um, vt: *Lapillus a Lapis. Anguilla ab Anguis. Sigillum a Signum.*

Et in quibus consonans quæ fuit in penultima primitiui, in X mutatur, vt: *Paxillus a Palus. Maxilla a Mala.* * *Pauxillum a Paulum.*

† Cic. in Orat. Quinetiam verba sæpe contrahuntur, non vsus caussa, sed au-

ſed aurium : quomodo enim veſter Axilla ala factus eſt, niſi fuga literæ vaſtioris : Quam literam etiam è Maxillis e taxillis, & vexillo & paxillo conſuetudo elegans Latini ſermonis euellit.

VNCVLVS & LA, vt : *Homunculus ab Homo. Ratiuncula, à Ratio.* Quæ terminatio eorum eſt, quæ à Primitiuis in O fiunt.

VLEVS, vt : *Equuleus ab Equus. Aculeus ab Acus, quod poſterius a genere primitiui defecit.*

ASTER, vt : *Paraſitaster a Paraſitus, quam formam imitationem putant ſignificare.*

CIO, vt : *Homuncio ab Homo. Senecio a Senex, cuius exemplum Priſcianus [lib. 3. cap. de Diminutiuo.] ex Afranio [in Proelito] citat : Tu ſenecionem hunc ſatis eſt, ſi ſeruas anus.*

Refert autem & in horum formatione ad analogiam vbique reſpicere : Quædam enim à caſu recto fiunt, vt, *Corculum a Cor. Muſculus a Mus. Pauperculus a Pauper. Muliercula a Mulier.* Quædam ab obliquis, vt : *Tegeticula a Tegetis, abiecta S, Codicillus a Codicis, etc.*

Rurſum quædam ab integris, vt : *Superiora illa, quæ à Nominatiuis fiunt.* Alia autem à corruptis, vt : *Paxillus a Palus. Aſellus ab Aſinus, &c.* In quibus nihil præter primam ſyllabam primitiui manſit. *De qua re, qui plura volet, ex Priſciano petat, qui formam horum nominum per ſingulas terminationes tractauit, in libro tertio.*

DENO-

DENOMINATIVA.

Denominatiua dicuntur, quæcunque ab altero aliquo denominationem habent, vt: *Ferreus à Ferro. Ficulnus à Ficu. Iusticia à Iusto.* Hac specie continentur omnia ea deriuata, quæ à nominibus venientia, in superiores species non cadunt. *Hoc est, quæ neq; possessionem, neque diminutionem, neq; gentem aut originem aliquam significant, siue eandem cum illis terminationem habeant, siue diuersam ac propriam aliquam.*

Horum alia Substantiua sunt, alia Adiectiua.

Substantiuorum terminationes sunt:

I A, cum consonante Genitiui primitiui, vt: *Audax, Audacis, ci, Audacia. Ignauus, ui, Ignauia. Superbus, bi, Superbia. Molestus, sti, Molestia.*

C I A, vt: *Pudicus, ci, Pudicitia. Iustus, sti, Iusticia. Tristis, sti, Tristicia.*

Fiunt hæc a casu in I, nominum secundæ declinationis in V S, dissyllaborum, aut etiam polysyllaborum præcedente C, & tertiæ in S, quæ Genitiuum Nominatiuo similem habent.

N I A præcedente M O, vt: *Castimonia, à Castus. Sanctimonia, à Sanctus, quæ & ipsa à Genitiuis fiunt.*

LA, præcedente E, vt: *Clientela, a Cliens* quæ vltimam Genitiui primitiui, in E longum vertunt.

NA, præcedente vocali longa, vel diphthongo, vt: *Officina ab Officium. Doctrina a Doctrix. Leæna a Leo. Caupona a Caupo, &c.*

LE, præcedente I, vt: *Ouile ab Ouis, &c.* Cuiusmodi quædam & à verbis fiunt, vt: *a Sedeo, Sedile, a Cubo, Cubile, &c.*

RE, præcedente A, vt: *Luminare a Lumen. Talare a Talus.*

O cum consonante primitiui, vt: *Cicero a Cicer. Capito, a Caput.*

DO, præcedente E vel V, vt: *Dulcedo a Dulcis. Acredo ab Acris. Testudo a Testa, siue Testu. Multitudo a Multus.*

GO, præcedente A vel V, vt: *Farrago a Far. Similago a Simila. Ferrugo a Ferrum. Aerugo ab Aes, &c.* Nam quæ I ante D vel G habent, pleraque à verbis fiunt, vt: *Libido a Libet. Rubigo a Rubeo. Intertrigo ab Intertritum.*

AL, vt: *Ceruical a Ceruix, Tribunal a Tribunus.* Hæc à Genitiuis fiunt vltima in AL conuersa.

AR, vt: *Lupanar a Lupa. Lacunar a Lacu.*

IVM * vt: *Pomarium a Pomum. Solarium a Sol.* Hæc

* Valla lib. 1. capite 6.

Cuius formæ nomina, περιεκτικὰ dicun- com-

comprehensiua vocantur. Vt & illa, quæ in ETVM exeunt, vt *Myrtetum a Myrtus. Coriletum a Corilus.* tur, sunt enim nomina significantia locum continentem, Græcis in ων terminata.

BVLVM, vt: *Acetabulum ab Acetum. Vestibulum a Vesta. Thuribulum a Thus.* Cuius formæ & verbalia multa reperies, *de quibus infra.*

MONIVM, vt, *Patrimonium a Pater. Testimonium a Testis.*

TOR, quæ verbalium speciem habent, vt: *Senator a Senatus. Ianitor a Ianua. Portitor a Portus, &c.*

TAS, vt: *Probitas a Probus. Integritas ab Integer. Pietas a Pius. Pubertas a Puber.*

Adiectiuorum terminationes sunt:

BER, vt: *Hic Saluber a Salus, cuius Fœmininum Saluбris, Neutrum Salubre.*

STER, vt: *Hic Campester, hæc stris, & hoc stre, a Campus. Hic Paluster, hæc stris, & hoc stre, a Palus.*

LIS præcedente vocali longa, vt: *Hic & hæc Pluuialis, & hoc le, a Pluuia. Hic & hæc Senilis, & hoc le, a Senex. Hic & hæc Crudelis, & hoc le, a Crudus. Hic & hæc Tribulis, hoc le, a Tribus.*

ARIS, vt: *Hic & hæc Familiaris, & hoc re, a Familia. Hic et hæc Apollinaris, hoc re, ab Apollo.*

STIS

STIS, vt: *Hic & hæc Cæleſtis, & hoc ſte, a Cœlum. Hic & hæc Agreſtis, & hoc ſte, ab Ager.*

EVS, diuiſis ſyllabis, præcedente C, † vt: *Hic* ... *Herbaceus, hæc a, hoc um. Hic Chartaceus, hæc a, hoc um.* Veniunt hæc ferè à Nominatiuis primæ declinationis, vt ſunt: *Herba, Charta, &c.*

† Valla lib. 1. cap. 11.

EVS, præcedente conſona primitiui, vt: *Hic Ferreus, hæc a, hoc um, a Ferrum. Hic Cereus, hæc a, hoc um, a Cera.* Quæ forma, vt & ſuperior, materiam ferme ſignificat.

VVS diuiſis ſyllabis, vt: *Hic Annuus, hæc a, hoc um, ab Annus. Hic Menſtruus, hæc a, hoc um, a Menſis,* aſſumtis T & R, vltra litteras primitiui.

IDVS, vt: *Herbidus, a, um, ab Herba. Fluidus, a, um.* Quæ forma etiam verbalium eſt. *Significat autem Herbidum quod herbis abundat aut conſitum eſt, ſic cætera quoque.*

TIMVS, vt: *Legitimus, a, um, a Lege. Maritimus, a, um, a Mari.*

NVS, vt: *Ficulnus, a, um a Ficu. Quernus, a, um, a Quercu. Abiegnus, a, um, ab Abiete. Aprugnus, a, um, ab Apro.*

ORVS, vt: *Canorus, a, um, a Canor. Odorus, a, um, ab Odor, vt: Odora canum vis, apud Virgilium,* [4. *Aeneid.*]

OSVS, vt: *Vinoſus, a, um, Vinum. Tiſcoſus,*

ſcoſus, a, um, à Piſcis. Quæ forma copiam proprie ſignificat, * vt & illa, quæ proxime ſequitur.

* Gellius libro 4. cap. 9. Valla libro 1. cap. 21.

LENTVS, vt: *Temulentus, a, um, à Temetum,* per concisionem. *Vinolentus, a, um, à Vinum.*

TVS, præcedente A, I, vel V longa, vt: *Togatus, a, um, à Toga. Auritus, a, um, ab Auris. Cornutus, a, um, à Cornu.* Quæ nomina habitum ſignificant. †

† Plurima huius formæ recenſet Priſcianus libro 8. cap. de Figuris Verborum.

STVS, vt: *Honeſtus, a, um, ab Honor. Venuſtus, a, um, à Venus,* quæ ipſa quoque in ſe habere aliquid ſignificant.

IVVS, vna ſyllaba præcedente I, vt: *Feſtiuus, a, um, à Feſtus. Furtiuus, a, um, à Furtum.*

Huc adde & numeralia, quæ vel ordinem ſignificant, vt: *Milleſimus à Mille. Centeſimus à Centum. Vigeſimus à Viginti. Decimus à Decem. Nonus à Nouem. Octauus ab Octo,* etc.

Vel diſtributionem, * *vt Deni à Decem. Septeni à Septem. Quini à Quinque, &c.*

* Hoc eſt, quæ ſingulis multorum eundem numerum diſtribuunt.

VERBALIA.

Verbalia dicuntur, quæ à verbis aut eorum participijs siue supinis deducuntur, vt: *Amator ab Amatu. Lectio à Lectu.*

Horum quoque substantiue alia, alia adiectiue vsurpantur.

Substantiuorum terminationes sunt:

A cum consonante præsentis, vt: *Scriba a Scribo. Aduena ab Aduenio.*

L A, præcedente E, vt: *Querela a Queror. Tutela a Tueor seu Tutus.*

N A, vt: *Lucerna a Luceo. Laterna a Lateo.*

R A præcedente T V, vt: *Creatura a Creatu. Natura a Natu.*

N I A, præcedente M O, vt: *Querimonia a Queror. Parsimonia a Parco seu Parsi.* Est enim forma hæc communis, tam verbalium quam denominatiuorum.

L E, præcedente I, vt: *Sedile a Sedeo. Cubile a Cubo.*

I O, cum consonante præsentis, vt: *Legio a Lego. Regio a Rego.*

T I O, vt: *Oratio* † *ab Oratu. Statio a Statu, &c. Sic Internecio ab Internectu, abiecta T.* Fiunt enim à supinis hæc.

† De verbalibus exeuntibus in atio, Valla lib. 1. cap. 2.

O, cum consonante præsentis, vt: *Bibo, onis, a Bibo. Comedo, donis, a Comedo.*

D O & G O, præcedente I, vt: *Libido, Libet. Intertrigo ab Intertritum.*

I L &

IL & VL, vt : *Vigil a Vigilo. Consul a Consulo.*

TIVM, vt : *Solatium a Solatu.*

BVLVM, vt : *Tintinnabulum a Tintinno. Patibulum a Patior. Tabulum a Pasco, &c.*

CVLVM, vt : *Oraculum* * ab *Oro. Ferculum a Fero. Periculum a Pereo, &c.* Fiunt autem hæc regulariter à secunda persona præsentis, quare & vocalem eandem retinent. *Speculum autem a specio, pro speciculum per syncopen factum est.*

* Cic. in Top. Oracula ex ipso appellata sunt, quod inest in his deorum oratio.

MENTVM, vt: † *Testamentum a Testor. Vestimentum a Vestio.* Seruant autem & hæc vocalem secundæ personæ, à qua fiunt, aut certe penultimam supini, vt : *Detrimentum a Detritum. Incrementum ab Incretum.*

† Hæc nomina assumunt tum syllabam cum exirent antea in MEN, vt testimen, vestimen, &c. Vide Vallam libro 6. eleg. cap. 36. Gellium libro 6. cap. 12.

Et quæ in VM, cum consonante præsentis exeunt, vt *Velum a Velo. Regnum a Regno, vt quidem placet Prisciano,* [*lib.* 4.]

MEN, vt : *Flumen a Fluo. Stamen a Sto. Foramen a Foro. Tegmen a Tego, &c.*

CEN, quæ eorum tantum est, *quæ a Cano veniunt, vt : Cornicen, Tubicen, &c.*

AR, cum consonante verbi, vt: *Calcar à Calco. Torcular à Torqueo*, vbi tamen Q in C conuersum est, propter affinitatem literæ.

TOR, cum penultima proprij supini, vt: *Victor à Vinco. Quæstor à Quæro. Tonsor à Tondeo.*

Et quæ in OR cum consonante præsentis desinunt, vt: *Amor ab Amo. Dolor à Doleo, &c.*

VS, cum consonante proprij supini, vt: *Visus à Video. Status à Sto. Cultus a Colo. Raptus à Rapio, &c.*

TRIX, quæ Fœmininorum est, ab ijs quæ in TOR desinunt, *vt Victrix à Victor. Vltrix ab Vltor. Genitrix à Geniter.*

Huc pertinent & *Rex à Rego. Lex a Lego. Dux a Duco. Lux a Luceo. Arx ab Arceo, &c.*

Eorum autem quæ adiectiue vsurpantur, terminationes sunt hæ.

ER, cum consonante præsentis, vt: *Hic Piger, hæc Pigra, hoc Pigrum a Piget. Hic Ruber, hæc Rubra, hoc Rubrum a Rubeo.* Quanquam pauca adeo huius formæ sunt.

LIS, * cum consonante supini, vt: *Hic & hæc Flexilis, & hoc le, a Flecto. Hic & hæc Sessilis, & hoc le, a Sedeo. Hic & hæc Fissilis, & hoc Fissile, a Findo.*

* Hæc similimam sui participiis, vnde nascuntur, significationem habent.

LIS,

LIS, cum consonante præsentis, vt: *Futilis a Futio. Vtilis ab Vtor. Docilis a Doceo.*

BILIS, vt: *Hic & hæc Amabilis, & hoc le, ab Amo. Hic & hæc Conducibilis, & hoc le, a Conduco. Hic & hæc Stabilis, & hoc le, a Sto.*

Hæc à secunda persona præsentis fiunt, ideoq; & vocalem eandem retinent.

TIVS, vt: *Commendatitius, a, um, à Commendo. Surreptitius, a, um, à Surripio. Suppositius, a, um, a Suppono.* Fiunt hæc sæpe à supinis, siue participijs, quorum consonantem quoque seruant.

DVS, præcedente I, vt: *Viuidus, a, um, a Viuo. Feruidus, a, um, a Ferueo. Inuidus, a um, ab Inuideo.*

BVNDVS, vt: *Moribundus, a, um, a Morior. Fremebundus, a, um, a Fremo. Furibundus, a, um, a Furo.* Hæc similitudinem significare volunt. †Tametsi apud Poëtas plerunque pro ipsis participialibus, *vt sunt, Moriens, Fremens, Furens, &c.* posita legantur.

† Vide Gell. libro 11. cap. 15 Vallam lib. 1. cap. 9.

CVNDVS, vt: *Iracundus, a, um, ab Irascor. Verecundus, a, um, a Vereor. Rubicundus, a, um, a Rubeo, &c.*

LVS, cum consonante præsentis, vt: *Bibulus, a, um, a Bibo. Credulus, a, um, a Credo.*

VVS syllaba, præcedente I, *vt Genitiuus, a,*

uus, a, um, à Gigno seu genitum. Datiuus, a, um, a Datum. Satiuus, a, um, a Satum, &c. Formantur enim hæc a supino, cuius consonantem etiam retinent.

A X, cum consonante præsentis, vt: *Hic & hæc & hoc Loquax a Loquor. Sic Dicax a Dico. Fallax a Fallo. Sternax a Sterno.* [*Virgilius,* II. *Aeneid.*]

Et sternacis equi lapsum ceruice Timœten.

Hæ sunt ferè terminationes denominatiuorum atque verbalium. *Fortassis autem etiam plures his adiecerit aliquis, præsertim Denominatiuorum, sed nos communiores tantum persequi voluimus.*

Porro formantur & ab Aduerbijs deriuata quædam, *vt ab Hodie, Hodiernus, a Cras, Crastinus, a Diu, Diutinus, & similia, quæ siue aduerbialia appellaueris, siue inter* παρώνυμα *retuleris, parum interesse puto.*

Priscianus [*lib.* 3.] autem etiam Comparatiua & Superlatiua, inter Species recenset, sed nos comparationem separatim tractauimus, docendi gratia liberiore partitione vtentes. *Atque hactenus de Nomine.*

DE PRONOMINE.

PRO-

PRONOMEN est vox, qua vtimur in demonstranda aut repetenda re, vbi nominis repetitio ingrata erat futura.

Vt apud Ouid. [libro 3. de ponto, eleg. 4.] Gratiaq; officio, quod mora tardat, abest.

Hic si exempto Pronomine supponas nomen, vt si dicas: Gratia abest officio, & officium tardat mora: sermo & obscurus & inconditus erit, Sic & in demonstrando, *vt apud Terentium [in Andr. act. 1. scen. 1.] Nempe vt curentur recte hæc: Nam si hic sublato Pronomine singillatim commemorentur ea, quæ curanda erant, fuerat ea commemoratio & longa nimis, & odiosa futura.*

Sunt autem Pronomina hæc:

Ego Tu Sui Ille Iste Ipse Hic Is Quis Qui Meus Tuus Suus Noster Vester Nostras Vestras Cuius & Cuias.

Ex quibus cætera quidem finita vocantur, eò quod substantiam certam atque finitam demonstrent aut referant.

Quis autem, Cuius & Cuias, alij indefinita vocant, quia de re incerta & indefinita dicantur. *Priscianus, [lib 13. in fine ferè.] autem etiam inter nomina refert,] quod pronomina ea tantum videri velit, quæ substantiam vniuscuiusque rei propriam ac certam, vel absentem referant, vel præsentem demon-*

* Lina. quoque lib. 1. inter nomina interrogatiua refert.

demonstrent. Nos vno ac generali nomine, & hæc & illa inter Pronomina retulimus, quod anxias ac superstitiosas illas partitiones, puerorum ingenijs & studijs parum conducere putaremus.

ACCIDVNT PROnomini.

Species, Significatio, Genus, Numerus, Figura, Persona & Casus.

SPECIES.

Species Pronominum duæ sunt, perinde vt & Nominum.

Primitiua sunt: *Ego, Tu, Sui, Ille, Iste, Ipse, Hic, Is, Quis, Qui.*

Reliqua deriuata sunt: *Nam à Genitiuo Mei, fit Meus, a Nostrum fit Noster & Nostras, à Tui Tuus, à Vestri Vester & Vestras, à Sui Suus, à Cuius, Cuius, Cuia, Cuium & Cuias.*

SIGNIFICATIO.

Significatio inprimis est tradenda pueris. * Nam non raro hic peccatur. Significant autem alia demonstratio-nem

* Nam significationis vis discernit partes orationis

nem rei præſentis, alia relationem abſentis, alia interrogationem, alia poſſeſsionem, alia patriam vel gentem.

inter ſe. Priſcianus libro 13.

Demonſtratiua ſunt: *Ego, Tu, Hic, & Iſte.* †

† Valla lib. 2. capite 4. & 5.

Relatiua: *Is, Ipſe & Qui. Ille*, aliàs Demonſtratiuum eſt, aliàs Relatiuum.

Sui vero & Suus Reciproca dicuntur, *hoc eſt*, quæ ad eandem perſonam redeunt, * quæ præcedebat. *Nam intereſt inter hæc: Pater iubet, vt ad ſe venias. Et: Pater iubet, vt ad ipſum venias. Nam cum Relatiuo Ipſum vtor, ſignifico alium quendam, non patrem. Cum vero reciproco, Se, patrem ipſum, hoc eſt, perſonam eam tantum, quæ proxime verbum anteceſſit.*

* Hoc eſt, quæ tranſitum à tertia perſona in ipſam rurſus reflectunt. Qua ratione tertiæ etiam perſonæ merito ſunt, quod ſolius eius tranſitum remittunt. Linac. lib. 1.

Interrogatiua, *Quis, Cuius, a, um, & Cuias.*

Poſſeſsiua, *Meus, Tuus, Suus, Noſter, & Veſter.*

Gentilia, *Noſtras & Veſtras.* †

† Hæc non ſolum nationem vel patriam, ſed etiam partes, ſectamue ſignificant. Valla lib. 2. cap. 3.

GENVS.

Genus

Genus est in Pronominibus, perinde vt in adiectiuis Nominum. Nam per tria genera vagantur Pronomina.

Alia vna terminatione, vt:

Ego *Tu* *Sui.*

Alia duabus, vt:

Nostras	*Nostrate*	*Hinc Nostratia*
Vestras	*Vestrate*	*verba apud Cic.*
Cuias	*Cuiate*	*inuenies.* *

* Lib. 2. epi. fam. ep. 10. Putarem ne vnquam accidere posse, vt mihi verba deessent, neque solum ista vestra oratoria, sed etiam hæc leuia nostratia.

Alia tribus, vt:

Ille	*Illa*	*Illud*
Iste	*Ista*	*Istud*

Ipse, quod aliquando et ipsus † dixere, Ipsa, Ipsum.

† Hinc in Neutro Ipsum dicitur, non Ipsud. Diomed. lib. 1. Terentius in Phorm. act. 1. scen. 3. Is est ipsus.

Hic	*Hæc*	*Hoc*
Is	*Ea*	*Id*
Quis	*Quæ vel Qua*	*Quid.*

*Vetustissimi autem Quis vtroq; genere * vsurparunt, perinde vt Græci particulam* τις, *Plaut. [in Aulular.] Quis ea nam est optuma? &c.*

* Verum hoc si quis tam masculos quã fœminas complectitur, libro primo, ff. de verb. sig.

Sic Terentius [Eunuch. act. 4. scen. 4.] & Quisquam, vt: Hunc oculis suis nostrarum nunquam quisquam vidit Phædria, &c.

Qui

Qui	*Quæ*	*Quod*
Meus	*Mea*	*Meum*
Tuus	*Tua*	*Tuum*
Suus	*Sua*	*Suum*
Noster	*Nostra*	*Nostrum*
Vester	*Vestra*	*Vestrum*
Cuius	*Cuia*	*Cuium.*

NVMERVS.

Numerus item vt in nominibus duplex, Singularis, *vt Ego.* Pluralis, *vt Nos.*

FIGVRAE.

Figuræ duæ sunt:
Simplex, *vt Ego.* Composita, *vt Egomet.*

Varie autem componuntur Pronomina: Primum inter se, *vt Istic.*

Secundo cum aduerbijs, *vt Eccum, Eccam, Ellum, pro Ecce eum, Ecce eam, Ecce illum.* *

* Ita rèsoluit hæc Priscianus lib. 1. cap. de figura. Valla autem lib. 2. cap. 15. per aduerbia interpretatur, vt eccum ecce hic, subintellige virum de quo agebamus, &c.

Idem ab Is & Demum. [*Vall. lib. 6. cap.* 21.]

Tertio, cum syllabicis adiectionibus † *Met, Te, Ce, & Pte.*

† Syllabicæ adiectiones dicuntur, in quibus separatis sensus inueniri nullus potest. Et cum his componun-

tur

tur pronomina, Emphaseos & maioris significantiæ gratia.

MET adijcitur omnibus casibus, primæ & secundæ personæ, vt *Egomet, Meimet, Mihimet, Memet, &c. Tutemet, Tuimet, Tibimet, &c.*

TE adijcitur voci *Tu & Te*, vt *Tute, Tete.*

CE pronomini Hic, vt *Hicce, Huiusce, Hisce, Hosce.* Et Genitiuo *Eius*, vt *Eiusce*, à quo *Eiuscemodi.*

PTE ablatiuis, *Mea, Tua, Sua, Nostra & Vestra*, vt *Meapte, Tuapte, Suapte, Nostrapte, Vestrapte.*

Sed tamen in his compositionibus obseruent pueri consuetudinem emendate loquentium.

PERSONÆ.

Personæ tres sunt:

Prima,	*vt*	*Ego*
Secunda,	*vt*	*Tu*
Tertia,	*vt*	*Ille.*

CASVS.

Casus idem qui in nomine sunt.

Verum Vocatiui non est vsus in omnibus Pronominibus.

Tu

Tu, Meus & Noster, admittunt Vocatiuos: Dicimus enim, Mi Virgili, Mea Glycerium. [*Terent. in Andr. act. 1. scen. 1.*] *ô noster Chreme. Idem in Andr.* [*act. 5. scen. 2.*] *Cætera Vocatiuis carent.*

Declinatio eſt ex Donato petenda, quem ſemper oportet pueris in manibus eſſe, vt inde analogiam in declinando ac coniugando diſcant.

Declinantur autem pleraque Nominum modo, vt: *Meus, Tuus, Suus, Noſter, Veſter, & Cuius, a, um*, ſecunda ac prima declinatione, quemadmodum cætera in VS, A, VM, adiectiua.

Noſtràs, Veſtràs, & Cuiâs, tertia declinatione, perinde vt Gentilia in AS.

Ille, Ipſe, Iſte, Hic, Is, Quis, & Qui, ad exemplum primæ & ſecundæ. Exceptis Genitiuis & Datiuis ſingularibus, qui omnium generum in IVS & I formantur, *vt Ille, Illius, Illi, Illum, ab Illo, &c. Iſta, Iſtius, Iſti, Iſtam, ab Iſta, &c.*

Sola *Ego, Tu & Sui*, quod Nominatiuo caret, * & vtroque numero eoſdem caſus habet, ſuo ac certo modo ἀνωμάλως declinantur.

* Sui, obliquos duntaxat recipit, quia non niſi in tranſitu perſonæ legitur.

Singulariter.

† Hæc Pronomina geminantur, meme, tutu, tete, per figuram, sese sine figura. Valla lib. 2. cap. 2.

* In huius pene locum deriuatiuum meus successit. Valla lib. 2. cap. 1.

Ego	*Tu.* †	
Mei & Mis antiquè. *	*Tui & Tis antiquè.*	*Sui*
Mihi	*Tibi*	*Sibi*
Me	*Te*	*Se*
	ô Tu	
à Me	*à Te*	*à Se.*

Pluraliter.

Nos	*Vos*	
Nostrum & Nostri	*Vestrum & Vestri*	*Sui*
Nobis	*Vobis*	*Sibi*
Nos	*Vos*	*Se*
	ô Vos	
à Nobis	*à Vobis*	*à Se.*

DE ARTICVLO.

Obiter hic docendi sunt pueri quid intersit inter Pronomen & Articulum. Est enim Articulus, non qui in Grammatica tantum declinatione casus aut genera indicat, sed quo in sermone etiam certam rem significamus. *Latinum exemplum proponi nullum potest.* Nam Latinus sermo in vniuersum caret Articulis, * Germani vero habent articulos, quemad-

* Pronomen Hic, quod Gram-

modum

modum & Græci, ἀνάρθρον est, cum particula Ein vtuntur, vt: *Es ist ein Man da.*

matici in declinatione Nominum, loco præpositiui ponunt articuli, nunquam in oratione sensum articuli habet, Priscianus libro 17.

Articulatum est, cum particulæ *Der, Die, Das,* & similes nullo proprio accentu adduntur, vt: *Der Man ist da. Ich hab dem Man das Gelt geben. Græci:* ἔδωκα τῷ ἀνδρὶ τὸ ἀργύριον. *Id Latine non recte vertas, si dicas: Dedi huic viro hanc pecuniam. Nam præsentem rem, non tantum certam Pronomina demonstrant. Quale etiam fit, cum eædem illæ particulæ Germanicè accentu acuto, siue syllaba longa efferuntur, vt: Ich hab dem Man das Gelt geben, &c. Ergo cum Latini vtuntur particula* † *Hic, Hæc, Hoc, in declinando, voluerunt mutuari à Pronomine notam casuum & generum, non articulum tradere, quo in loquendo vteremur.*

† Vnde articulare Pronomen vocatur. Prisc. lib. 2. cap. de oratione.

Hæc committo fidelibus præceptoribus, vt copiosius explicent. Nec prætereunda hic erant, propter inscitiam quorundam Grammatistarum, qui contendunt Articulum esse apud Latinos.

DE VERBO.

VERBVM est vox, significans agere aliquid aut pati, vt:

Verberare actionem significat. Verberari passionem.

Neutra quoq; verba propemodum actionem aliquam aut passionem significant: Actionem, vt: *Aro, Cano, Bibo.* Passionem, vt: *Algeo, Frigeo, Caleo.*

*Pueri diligenter obseruent discrimen Nominis & Verbi. Nomen rerum nomenclaturam continet. * Verbum actionem & Passionem, cum discriminibus temporum & personarum.*

* In verbis vis est sermonis, in nominibus materia, quia alterum est, quod loquimur, alterum de quo loquimur. Fabius libro primo, cap. 6.

Sunt autem duæ hæ partes præcipuæ ac præstantissimæ, quod absq; his nulla sententia aut oratio absolui potest. *Quare fuerunt, qui has solas partes orationis vocarent, cæteras omnes Syncategoremata, hoc est, consignificantia, vt Priscianus ait, [lib. 2. cap. de Oratione.] appellantes.*

Verbum aliud personale dicitur, aliud impersonale.

Personalia dicuntur, quibus certæ personæ Nominatiuus præponitur, vt:

Ego scribo. Tu legis. Antonius Imperator occidit Papinianum, † nolentem excusare parricidium.

† Dicebat nãque Papinianus, nõ tam facile defẽdi posse, quã perpetrari tam grande delictũ.

Imper-

Impersonalia dicuntur, quæ personam certam Nominatiuo casu in Indicatiuo non recipiunt, sed mutatur Nominatiuus personæ in obliquos, *vt quod Germanice personaliter dicimus: Ich muß Virgilium aussen lernen.* Latine impersonaliter effertur: *Oportet me ediscere Virgilium.* Vel ipsum verbum prorsus sine casu præcedente effertur, vt: *Statur, Luditur, Itur.*

ACCIDENTIA.

Verbo accidunt octo:

Genus, Species, Tempus, Modus, Figura, persona, Numerus & Coniugatio.

GENERA.

Genera sunt significationes verborum. Inde enim cognosci potest, actio sit in verbo, an passio.

Sunt autem quinque:

Actiuum, Passiuum, Neutrum, Commune & Deponens.

Actiuum est, quod in O desinit, & actionem significat, vt:

Amo, Verbero. Quod ita puer deprehendet, si commode Accusatiuus, qui personam significat

verbo adijcietur, vt Verbero Dauum. Amo Phædriam. Non enim recte dixeris: Bibo Dauum. Aro Phædriam, &c nisi figurate. * Actionem ergo Intellige hic transitiuam, *hoc est, quæ in aliam personam aut rem trāsit, siue exercetur.*

* Per Enallagen generis, vt apud Virgilium Eclog. 2. Ardebat Alexin, id est, impatienter diligebat.

Pasiuum est, quod in OR desinit, & passionem significat, vt:

Amor, Verberor, &c. Quod item deprehendet puer, si Ablatiuus personæ recte addi poterit, vt: Amor à Phædria. Verberor ab hero. Non enim eodem modo recte dixeris: Assentior ab hero, aut frigeo a Phædria, &c. Vocat igitur Priscianus [*libro 8. cap. de significat. & generibus verborum.*] Ablatiuum proprium pasiuorum casum, quod vt Accusatiuus verbum actiuum, ita hic pasiuum necessario sequatur. *Nam illa [Virg. 2. Aeneid.] Morsu depascitur artus. Et [idem I. Aeneid.] Expleri mentem nequit. Et id genus alia, Poëtica ac figurata sunt.* †

Modos mutandi actiuum in pasiuum ostendit Valla lib. 3. cap. 39. Vbi autem nitidius vtamur actiuo, vbi pasiuo, idem docet capit 49. eod. libro.

* Est enim in his Græca Eclipsis. Linacer lib. 6.

Neutrum est, quod in O desinit, & propemodum actionem aut pasionem significat,

cat, veruntamen absolute, hoc est, vt casum actiuorum aut passiuorum non requirat, vt:

Sto, Curro, Frigeo, Caleo, &c. Non enim hæc neque Accusatiuum necessario recipiunt, neque Ablatiuum, propterea quod significatio eorum non transit in aliam personam, neque etiam ab alia procedit, vt non recte dixeris: Curro Iulium, &c. nec recte: Caleo à Cæsare, &c. Neque etiam de se passiua pariunt primæ aut secundæ personæ. *Nam Stor, Curror, Frigeor aut Caleor, nemo vsquam dixit.* Tertiæ tantum personæ passiua procreant, quæ αὐτοενεργητικὰ * vocantur, id est, quæ actionem absolutam significant, vt: *Tota mihi dormitur hyems.* *Martialis* [*lib.* 13. *epig.* 59.] *Et: Iam tertia viuitur ætas, Ouid.* [*lib.* 12. *Metam.*] Eaq; & Accusatiuum, sed suæ tantum significationi cognatum ac proprium admittũt, vt: *Viuo vitam, Bibo merum, Curro mille passus, &c.* Perinde vt & illa quæ αὐτοπαθητικὰ dicuntur, *hoc est*, quæ passionem absolutam significant, Ablatiuum passiuum aliquando, sed suæ significationis tantum recipiunt, vt: *Calet ab igne. Alget à fame, frigore, &c. Tametsi hos casus alij fortassis instrumenti, aut caussæ dicere magis volent.*

* Theodorus ὁλοενεργητικὰ vocat.

Porro vocant Grammatici Neutralia

Paſsiua verba, quæ in O deſinentia, prorſus ſignificationem & caſum paſsiuorum habent, *vt ſunt tria hæc:* * *Fio, quod eſt Paſſiuum anomalum verbi facio. Veneo & Vapulo. Eſt enim Veneo a te, idem quod vendor a te, & Vapulo a te, idem quod verberor a te. Inepte autem addiderunt quidam Exulo. Non enim ſignificat relegari, ſed ſolum vertiſſe ac patria carere. Habetq; ſignificationem prorſus Neutralem.*

* Linacer lib. 4. addit duo hæc, Liceo & Exulo. Macrob. lib. 7. ſatur. cap. 1. Si propter hoc à conuiuiis exulabit Philoſophia. Cicer. in Paradox. 4. Omnes ſcelerati, quos leges exilio affici volunt, exules ſunt, etiamſi ſolum non mutarunt. Vide 1. C. Marcellum in L. exilium ff. de interdictione & religione, &c.

Sunt & alia huius generis vulgo Neutro paſſiua appellata, quæ cætera quidem Neutra ſunt, præterita autem paſsiuorum modo faciunt, *vt Audeo, Auſus ſum. Gaudeo, Gauiſus ſum. Mœreo, Mæſtus ſum. Soleo, Solitus ſum, &c. Sed hæc quia ſignificationem propriam atque Neutralem pleraque retinent ſolum autem coniugandi characterem mutant, non immerito inter anomala retuleris, de quibus ſuo loco agemus.*

Diomed. libro 1. Tranſgreſsiua vocat, alii mixta.

Sunt & Neutra quæ in M deſinunt, vt: *Sum cum compoſitis. Quod verbum alio nomine*

Subſtan-

Substantiuum *vocant*, † *eo quod nec actionem, nec passionem aliquam significet, sed de substantia rei dicatur.* Huius similia sunt *& Forem & Existo.*

† Græci ὑπαρκτικόν.

Commune genus verborum in OR desinentium est, quæ promiscue alias actiue, alias pasiue significant, vt:

Criminor Phormionem, & Criminor a Phormione. Discrimen significationis indicat constructio, seu casus verbo adiectus. *Horum plurima recenset Priscianus,* [*lib. 8. cap. de significat. & gener. verborum.*] *citatis veterum exemplis, qui illis vtraq; significatione vsi fuerunt. Nunc autem pauca quædam à Grammaticis* [*citante Prisciano libro 8.*] *numerantur, eaq; neque ipsa in altera significatione multum adeo vsurpata,* † *videlicet:*

† Gell. lib. 15. ca. 13

Osculor, Amplector, Dignor, Consolor, Adhortor. Depeculor, Frustror, Criminor, & Stipulor.

Cicero autem [*lib. 1. de diuin.*] *& interpretor & Testor.**

* Ex quo ita illud somnium esse interpretatum, & ibidem: Quem non moueat clariss. monumentis testata consignataque antiquitas.

Item, Aggredior & Aspernor, passiua significatione vsus est [*in libro ad Nepotem.*] *Et à Tueor participium Tuendus frequenter idem vsurpat.* †

† Vt libro primo ep. famil. ep. 9.

Ab iis, à quibus tuendus fuerat, derelictus, &c.

Meditata mihi sunt omnia mea incommoda, passiue dixit Terentius, [in Phor. act. 2. scen. 1.]

Venerata sacerdos, apud Virgilium extat, [lib. 3. Aeneid.] vt & : [lib. 1. Aen.] *Vno graditur comitatus Achate,* &c. Et : [Eclog 9.] *Nunc oblita mihi tot carmina.* Quo modo eodem participio & Cicero ad Pætum vtitur, [lib. 9. ep. 15. *Præsertim cum eas videam primũ oblitas Latio.*]

Decempedis metata porticus. Horatius, [libro 2. Carm. Od. 15.]

Bella matribus detestata, apud Horatium, [lib. 1. Carm. Od. 1.]

Velificatus Athos, apud Iuuenalem [sat. 10.] legitur.

Etiam Ementitum passiua significatione plurimi dixere. Et alicubi inuenias [citante Prisciano lib. 8.] *Experta virtus,* pro explorata. Et : *Complexa scelera,* pro comprehensa & collecta. Et consecuta pro impetrata, &c.

Proinde obseruent hoc in loco pueri quid receperit vsus, aut quid probarint illi, qui emendate locuti sunt. Nam vt recte fortassis imiteris, quæ Terentius aut Cicero dixerunt, ita rursus durum fuerit si dicas : *Pecunia largitur,* * pro distribuitur. Aut : *A me auxiliatus est* † pro adiutus est. Tametsi etiam his vetustissimi passiue usi fuerint.

* Sic dixit C. Gracchus Aerarium delargitur P. Rom.

† Hoc

† Hoc Lucil. dixit, pro βουβαλεὶς. Prisc. lib. 8.

Deponentia dicuntur, quæ cũ in OR desinant, alteram tamen significationem deponunt, & aut actiue significant, vt:

Deponentia literarum ordine collegit Linac. lib. 4. secundum varietatem significationis, ea distinguens.

Precor Deum, Patior iniuriam, Moror te, Sequor illum.

Aut Neutraliter, vt:

Vaticinor, Labor, &c. Significant autem neutraliter, meo iudicio etiam *Nascor, Or.or. Atque hæ sunt generum seu significationum in Verbis formulæ.*

Sunt autem hic etiam admonendi pueri, quædam verba efferri per O & OR, eadem significatione.

De his verbis vide Priscianum lib. 8. Diomed. lib. 1. Fabium lib. 9. cap. 3. A. Gellium lib. 18. capit. 12. Eras. lib. 1. de cop. verborum cap. 13.

Assentio	*Assensi &*
Assentior	*Assensus sum.*
Impertio	*Impertiui &*
Impertior	*Impertitus sum.*
Comperio	*Comperi &*

Comperior, quod vsitatius est, absq; præterito. Nam Compertus sum, actiua significatione non dixerunt Latini. * *Ita Iurgo, apud Ciceronem [lib. 4. de Rep.*

* Sed passiue: Compertum est mi

de Repub.] Et Iurgor, apud Horatium [lib. 2. sermon. sat. 2. Trasius istis iurgatur verbis.] quod & ipsum vsitatius est.

hi, id est, scio per inuestigationem. Valla lib. 5. cap. 24.

Munero, apud Macrobium [lib. 1. Saturnal. cap. 7. Ianus Saturnum regni societate munerauit.] Et muneror apud Terentium, [in Heautont. act. 2. scen. 3. Nam disciplina est, hisdem munerarier ancillas primum, &c.] Fabricor vsitate. Et Fabrico, quod apud poëtas alicubi inuenias, quemadmodum & Populo pro Populor. Stabulo, pro Stabulor. Luxurio, pro Luxurior, &c.

Et rursum:

*Præuertor pro Præuerto, * Punior pro Punio, apud Ciceronem [pro Milone: Cuius tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es, &c.] Nutrior pro Nutrio, apud Virgilium in Georg. [lib. 2. Hoc pinguem & placidam paci nutritur oliuam.] quibus similia pleraq; alia recenset Nonius, [de contrarijs generibus verborum.] varie a vetustissimis vsurpata, in quibus tamen vsus postea repudiauit alteram terminationem.*

* Apud Virgilium 1. Aen. Volucremque fuga præuertitur Hebrum.

Et rursum quædam eadem voce, modo actiue, modo absolute vsurpari, *vt Ruo, Vario, Moror, Offendo, Coëo, & similia, vt [Virgilius Aeneid. 1.] Totumq; a sedibus imis.*

Vna

Vna Eurusq; Notusq; ruunt. Et: [2. *Aeneid.*]
Vrbs antiqua ruit.

Sic: *Variat vestem, & variat incess.*
Offendit principem. Et: [*Cicero lib. 9. ep. 2.*]
Offendit in tenebris.
Pinna cum parua squilla quasi societatem coit comparandi cibi, apud Ciceronem, [*lib. 2. De Natura Deorum.*] Et:
Coëunt in fœdera dextræ. Aeneid. 11.
Nil moror istas magnas dotes, &c. Plaut. [*in Aulular.*] Et: *Paulisper apud oppidum morati, Cæsar,* [*lib. 2. de bello Gall*] *&c.*

SPECIES SEV FORMAE.

Sunt & verborum alia primitiua, quæ & perfecta dicuntur, alia deriuata:

Primitiua, *vt* *Lego, Dico.*
Deriuata, *vt* *Lectito, Dictito.*

Sed quæ Deriuata sunt, eorum Inchoatiua quædam dicuntur, quædam Frequentatiua, quædam Meditatiua, quædam etiam Diminutiua.

INCHOATIVA vocantur cum verbo adijcitur terminatio SCO, vt:

A Luceo fit Lucesco. Ab Ardeo Ardesco, &c. De significatione Valla [*lib. 1. cap. 22.*] *videtur præter rem cum Prisciano rixari.* Nam aut inchoationem significant, vt: *Lucescit, Der tag bricht*

bricht an: aut certe gliſcere & intendi, *vt apud Virgilium*, [1. *Aeneid.*]

Expleri mentem nequit, ardeſcitq; tuendo.

Fiunt fere à ſecunda perſona, vt: *Labo, Labas, Labaſco. Ferueo, Ferues, Ferueſco.* Pertinentq; ad tertiam coniugationem, & mutuantur Præterita & Supina à thematis, vt: *Tumeſco, Tumui. Obdormiſco, Obdormiui, &c.*

Quædam à nominibus cadunt, in quibus eſt obſeruandus vſus ſcriptorum, vt: *à Senex, Seneſco, Senui. à Puer, Repueraſco, cuius nullum extat præteritum.*

Sunt & quæ pro thematis vſurpantur, vt: *Hiſco, Fatiſco.* † *Unde Defatiſcor, quod eſt Defatigor.*

† Plus tamen Diomed. in lib. 1. eſſe videtur, in eo, quod eſt hiſcere, quam hiare. Hiat enim qui ore patet vel tacitus tamen, quod in rebus fictis animaduerti poteſt. Hiſcere vero incipere loqui. Fatiſcor autem à Fateor deducit. Gell. lib. 17. cap. 2.

FREQVENTATIVA ſunt, quæ in TO, aut SO, aut XO exeunt, vt: *Agito, Affecto, Pulſo, Viſo, Quaſſo, Nexo, &c.* quæ aſsiduitatem vel conatum ſignificant. *Sic enim exponunt, Agito, Crebro ago. Pulſo, crebro vel valde impello. Viſo, eo ad videndum. Capeſſo, eo ad capiendum.*

Fiunt hæc à Supinis pleraq; vt:

Tractum,

Tractum, Tracto. Citum, Cito. Visum, Viso. Versum, Verso. Nexum, Nexo. Item Cœnatum, Cœnito. Clamatum, Clamito. A in I breue conuerso, quod peculiare eorum est, quæ à prima coniugatione fiunt.

Quædam etiam ex his non rite formantur, vt à tango taxo, à veho vexo, &c. Gell. lib. 2. capit. 6.

Cuius formæ etiam illa sunt, quæ ab alijs frequentatiuis fiunt, vt: *Cantito a Canto. Dictito a Dicto, Ventito a Vento, &c.*

Aut à secundis personis, vt:

Ago, Agis, Agito. Fugio, Fugis, Fugito. Cogo, Cogis, Cogito, &c. quod eorum ferme est, quorum primitiua in GI præteritum faciunt.

Quibus similia sunt, *& Noscito a Noscis, Quæritto a Quæris.*

Eodem autem modo *& Facesso a Facis nascitur, I in E mutato. Lacesso a Lacis, quod est a prisco verbo Lacio, quod traho significat. Arcesso ab Arceo, quod ex Ad & Cio compositum est, D in R mutata. Vnde κατ̓ μετάθεσιν fit Accerso.*

Sunt & Deponentia huius formæ, vt: *Sector a Secutum, per syncopen. Scitor a Scitum. Sciscitor a Scisco, a quo Resciscos & similia.*

Pleraque primam coniugationem imitantur, vt: *Pulso, as. Affecto, as. Scitor, aris, &c.*

Valla lib. 1. cap. 23.

Sed pauca quædam tertiam, vt: *Viso, Facesso,*

cesso, Lacesso, Capesso, Arcesso, & similia, quæ conatum magis, quam asiduitatem aut frequentationem significant. *Hæc Prisciaus [lib. 8. cap. de speciebus Verborum.] à cæteris separat, & seorsim* desideratiua *vocat.*

Pertinent huc etiam illa in CO finientia, vt: *Vellico a Vello. Fodico a Fodio. Albico ab Albeo, &c.* Significant enim & hæc frequentationem quandam. *Est enim Vellico, idem quod passim aut crebro vello. Fodico, passim aut crebro Fodio. Albico, passim aut crebro Albeo, vt apud Horatium* [*lib.* 1. *Carm. Od.* 4.] *Nec prata canis albicant pruinis.* Quanquam sint, qui hæc diminutionem atque imitationem quandam significare magis velint. † *Sed nihil attinet in re puerili adeo ἀκριβολογεῖν.*

† Vulgo appari-tiua vocant, quod apparentiam sui primitiui significent, vt albico, id est, appareo albus, &c.

MEDITATIVA seu desideratiua * sunt, quæ in RIO desinunt, vt:

* Valla lib. 1. capit. 24 sic vocat.

Esurio *Lecturio.*

Hæc à supinis proprie fiunt, & ad quartam coniugationem pertinent. Significant autem studium & voluntatem, vt: *Parturio, cupio vel volo parere. Cœnaturio, cupio seu volo cœnare.*

Præter Scaturio, quod vt à præsenti factum est,

ita & de significatione primitiui nihil mutauit.

Et Scalpurio, quod idem cum primitiuo Scalpo significat. Plautus [in Aulular.] Cœpit scalpurire vnguibus.

DIMINVTIVA in LO * desinunt, & diminutionem primitiui significant, vt: *a Sorbeo, Sorbillo. a Canto, Cantillo.*

* Hac forma Græci carent. Priscian. in 8.

Est & Græca quædam forma, quæ imitationem significat, vt:

Patrisso, Atticisso, quæ Græcis in ζω *desinunt.* Latini non admodum sunt delectati hac terminatione, *Vnde dixerunt pro Græcisso, Græcor: vt à Baccho, Bacchor. à Cornice, Cornicor. à Vulpe Vulpinor.*

Vide Erasm. lib. 1. de copia verb. cap. 20.

Huius formæ sunt *& Tabulor a Tabulo. Frumentor a Frumento. Lignor a Ligno. Philosophor a Philosopho.*

Architector ab Architecto, & similia. Quæ partim studium & exercitationem, partim imitationem atque habitum significant, proinde etiam vel huc, vel inter Frequentatiua referri non incommode possunt.

TEMPORA.

Hæc vero est propria verborum natura,

indicare discrimina temporum. Sunt autem quinque & communi sensu dijudicari possunt.

Indiuiduo tempori imponimus partes temporis, non tempus diuidentes, sed actum nostrum diuersum significantes. Dioměd. lib. 1.

PRAESENS, quod præsentis temporis actionem significat; vt:

Venio *Ich kom.*

PRAETERITVM IMPERFECTVM, quod actionem quidem cœptam, sed incompletam significat, vt:

Veniebam *Ich kam.*

PRAETERITVM PERFECTVM, quod tempus & actionem completam significat, vt: *Veni* *Ich bin kommen.*

PRAETERITVM PLVSQVAMPERFECTVM, quod actionem tempore iam olim præterito completam fuisse significat, vt:

Veneram. *Ich war kommen.*

FVTVRVM, quo velle nos agere, vel futuro tempore acturos esse significamus, vt:

Veniam *Ich werde oder wil kommen.*

Quæ autem cum quibus conueniant, vt: *Feceris & Facias:* Aut quæ aliter atque aliter vsurpentur, vt *Sumeret*, [*Te-*

De hac Enallage temporum Lin. lib. 6. Valla lib. 3. cap. 48. Eras. lib. 2. de copia verbo. capit. 13.

rentius

rentius in Phorm. act. 2. scen. 1.] *pro debebat sumere. Dixeris, pro posses dicere.* Item, in quibus Latini à Græcis superentur, præceptores inter docendum admonebunt. *Et poterunt, qui in his principijs iam robur aliquod fecerunt, ex Prisciano libro octauo, vel aliunde etiam petere.*

MODI.

Modi variam in actione voluntatem tradunt. † Sunt autem quinque.

† Est enim modus, hoc est, ἔγκλισις, voluntas vel affectio animi per vocem significata.

INDICATIVVS, qui simpliciter fieri aliquid, aut non fieri, definit.

Ideoq; Græci ὁριστικὸν, id est, definitiuum vocauerunt, vt: Probitas laudatur & alget, [*Iuuenal. satyra* 1.]

IMPERATIVVS, * quo imperando vtimur, vt: *Nosce teipsum. Prouer.*

* Variationem Imperatiui docet Eras. lib. 1. copiæ, cap. 67.

OPTATIVVS, quo optamus, non definimus, quid fiat.

Adeoque degenerat hic ab Indicatiuo, vt ad absoluendam sententiam ferè asciscat aduerbium optandi, vt: Vtinam pueri obtemperent Christo, promittenti etati huic regnum cœlorum. Et apud Te-

rent. [in Eunuch. act. 2. scen. 3.] Vt illum dij, deæq; omnes senium perdant.

Idem & potentialis dicitur, † quod ea, quæ per debet & potest exponuntur, hoc modo efferantur, vt: Nihil est quod labores. [Cicero libro 3. epist. ad Q. Fratrem epist. 1.] pro debes laborare. Et: Quid facerem? [Virg. eclog. 1.] pro debebam facere. Item, [Ouid. 1. Metamorph.] In facinus iurasse putes, pro possis putare, Diceret, pro posset dicere. Terentius, [in And. act. 1. sce. 1.] & id genus alia.

† Hunc Græci per ἂν coniunctionem & verbum duplicis modi, aliàs indicatiui, aliàs optatiui explicant. Linac. Eras. lib. 1. copiæ cap. 70.

SVBIVNCTIVVS ita vocatur, quod nisi subijciatur alteri orationi, per sese non absoluat sententiam, vt:

Ita demum florebunt vrbes, si pueros honestis disciplinis ad virtutem assuefecerint.

INFINITIVVS * per se neque personam certam, neq; numerum definit, vnde etiam nomen accepit, sed alijs modis additur, vt perfectum ac plenum aliquid significet, vt:

* Gell. lib. 1. capit. 7. Indefinitum Linacer, Infinitum vocat, lib. 1.

Iubeo te saluere. Cupio discere, &c. Estq; hic veluti nomen verbi, hoc est, qui ipsam actionem aut passionem quasi nominat atq; explicat. Proinde & pro Nominatiuo non raro ponitur, vt:

vt: [*in Mimis Publij.*] *Beneficium accipere, libertatem vendere est.* Et *Persius* [*sat. 1.*] *At pulcrum est digito monstrari, & dicier hic est, &c.*

Ad modos commode videntur referri posse Supina quoque & Gerundia.

GERVNDIA dicta sunt, quod gerere aliquid & administrare significent, vt: *Surgere ad dicendum*, [*Cic. lib. 2. de Orat.*]

Valla libro 1. capit. 27.

Hæc quidam inter Participia referunt. Sed quia post se casum actiuorum regunt, non sunt germana Participia.

Sunt autem tres tantum voces, vt: *Legendi, Legendo, Legendum. Habentq; simpliciter significationem Infinitiui.* * Et quia Infinitiui significationem sine temporib. sæpe cum nominibus coniungi, aut pro nomine vsurpari res cogit, & casum tanquam in nomine requirebat sententiæ structura, vtiliter inuenta sunt Gerundia, vt: *Discendi caussa in ludum eo literarium. In discendo magnam voluptatem capiunt boni pueri. Ad discendum hortatur pater.* Ne Græci quidem plane carere Gerundijs potuerunt, ideo & ipsi tanquam Gerundia facturi addidere casus articulorum Infinitiuis, vt: [*Sophocles in Aiace.*]

*Vbi Infinitiuo, vbi Gerundio potius vtendum sit, docet Valla libro primo, cap. 25.

ἐν τῷ γὰρ φρονεῖν μηδὲν ἥδιστος βίος. &
ἐκ τοῦ φιληδονεῖν, γίνεται τὸ δυστυχεῖν.

SVPINIS videtur nomen inde factum, quod ante se casum non habent.

Sunt autem, *vt Donatus etiam docet*, duæ voces Supinorum V M & V, vt: *Lectum, Lectu.* Estq; in vtraque voce Infinitiui significatio, *quo contenti Græci, nulla habent supina.*

Valla libro 1. capit. 28. & 29.

Ac prior quidem vox, actiue significat, vt: *Venio spectatum, id est, Venio spectare.*

Posterior autem passiue, vt: *Digna res auditu, hoc est, Digna audiri. Facile dictu, id est, Facile dici. Iucundum lectu, id est, legi seu cum legitur.*

FIGVRAE.

Figuræ duæ sunt:

Simplex, *vt Lego.* Composita, *vt Intelligo.* Decomposita vocant ex compositis nata, vt: *Perterrefacio.*

Hic pueri mutationes † literarum & crases obseruent, vt: *Facio, Afficio. Quatio, Concutio. Ago, Cogo. Eo, Redeo, &c.*

† Naturali quadam vocis ratione illa mutatio fit, propter celeriorem motum linguæ, labrorumque ad vicinos facilius transeuntium pulsus. Priscianus libro 1. cap. de accidentibus literæ. Vide Fabium libro 1. cap. 5.

Quoniam

Quoniam igitur plurimum refert in omnibus compositionibus & figuris, hanc literarum inter se commutationem & affinitatem in promtu habere, non inutile fuerit, totam hanc rem velut in tabella quadam spectandam oculis subijcere.

Mutantur igitur inter se ex vocalibus.

A breue in I, vt: *Amicus, Inimicus. Sapiens, Insipiens. Facio, Efficio. Rapio, Eripio. Statuo, Constituo, &c.* Longum autem vel in E, vt: *Aptus, Ineptus. Castus, Incestus. Halo, Anhelo. Arceo, Coërceo, &c.* vel in V, vt: *Salsus, Insulsus. Salto, Insulto. Calco, Inculco, &c.*

E breue in I, vt: *Dedi, Reddidi. Steti, Constiti. Sedeo, Insideo. Teneo, Contineo.*

In Gerundijs autem tertiæ coniugationis etiam in V, *vt: *Faciundum, Dicundum, &c.*

*Vall. li. 1. cap. 35. Tertia coniugatio præter cæteras hoc iuris habet, vt literam E immutare possit.

Et in ijs quæ ab Eo fiunt, vt: *Eundum, Abeundum, Redeundum, &c.*

Ex Diphthongis.

AE in I longum, vt: *Lædo, Illido. Quæro, Inquiro, &c.*

OE in V longum, vt: *Pœnus, Punicus. Pœna. Punio.*

AV item in V longum, vt: *Claudo, Includo.* Vel in O, vt: *Plaudo. Complodo. Quo pacto*

veteres

veteres & Clodius, *pro Claudius*. *Ploſtrum*, *pro Plauſtrum dicebant*. *Et contra*, *Aula pro Olla*.

Ex Conſonantibus.

B, ſequentibus C, F, G, P vel R, in eaſdem, vt: *Curro*, *Succurro*. *Facio*, *Sufficio*. *Gero*, *Suggero*. *Pono*, *Suppono*. *Rapio*, *Surripio*, *&c.*

Quomodo & ante M in eandem verti debebat, vt: *Mitto*, *Summitto*. Sed vſus obtinuit, vt *Submitto*, *perinde vt admitto*, & ſimilia, integra B ſcribatur.

Tranſit eadem & in V, ſequente F, *vt in verbis Aufero & Aufugio*. †

† Gellius lib. 15. cap. 3. quærit mutatane ſit, Ab in AV ſyllabam propter lenitatem vocis, an potius Au particula ſua ſit propria origine, & vt aliæ præpoſitiones à Græcis accepta, quam quidem præpoſitionem præter hæc duo verba, nullo alio in verbo reperiri ſcribit Cic. in Ora.

Et in S, vt: *Suſcipio*, *Suſtento*, *Suſtuli*, *quod præteritum eſt a Suffero*.

In quibuſdam autem ſequente C, etiam S aſſumit, vt: *Abſcondo*, *Abſcedo*, *Obſcurus*, *Obſcœnus*, *&c.*

Et inter duas vocales, Euphoniæ gratia interponitur ſæpenumero, vt: *Ambeſus*, *Ambuſtus & ſimilia*.

At contra in alijs, ſequente S cum muta, prorſum abijcitur, vt: *Suſpicor*, *Suſpicio*, *Suſpiro*.

D, ſe-

D, ſequentibus C, F, G, L, P, R, S, & T, in eaſdem, vt: *Curro, Accurro. Facio, Afficio. Gradior, Aggredior. Pono, Appono. Ludo, Alludo. Rapio, Arripio. Sumo, Aſſumo. Tango, Attingo, &c.* Sed alij tamen ante F & S liquidas, integre eandem ſcribunt, * vt: *Adfero, Adſumo, Adludo, Admoneo, Adnumero, Adrideo &c.* Quod & Priſciani temporib. factum, quanquam vt ipſe ait, [*libro* 2. *de ſyllaba.*] errore magis quàm ratione, cum pronunciatio harum literarum ſonos non admittat.

* Id fit puerorũ cauſſa, vt ſimplices voces in duplicatis agnoſcant.

Mutatur eadem hæc & in C, ſequente Q, vt: *Quæro, Acquiro.*

Et in E R, *vt in verbo Arceo, quod ex ad & Cio factum eſt.* Nam vetuſtiſsimi † etiam *Arfines, pro Affines, & Aruenæ pro Aduenæ, aliquando dixerunt.*

† Priſcianus lib. 1. de accidentibus literæ.

Et hiatus cauſſa inter duas vocales aſſumitur, vt: *Redeo pro Reeo. Redigo pro Reago. Redarguo pro Rearguo.*

At contra abijcitur, ſequente S cum muta, vt: *Aſto pro Adſto, Aſcendo pro Adſcendo, Aſpiro pro Adſpiro. In vſu tamen videas Adſciſco, pro Aſſciſco, integre ſcriptum.*

Etiam in compoſitis, *a Naſcor & Noſco,*

videtur abijci, sed in locum eius ab altera parte G assumatur, vt: *Agnascor, Agnatus. Agnosco & Agnitus.* Nam vt *Gnatus, Gnarus, Gnauus*, assumpta G, dicimus, ita & *Gnascor & Gnosco*, ad id exemplum singamus licet. Quæ ratio eadem est, & in *Cognosco, Ignosco, Cognatus, Ignotus*, & similibus, ab eadem origine compositis.

M in N, sequentibus C, D, Q vel T, vt: *Num, Nuncubi. Tantem, Tantundem. Quamis Quanquam. Idem, Identidem*, &c.

Et contra N in M, sequentibus B, M vel P, vt: *Bibo, Imbibo. Merior, Commerior. Pono, Compono*, &c.

Et sequentibus L & R, in easdem, vt: *Ludo, Collido. Rodo, Corrodo*, &c.

Abijcitur autem & hæc sequentibus G & N, vt: *Ignarus, Ignauus, Ignotus*, &c. de quibus supra.

R in L, sequente eadem, vt: *Lego, Intelligo. Luceo, Polluceo*, &c.

X autem sequente F, in G S resoluitur, & abiecta S, G in F transit, vt: *Facio, Efficio. Fugio, Effugio. Frango, Effringo* &c. Quod Græcorum more fit. Nam & illi sequente *vocali* ἐξ *vsurpant in compositis, sequente autem consonante* ἐκ, *vt*: ἐξάγω, ἐξεγείρω. ἐκκαλῶ, ἐκφεύγω, &c. Sed hactenus de commutatione literarum.

Illud

Illud quoque hoc loco monendi pueri sunt, quod quorundam compositorum themata non extant, vt: *Fendo, vnde Defendo & Offendo,*

Vide Priscianum lib. 8. de figuris verborum.

Specio, vnde Aspicio, Respicio, &c.
Perior, vnde Experior.
Pedio, vnde Expedio, Impedio.
Leo, id est, Lino, vnde Deleo.

Videntur & à Græcis quædam nata, vt: *Suffragor à φράζομαι, id est, Delibero, & Impleo à πλῶ*

Percello à κέλλω, quod est moueo, siue impello.

Quædam etiam ex nominibus nascuntur, vt *Pernocto, Architector, Philosophor, quorum & supra meminimus.* Nam & multa simplicia à nominibus oriuntur, vt: *Vesperascit, Noctescit, &c.*

Quanquam autem composita imitentur coniugationem simplicium, vt: *Facio, Feci. Conficio, Confeci, &c.* Degenerant tamen aliquando verba, vt: *à Sternere fit Consternari* † *primæ coniugationis.*

† Valla lib. 5. cap. 91.

à Spernere Aspernari
à Specio Suspicor
à Facio Gratificor,

* *Ludificor. Quæ Genus etiam mutant cum coniugatione, per-*

* Valla libro 5. capite 76.

ne, per-

ne, perinde vt & à Verto, Reuertor, Diuertor, & similia.

Et à Dare composita, in tertiam migrant, vt Addere, Abdere, Reddere, Condere, &c.

Vt & à Cubo, quoties M assumunt, vt Incumbere, Discumbere, &c.

PERSONAE.

Personas sensus communis discernit. Sunt autem tres:

Prima, quæ loquitur, vt:

Ego lego.

Secunda, ad quam loquimur, vt:

Tu legis.

Tertia, de qua loquimur, vt:

Ille legit.

Sunt autem duplicia verba, vt à principio monuimus. Alia personalia, *quæ iuxta personas variantur, vt Lego, Legis, Legit.* Alia impersonalia, quæ vnam vocem incertæ personæ habent, vt: *Legitur, Oportet. De quibus infra dicemus.*

NVMERI.

Numeri duo sunt:

Singularis,	*vt*	*Lego.*
Pluralis,	*vt*	*Legimus.*

CON-

CONIVGATIONES.

Coniugationes quatuor ſunt :

Prima,		*A longa*		*Beare.*
Secunda,	cuius cha-	*E longa*	in In-	*Docere.*
Tertia,	racter	*E breuis*	finiti-	*Condere*
Quarta,	eſt	*I longa*	uo, vt:	*Condire*

Eſt autem analogia in coniugatione facilis, & quæ nullo negocio ex Donato cognoſci poſſit.

In Præteritis & Supinis eſt varietas, quæ diligenter eſt pueris perdiſcenda. * *Niſi enim coniugationem tanquam digitos, vngueſque ſuos exactiſſime norint, non raro in medio ſermone reſiſtent & obmuteſcent, cum commutare pro ſententiarum varietate verborum caſus non poterunt.*

*Nomina declinare & verba, inprimis pueri ſciãt, neque enim aliter peruenire ad intellectum ſequentium poſſunt : Quod admonere ſuperuacuum erat, niſi ambitioſa feſtinatione, plerique à poſterioribus inciperent, & dum oſtentare diſcipulos circa ſpecioſiora malunt, compendio morantur. Hæc Fabius libro 1. cap. 7.

Porro Præteriti Indicatiui caſum imitantur Præterita in alijs modis, & futurum etiam Coniunctiui.

Iam & hoc monendi ſunt pueri, quod ſi præterita ſimplicium geminent primam ſyllabam,

Priſcianus libro 9. de generali Verborum declinatione.

in com-

in compositis id non obseruari, vt: *Cædo, Cecidi. Occido, Occidi. Tendo, Tetendi. Intendo, Intendi, &c.*

Exceptis, quæ etiam in compositione geminant primam syllabam.

Do, vt Circundo, Circundedi. Reddo, Reddidi. Sto, vt Resto, Restiti. Obsto, Obstiti. Disco, vt Edisco, Edidici. Dedisco, Dedidici. Posco, vt Deposco, Depoposci.

Pungo, vt Repungo, Repupugi, idq; tantum. Nam Compungo & Expungo, Compunxi & Expunxi faciunt.

A Curro geminata, præterquam apud vetustissimos non facile reperies. Sed de ijs infra * dicemus.

* De Præterito tertiæ Coniugationis.

DE PRAETERITO ET Supino primæ Coniugationis.

AVI, character est Præteriti primæ coniugationis, ATVM Supinorum, vt:

Amo	*Amaui*	*Amatum*
Clamo	*Clamaui*	*Clamatum, &c.*

EXCIPIVNTVR.

Do, Dedi, Datum, penultima breui. Sic & composita: Circundo, Circundedi, Circundatum.

Pessundo,

Pessundo, Pessundedi, Pessundatum.
Venundo, Venundedi, Venundatum. Nam cætera à Do, vt Addo, Condo, Reddo, & similia tertiæ coniugationis sunt.

Sto, Steti, Statum. Cuius tamen composita, aliàs I breue, aliàs A longum ante T habent, vt Præsto, Præstitum & Præstatum in Epistolis Bruti, [Occiso C. Cæsare postquam mare transierat, præstatum est] Consto, Constitum & Constatum. Lucanus, [libro 2.] Constatura fides superum, &c.

Iuuo Iuui Iutum, V longa.

Lauo Laui (nam veteres * etiam Lauo, Lauis, Lauere dixerunt.) *Lautum & Lotum* † veteri consuetudine, sicut Plaustrum & Plostrum. Quanquam & Lauatum inuenias. Terentius in Heautont. [act. 4. scen. 1.] Ea lauatum dum it, &c. Et in Eunucho, [act. 3. scen. 5.] Accersitur lauatum interea virgo. Hinc Lauaturus Participium, apud Ouidium in Fast. [lib. 3.] Sacra lauaturas mane petebat aquas.

* Virgilius 3. Aeneid. Lauit improba teter Ora cruor.

† Versus: Dat laui lotum, interdum lautum atque lauatum.

Excipiuntur & hæc, quæ per VI duas syllabas præteritum faciunt, supina autem pleraque per ITVM, quædam etiam per CTVM, vt:

Cubo

Cubo Cubui Cubitum

Crepo Crepui Crepitum. *Huius tamen compositum Increpo, quando idem significat quod* ἐπιτιμῶ, *etiam Increpaui facit. Cicero, ad Q. Fratr. lib. 2. ep. 3. Cato perfidiam Pompeij in me increpauit. Alias simplicis formam sequitur, vt: Fores increpuerunt, apud Plautum [in Amphit.] Et: Primo concursu increpuere arma, Liuius, [lib. 1. ab V. C.]*

Domo Domui Domitum

Sono Sonui Sonitum

Tono Tonui Tonitum *apud Horatium tamen in Serm. [lib. 1. sat. 4.] leges: Os magna sonaturum. Et in Epodis, [Od. 2.] Eois intonata fluctibus.*

Veto Vetui Vetitum

Frico, Fricui, Frictum, adiecta T, Euphoniæ gratia.

Seco Secui Sectum

Neco Necui, quod simplex quidem Necatum facit, compositum autem Enectum, crebrius. Horatius, [lib. 1. epist. ep. 7.]

Spem mentita seges, bos est enectus arando.

Et Liuius, [lib. 1. decad. 3.] Fame, frigore, illuuie, squalore enecti. Priscianus [lib. 9. de 1. coniugatione.] autem differentiam inter hæc facit, vt sit Necatus, qui ferro, Nectus autem, qui alia vi interemtus est.

Mico Micui, absq; supino. Sic & : Emico

Emico Emicui, Lucanus [in lib. 1.]
Aetheris impulsi sonitu, mundiq; fragore,
Qualiter expressum ventis per nubila fulmen
Emicuit, &c.

Dimico autem Dimicaui, Dimicatum facit, Liuius, [lib. 2. dec. 3.] Iusta quoque acie, &, collatis signis dimicatum.

Plico, vtroq; modo Præteritum & Supinum facit: Plicui, Plicitum, & Plicaui, Plicatum. Hinc composita: Implico, Implicui, Implicitum, & Implicaui, Implicatum. Applico, Applicui, Applicitum, & Applicaui, Applicatum. Explico, Explicui, Explicitum, & Explicaui, Explicatum. Sed tamen hic autorum vsus consulendus est ne temere inusitatis pro vsitatis vtamur. *Duplico autem, Duplicaui, Duplicatum tantum facit.* Sic & cætera, quæ cum nominibus componuntur, *vt Triplico, Multiplico, &c.*

VERSVS.

Dic Crepui, Cubui, Domui, Sonui, Tonuiq;,
Et Vetui, Fricui, Secui, Necui, Micuiq;,
Et quod vtroque modo Plicui facit atque Plicaui.

Variat à regula *& Potum, pro Potatum. Virg. [Eclog. 9.] Et potum pastas age Tityre, &c.*

Hinc participium potus, * *quod aliquando passiue ponitur, vt 4. Georg.*

* Potus ὁ πεπωκὼς καὶ ὁ ποθεὶς. Vide Priscian. lib. 9. de 1. coniugat.

Quoque modo potis gauderent Ityba riuis :

Et apud Cicer. de Clar. Ora. Themistocles excepit sanguinem tauri patera, & eo poto mortuus concidit, &c. pro hausto & ebibito eo. Aliquando etiam absolute perinde *vt Pransus, Cœnatus, & apud Græcos* δειπνήσας. ὑπνήσας, ἀριστήσας, *& similia* ἄριστα.

Ouidius, [lib. 3. Fast.]

Occurrit nuper visa est mihi digna relatu
Pompa, senem potum, pota trahebat anus.

Et lib. 7. Epist. ad Trebat. [ep. 23.] Itaque etsi domum bene potus, seroq; redieram, &c. Veteres autem etiam potatum dixisse videntur. *Inde est participium Potaturus, apud Terentium, [in Phorm. act. 5. scen. 5. Nam potaturus est apud me.] & Verbale Potatio, à quo Compotatio. [Valla lib. 1. cap. 2.]*

Passiua & Deponentia mutuantur præterita à participijs, quæ fiunt ex supinis, In quibus sequenda est analogia, *vt Amor, Amatus sum. Meditor, Medicatus sum, &c.*

Formula coniugandi extat apud Donatum.

DE SECVNDA CONIUGATIONE.

In secunda coniugatione Præterita fere per VI duas syllabas fiunt, supina regulariter per ITVM, penultima breui, vt:

Habeo

Habeo	*Habui*	*Habitum*
Debeo	*Debui*	*Debitum*
Placeo	*Placui*	*Placitum*
Noceo	*Nocui*	*Nocitum.*

EXCIPE.

I. Quæ ſupinis tantum variant.

Doceo	*Docui*	*Doctum*
Miſceo	*Miſcui*	*Mixtum,* per Me-

tatheſin C & S, & hoc analogicôs. *Veteres* * *& Miſtum dixere, aſperitatis vitandæ gratia.*

* Sic Liuius in 3. ab V. C. miſtas preces dixit, & hinc miſtura apud Columellam libro 7. cap. 5.

Teneo	*Tenui*	*Tentum*
Careo	*Carui*	*Caſſum et Caritum.*

Vnde & Participium Cariturus, apud Iuuenalem. [*ſat. 6.*] *Cariturus turture magno.*

Cenſeo	*Cenſui*	*Cenſum.* †

† Recenſitus autem, quod à recenſeo formant, præter analogiam penult. producit, Ouidius: Præſto recenſitis euoluere ſecula faſtis.

Pateo	*Patui*	*Paſſum,* autore

Priſciano, [*lib. 9.*]

Et Neutra pleraq; quæ ſupinis prorſus carent, vt:

Terreo	*Terrui*
Caleo	*Calui*
Horreo	*Horrui*

Rubeo Rubui, &c. absq; supinis.

II. Quæ præteritis & supinis variant: *Quæ quoniam plura aliquanto sunt, vt exceptiones facilius venari possint pueri, per omnes terminationes vagabimur.*

Excipiuntur igitur ex ijs, quæ desinunt in BEO.

Iubeo Iussi Iussum, nam in SI præterita, SVM fere faciunt supinis.

Sorbeo Sorbui & Sorpsi, Sorptum, quod quidem à Sorbo, Sorbis, tertiæ factum volunt. Nam veteres non pauca huius ordinis, etiam in tertia coniugarunt, *quorum exempla adhuc apud Poëtas passim extant.* Sic & composita, *Absorbeo, bui & psi. Lucanus* [*lib.* 4.] *Absorpsit penitus rupes & tecta ferarum. Exorbeo, bui, psi, ptum. Cicero,* [*Philip.* 2.] *Gustaras ciuilem sanguinem vel potius exorbueras.*

C E O.

Luceo Luxi absq; supino.

Polluceo Polluxi Polluctum, sed inusitate. Hinc Polluctus verbale, quod Macrobius [*lib.* 3. *Saturnal. cap.* 16. *Qui ad pollucttum Herculis vltimi cum venirent*] *vtitur. Est autem Pollucere idem quod deuouere & consecrare. Plautus in Sticho. Vt decumam partem ex voto Herculi Polluceam.*

Mulceo

Mulceo *Mulsi* *Mulsum.* *Gellius tamen permulcti fecit à Permulceo, lib. 1. cap. 11.* * Nihil adeo in congrediendis hostibus atque in principiis præliorum, ad salutem virtutemque aptius rati, quam si permulcti sonis mitioribus non immodice ferocirent.

DEO.

In DEO, quæ longam vocalem vel AR ante D habent, SI faciunt præteritis, SVM supinis, vt:

Suadeo	*Suasi*	*Suasum*
Rideo	*Risi*	*Risum*
Ardeo	*Arsi*	*Arsum*

Strideo tamen Stridi facit, absq; supino.

Quæ vero I breue, vel E ante D habent, supinis quidem SVM, vt cætera faciunt, præteritis autem DI.

Video	*Vidi*	*Visum*
Inuideo	*Inuidi*	*Inuisum*
Sedeo	*Sedi*	*Sessum, duplici ss.*
Insideo	*Insedi*	*Insessum.*

Hæc quatuor primam reduplicant, cætera superioribus fere similia sunt:

Mordeo	*Momordi*	*Morsum*
Tondeo	*Totondi*	*Tonsum,*
Spondeo	*Spopondi*	*Sponsum*
Pendeo	*Pependi*	*absq; supino.*

Veteres Græcorum imitatione, memordi, pepoſci, ſpepondi, &c. dixerunt. Gell. lib. 7. cap. 9.

Compoſita tamen abſq; reduplicatione dicuntur, vt: *Præmordi, Præmorſum. Detondi,* † *Detonſum. Reſpondi, Reſponſum, &c.*

† Detotondi Varro apud Priſcianum lib. 9.

Prandeo, Prandi * *& Pranſus ſum facit, vt: Cœno, Cœnaui & Cœnatus ſum.*

* Plaut. in Menæch. Prandi, potaui, &c.

Nam duplici figura in his Latini vſi ſunt.

Audeo, Auſus ſum. Gaudeo, Gauiſus ſum.

Quæ vocem paſsiuorum imitantur. *Vetuſtiſſimi tamen etiam Gauiſi,* † *in præterito dixerunt, vt Priſcianus indicat, lib. 9. de ſecunda coniugatione.*

† L. Caßius Hemina in 2. Annal. Idque admiratum eſſe gauiſi.

Cato pro L. Antonio: Non auſi recuſare.

G E O.

In GEO, in quibus L vel R præcedit, præteritis SI faciunt, ſupinis regulariter SVM, vt:

Fulgeo Fulſi Fulſum

Perſius, [*in Prolog.*]

Quod ſi doloſi ſpes refulſerit nummi.

Tergeo Terſi Terſum, quod & Tergo dicitur in tertio ordine.

Lucilius [*in 20.*] *ſecundum Priſcianum.*

Purpureo terſit tunc lautas gauſape menſas,

Turgeo Tursi absq; supino.

Ennius, [in 9] citante Prisciano lib. 9. Cyclopis venter velut olim turserat alti.

Urgeo Ursi

Algeo Alsi absq; supinis.

Indulgeo Indulsi Indultum facit.

Mulgeo Mulsi

Virg. in Georg. [lib. 3.]

Quod surgente die mulsere, horisq; diurnis.

Supinum Mulctum est, quod videtur à Mulxi cadere: verum ea vox autore caret. Ab hoc supino & Mulcta nasci videtur. *

* Mulcta verbum Oscum Festo Pompeio, Sabinum Varroni apud Gellium lib. 11. cap. 1.

Quæ vero diphthongum aut vocalem natura longam ante G habent, præteritum per XI faciunt, supinum per CTVM, vt:

Augeo Auxi Auctum

Lugeo Luxi Luctum

Frigeo, Frixi & Frigui, Frictum, autore Prisciano, [lib. 9. de 2. coniugat.] sed est tamen inusitatum. Hinc Refrigesco, Refrixi, &c.

LEO.

Quæ mutam ante L habent, præteritis VI faciunt vna syllaba, supinis TVM, penultima longa, vt:

Fleo Fleui Fletum

Repleo Repleui Repletum.

Impleo Impleui Impletum.

Sic & Supplet, Suppleuit, antiquum impersonale, pro licet vel suppetit. A quo nomen Supplex factum volunt. Cuius exemplum Pontanus citat, lib. I. de aspiratione. *

* De aspiratione E ante R.

Et composita à Leo, vt:

Deleo Deleui † *Deletum.*

† Simplex est apud Horatium I. Carm. Od. 20. Quod ego ipse testa conditum leui, &c.

Ab Oleo autem composita pleraque variant.

Exoleo, Exoleui, vt apud Plinium, [libro 37. cap. 5. Carchedonij nescio an in totum exoleuerint.] & Exoletum facit.

Obsoleo, Obsoleui, Obsoletum, vt: Vulgaria & obsoleta, apud Ciceronem [pro Publio Quintio.]

Adoleo, Adoleui & Adolui, vt apud Varronem [in 3. Rhetor. Postquam adoluerit hæc iuuentus.] Et Cassius: [ad Tiberium 2.] Vbi integrum anserem adoluerunt. Huius supinum pro Adoletum, Adultum est. Hinc Adolesco verbum, idem quod Cresco. Ouidius [lib. 2. eleg. vlt.] Sic mihi durat amor, longosq; adolescit in annos. Et participium Adultus, Virg. [4. Georg.] Aliæ spem gentis adultos Educunt fœtus.

Aboleo, Aboleui, apud Plinium, [lib. 8. ab V. C. Hæc etsi omnis diuini humaniq; moris memoria aboleuit.] Aboletum & Abolitum, apud Ciceronem.

Redoleo

Redoleo — *Redoleui, &c.*
Redolui absq; supino.
Oboleo — *Oboleui, &*
Obolui, apud Plautum, [in M.nœch. *Oboluit marsupium Huic istuc quod habes.]*

Obolitum
Inoleo — *Inoleui* — *Inolitum*
Peroleo — *Peroleui*
Suboleo — *Suboleui* absq; sup.

Cuius diuersitatis ratio est, quod & primitiuum Oleo, apud veteres, tam Oleui, quam Olui præteritum fecit. Nam apud Persium, [satyr.1.] Hic veto quisquam faxit oletum.] extat nomen Oletum, pro stercore, quod certe ex supino Oletum natum videtur. Olui autem præterito etiam nunc vtimur. Horatius, [lib. 1. epist. ep. 20.] Vina fere dulces oluerunt mane Camœnæ, &c. Cuius supinum κατ' ἀναλογίαν. *Olitum esse debebat. sed autore caret.*

Soleo, Solitus sum, anomalum est, quanquam Salust. * *vt Priscianus indicat, [lib.9.de secunda coniugatione.] etiam Solui dixit.*

* In 2. Hist. Neque subsidiis vti soluerat, compositis.

N E O.

Neo — *Neui* — *Netum*
Maneo — *Mansi* — *Mansum.*

Cuius tamen composita, vt Grammatici do-

cent, quæ A in I vertunt, per VI præteritum faciunt, vt:

Emineo | *Eminui*
Immineo | *Imminui*, *absq; supinis.*

Cætera quæ A seruant, simplicis formam sequuntur, vt:

Remaneo | *Remansi*
Permaneo | *Permansi.*

Q V E O.

Torqueo *Torsi* *Tortum.* *Vetustissimi tamen & Torsum dixerunt, vt Cato in originibus,* [*lib,* 2.] *Propterea Marrucini vocantur, de Marso detorsum nomen.*

Liqueo regulam sequitur, excepto quod Q in C mutat, vt: *Liqueo, Licui.* Sic & compositum *Deliqueo, Delicui. Ouid.* [7. *Met.*] *Delicuit, stagnumq; suo de nomine fecit.* † Item 4. Metamorph. Delicuit, terràmque suo madefecit odore.

R E O.

Hæreo | *Hæsi* | *Hæsum*

Mæreo *Mæstus sum,* anomalon est. *Mereo autem priore breui pro Milito, regulare est, & præterito Merui, supinis Meritum facit, &c.*

V E O.

In VEO

In VEO, omnia præteritis VI faciunt vna syllaba, supinis TVM, vt:

Caueo *Caui* *Cautum*
Faueo *Faui* *Fautum*
Paueo *Paui* *sine supino*
Foueo *Foui* *Fotum*
Moueo *Moui* *Motum*
Voueo *Voui* *Votum, penultima longa.*

Ferueo tamen Ferbui facit, quoniam antiqui † *& Ferbeo dixerunt, autore Prisciano, [lib. 9. de secunda coniugatione.]* *Et: Ferui, quod à Feruo, tertij ordinis est.*

† Horatius lib. 1. serm. sat. 2. Mea cum cōferbuit ira.

Conniueo, Connixi & Conniui antique. Nam & *Conniuo*, tertia coniugatione veteres dixerunt, vt: *Caluus Poëta:*

Tum grauis ingenti conuiuere pupulla somno.

At Langueo & Pingueo, à quo Pinguesco, quoniam in ijs V prorsus silet, regularia sunt, & præterita per VI diuisis syllabis faciunt, vt:

Langueo *Langui*
Pinguesco *Pingui, absq; supinis.*

EO purum.

Vieo, idem quod flecto, Vieui, Vietum penultima alias longa, alias breui. *Lucret. lib. 3.*

Nec supra caput eiusdem cecidisse vietam

D. stem.

Vestem, &c. Horat. lib. Epod. Od. 12.
Qui sudor victis, & quam malus vndiq; membris
Crescit odor, &c. *Nisi quis hic* συνίζησιν *fieri velit.*

Cieo, Ciui, & per syncopen Cij facit, a Cio, Cis, Cire. Nam & secundo & quarto ordine vsi sunt Latini. *Sed a Cieo, Citum fit, breui penultima, vt :*

Ouidius [lib. 4. de Ponto eleg. 2.]
Excitat auditor studium, &c.

A Cio autem Citum, I longa. Lucanus [lib. 1.]
Stratisq; excita iuuentus, &c. Hæc sunt quæ ab analogia deflectunt. Cætera omnia regulam sequuntur.

PASSIVA præterita fiunt à supinis, vt :
Doctus sum *Iussus sum.*
Tortus sum, &c.

Verum quæ supinis carent, ijs desunt præterita passiua, *vt verbi Urgeor, nullum est præteritum, quoniam ab Ursi, Ursum in vsu nullo est.*

Passiuorum formam & Deponentia sequuntur, vt :

Vereor *Veritus sum.*
Tueor *Tuitus sum.* Hinc tuitio apud *Ciceronem in Topicis.** *Nam & Tutus & Tutor a Tuor, quod in tertio ordine coniugarunt veteres, videntur facta.*

* Natura habet partes duas, tuitionem sui, & vlciscendi ius.

Notan-

Notantur tamen inter hæc Anomala quædam, vt:

Misereor *Misertus sum.*
Mereor *Merui & Meritus sum.*
Reor. *Ratus sum.*
Fateor *Fassus sum.* *Hinc Confessus,*
Professus, &c.

A Medeor nullum extat præteritum, nisi id à Medicor mutuemur.

Formula Coniugationis ex Donato petenda est.

DE TERTIA CONiugatione.

In tertia coniugatione non est vnus aliquis character præteritorum, vt in superioribus ordinibus, sed singulæ terminationes suos quosdam characteres, suasq; formulas, easq; varias habent. *Proinde ordine omnes terminationes proponemus.*

B O.

In BO, cum longa vocalis postremam syllabam anteit, præteritis PSI faciunt, supinis PTVM, vt:

Scribo *Scripsi* *Scriptum*
Nubo *Nupsi* *Nuptum.*

B mutatur in P ante S & T, Euphoniæ gratia, quam & Græci obseruant, vt: λείβω, ἔλειψα, λέλειπται.

Cætera

Cætera BI faciant præteritis, TVM supinis, vt:

Bibo	*Bibi*	*Bibitum*
Lambo	*Lambi*	*Lambitum*
Scabo	*Scabi*	*Scabitum, analo-*

gicôs, sed inusitate.

Composita *à Cubo*, imitantur formam simplicis, vt:

Incumbo	*Incubui*	*Incubitum*
Accumbo	*Accubui*	*Accubitum, &c.*

Supra autem monuimus in tertia coniugatione, composita huius verbi M adsciscere.

De Passiuis ac Deponentibus infra in genere & sub vno nomine tractabimus.

CO.

In CO, præcedente vocali longa, præterita per XI faciunt, supina vero per CTVM, vt:

Dico	*Dixi*	*Dictum*
Duco	*Duxi*	*Ductum.*

Ico tamen Ici facit præterito, Ictum supino. Habet autem & hoc I ante C longum, vt apud Catullum, [ad Gellium epig. 106.] Infestum telis icere musca caput.

Huius formam & cætera in CO sequuntur, vt:

Vinco	*Vici*	*Victum*
Conuinco	*Conuici*	*Conuictum, &c.*

Parco

*Parco tamen Peperci facit & Parsi, * supino Parsum.*

* Veteres Parciui. Næuius quadrigeminis, citante Nonio: Suo labori nullus parciuit. Parcitum dixit Plinius lib. 33. cap. 4. Italiæ parcitum est vetere interdicto patrum.

Comparco Comparsi

Terent. [in Phorm. act. 1. sc. 1.]

Quod ille vnciatim comparsit miser.

II. In SCO desinentia, præteritis VI faciunt vna syllaba, supinis TVM, vt:

Cresco Creui Cretum
Quiesco Quieui Quietum
Pasco Paui Pastũ, assumta S
Suesco Sueui Suetum
Consuesco Consueui Consuetum. Sic cætera composita.

Nosco Noui Notum
Ignosco Ignoui Ignotum, penultima longa, retinet enim literam præsentis. Vetustissimi autem quidam etiam Ignosciturum dixerunt.

Piso Frugi in 2. annal. Quodcũque deliquisset, ignosciturum affirmabat.

Notantur tamen ex his:

Agnosco Agnoui Agnitum
Cognosco Cognoui Cognitum, quæ I breue habent.

Et: *Compesco Compescui Compescitum*
Dispesco Dispescui Dispescitum, autore Pris-

re *Prisciano*, [*lib.* 10.] *sed inusitate tamen,*

Item, quæ primam reduplicant.

Posco	*Poposci*	*absq; supino.*
Disco	*Didici*	*Discitum, sed*

inusitate. Hinc disciturus participium, quo Apuleius vsus est, [*in Phædone. De anima sic auditurum, sic disciturum, qui melius scit hæc omnia & singula sic agere aut pati, vt patiuntur atque agunt.*]

Conquinisco, vetus & exoletum verbum, Conquexi facit, absq; supino, & significat caput inclinare.

Glisco præterito & supino caret.

III. Inchoatiua præterita à themate mutuantur, vt:

Scisco	*Sciui*	*Scitum*
Rescisco	*Resciui*	*Rescitum*
Senesco	*Senui*	*Nam veteres*

etiam Seneo dixerunt. * *Et Senectus participio præteriti temporis. Salust.* [*in 4. Hist.*] *Omneis quibus ætas senecto corpore, animus militaris erat.*

* Actius in Telepho: Iamiam stupido Thessala somno pectora languentque senentque.

Aut præterita prorsus non habent, *vt Hisco, Fatisco, Integrasco, Labasco,* & quæ à nominibus veniunt, *vt Vesperascit, Noctescit, &c.*

In D O, si longa vocalis præcedat, præteritum per S I faciunt, supina in S V M, vt:

Lædo *Læsi* *Læsum*
Ludo *Lusi* *Lusum*
Rado *Rasi* *Rasum*
Vado *Vasi* *Vasum, quæ quidem in simplici vsitata non sunt.* In compositis autem vsurpantur, vt:

Euado *Euasi* *Euasum*
Inuado *Inuasi* *Inuasum*

Exceptis quæ D retinent:

Cudo *Cudi* *Cusum*
Rudo, quod priore tam breui quam longa reperitur * *Rudi* absque supino.

* Virgilius Aeneid. 7. Vincla recusantum & sera sub nocte rudentum. Persius sat. 2. Finditur, Arcadiæ pecuaria rudere credas.

Strideo *Stridi* absque supino.
Pedo *Pepedi. Horat.* [*lib. 1. ser. sat.* 8.] *Nam displosa sonat quantum vesica pepedi* absque supino.

Cædo cum diphthongo, *Cecidi. Luca.* [*li.4.*] *Donec vetuerunt castra, cecidit. Supino Cæsum.*

Sic composita:

Occido *Occidi* *Occisum*
Incido *Incidi* *Incisum*
Præcido *Præcidi* *Præcisum*, AE in I conuersa.

Cèdo absque diphthongo, *Cessi, Cessum.*

Sic Concedo Concessi Concessum

Succedo Successi Successum, &c.

Fido Fisus sum, anomalum est.

Et à Sido [Priscianus lib. 10.] nullum dicit extare præteritum. Vtimur autem pro eo Sedi, quod à Sedeo venit. *

* Valla lib. 5. cap. 6. Sido (vt ego sentio) à Sedeo Præteritum mutuatur.

II. Cætera quæ vocalem breuem, aut consonantem ante D habent, per DI præterita faciunt, per SVM supina. Nam & DI & SI in SVM ferè mutantur, vt:

Mando	*Mandi*	*Mansum*
Scando	*Scandi*	*Scansum*
Ascendo	*Ascendi*	*Ascensum, &c.*
Prehendo	*Prehendi*	*Prehensum*
Accendo	*Accendi*	*Accensum*
Defendo	*Defendi*	*Defensum*
Offendo	*Offendi*	*Offensum*
Edo	*Edi*	*Esum*
Ambedo	*Ambedi*	*Ambesum*

Veteres à verbo Descendo non descendi, sed descendidi dixerunt, teste Gellio lib. 7. cap. 9.

Sic cætera composita, præter Comedo, quod facit Comedi, Comesi & Comestum.

Excipiuntur & hinc.

Fundo	*Fudi*	*Fusum, abiecto N,*
Findo	*Fidi*	*Fissum, s geminato.*

Scindo

Scindo Scidi, quod vetustissimi etiam Sciscidi dixerunt, Scissum.

Ennius in Menalippa. Cum saxum sciciderit.

Pando Pandi Passum.

Vt apud Virgilium, [3. *Aeneid.*] *Passis de littore palmis. Et quæ inde veniunt, vt Expando, Expandi, Expassum.*

Dispando Dispandi Dispessum, A in E conuerso, vt: *Dispessis manibus, apud Plautum in Milite. Posteriores tamen etiam Pansum, & Expansum seruato N dixerunt, vt ex Gellio apparet, capite 15. lib. 15.*

Item, Diuido, Diuisi, Diuisum, quod superiora quæ longam penultimam habent, imitantur.

Et quæ primam geminant, vt:

Cado Cecidi Casum, cuius vnum tantum compositum extat, Occasus. Cætera à Cado, supina aut verbalia non faciunt. *

* Cicero tamen in 4. lib. epist. ad Attic. ep. 15. Id ego puto, inquit, vt multa eiusdem, ad nihil recasurum. Et Sueton. in August. cap. 96. Recasura.

Pendo Pependi, Pensum. A quo Appendo, Appendi, Appensum Suspendo Suspendi Suspensum, &c.

Tendo Tetendi Tensum & Tentum. Sic & composita: Extendo, Extendi, Extensum. Ouid. [1. *Metam.*] *Sperat & extenso stringit vestigia rostro. Et, Extentum.*

Ostendo, Ostendi, Ostensum & Ostentum.

Hinc frequentatiuum Ostentare. Quanquam in hoc prior terminatio frequentior est. Cætera posteriore magis gaudent, vt:

Intendo Intendi Intentum
Obtendo Obtendi Obtentum
Prætendo Prætendi Prætentum.

Et Tundo, quod Tutudi facit, penultima breui, vt: Aen. 8. — Et lapsa Ancylia cœlo. Extuderat, &c. Quanquam Ennius, [in Annal.] eandem syllabam etiam produxit, vt:

Virosq: valentes contudit crudelis hyems.

Supino Tunsum & Tusum, vt primo Aeneid. Et tunsæ pectora palmis. Et quarto Georg. Proderit & tusum gallæ admiscere saporem, &c. Quam terminationem & composita retinuerunt, vt:

Contundo Contudi Contusum
Extundo Extudi Extusum, &c.

III. Composita à DO primitiui formam sequuntur, penultima vocali in I mutata, vt:

Addo Addidi Additum
Reddo Reddidi Redditum, quod alterum D, euphoniæ gratia assumsit.
Vendo, ex Venundo, Vendidi, Venditum.
Credo Credidi Creditum, quod quasi cretum do, Priscianus dictum ait, lib. 10.
Condo Condidi Conditum
Abscondo Abscondidi * Absconditum.

* Veteres

* Veteres abſcondi dixerunt. Pomponius citante Nonio. Perii, non puella eſt, nunquid abſcondiſti inter nates?

Nam in 2. Philip. Ciceronis eſt Abſconditi. †

† Erant fortaſſe gladii, ſed tamen abſconditi, nec ita multi. Cicero.

Fecerunt autem & Abſconſum. Id ego non memini me legere.

GO.

In GO, quæ R ante G habent, præteritis SI faciunt, ſupinis SVM, vt:

Mergo — *Merſi* — *Merſum*

Tergo, quod & Tergeo dicitur, * *Terſi Terſum.*

* Horatius 2. ſerm. ſatyr. 2. Hoc potius quam gallina tergere palatum.

Spargo — *Sparſi* — *Sparſum*

II. Cætera in GO, pleraq; XI faciunt præteritis, CTVM ſupinis, vt:

Sugo — *Suxi* — *Suctum*, quo vetuſtiſsimi etiam in ſecunda coniugatione vſi ſunt.

Rego — *Rexi* — *Rectum*, & quæ inde fiunt.

Surgo — *Surrexi* — *Surrectum*

Pergo — *Perrexi* — *Perrectum*

Porrigo — *Porrexi* — *Porrectum*

Item: *Cingo* — *Cinxi* — *Cinctum*

Tingo — *Tinxi* — *Tinctum*

Iungo — *Iunxi* — *Iunctum, &c.*

Et in quibus V post G silet.

Stinguo *Stinxi* *Stinctum*
Extinguo *Extinxi* *Extinctum*
Unguo *Unxi* *Unctum*
Ninguo *Ninxi* absq; supino.

Quæ duo tamen etiam Ungo & Ningo frequenter scribuntur.

Ab Ango quoque Anxi & Anctum facit Priscianus [*lib.* 10.] † *Tametsi participium Anxus, quo idem veteres quosdam vsos tradit, & deriuata Anxius & Anxietas, diuersum arguant.*

† Id fit ad differentiam supini actum ab ago. Diomed. autem lib. 1. ab Angor Anxus sum facit.

Sed abijciunt N in supinis hæc:

Pingo *Pinxi* *Pictum*
Fingo *Finxi* *Fictum*
Mingo *Minxi* *Mictum*
Stringo *Strinxi* *Strictum.* *Quibus addit Priscianus* [*eod. lib.*] *& Ringo, Rictum. Quod ab eo verbale Rictus descendat.*
Figo autem Fixi Fixum facit.

III. In his quæ sequuntur, G I præteriti character est, C T V M supini.

Ago Egi *Actum.* Sic & composita.
Cogo Coëgi Coactum.
Redigo Redegi Redactum
Dego Degi absq; supino, &c.
Frango Fregi Fractum, & compo

Effringo

Effringo	*Effregi*	*Effractum* (sita.
Refringo	*Refregi*	*Refractum, &c.*
Lego	*Legi*	*Lectum,* & compo-
Colligo	*Collegi*	*Collectum* (sita.
Eligo	*Elegi*	*Electum, &c.*

Exceptis tribus his, quæ præterito XI habent.

Diligo	*Dilexi*	*Dilectum*
Negligo	*Neglexi* *	*Neglectum*
Intelligo	*Intellexi*	*Intellectum.*

* Aemil. Macer in 26. Annal. Omnium vestrum neglegerit autoritatem pro neglexerit.

Tango autem, Tetigi facit præterito, Tactum supino.

Pango, quod & Pago † *dixerunt veteres Pepigi & Panxi, Pactum, quod idem est quod Figo, natum à Græco* πήγνυμι, *vt videtur. Vnde & clauum pangere Liuius dixit,* [*lib. 7 ab V. C. Lex vetusta est priscis literis verbisq; scripta, vt qui Prætor Maximus sit, Id. Septemb. clauum pangat.*] *Et Columella* [*lib.* 11. *cap.* 2.] *Malleolis pangere.* * *Et depactam quercum, Plinius* [*lib.* 24. *cap.* 1. *Quercus & olea tam pertinaci odio dissident, vt altera in alterius scrobe depactæ moriantur.*]

† Fabius lib. 1. cap. 9. Autor ad Heren. lib. 2. rem vbi pagunt oratione pagunt.

* Malleolumque quam recentissimis curiosissime pangenda.

Huius tamen compositum Impingo, Impegi præte-

præteritum facit. Scribit enim Priscian. [lib. 10.] *à Pango etiam Pegi, præteritum vetus fuisse.* † *Sic & Compingo, Compegi, Compactum. Plaut. [in Amphit.] Quid faciam nunc si tres viri me in carcerem compegerint?*

† Pacu. in Medo: Tonsilla pegi.

Pungo	*Pupugi & Punxi,*	*Punctum*

Repungo, Repupugi, seruata reduplicatione, & Repunxi, sed diuersa significatione. * *Repunctum.*

* Cum ei qui nos pupugit, talionem, id est, vicem à nobis redditam ostendimus, repupugi dicimus, quando vero de ratione vel Calendario loquimur, repunxi dicimus. Prisc. ex Capro.

Expungo	*Expunxi tantum,*	*Expunctum,*

Sic &:

Compungo	*Compunxi*	*Compunctum.*
Dispungo	*Dispunxi*	*Dispunctum, &c.*

HO.

In HO, præteritis XI faciunt, supinis CTVM, vt:

Vebo	*Vexi*	*Vectum*
Trabo	*Traxi*	*Tractum*, cum compositis.

IO vna syllaba.

In IO syllabam, vnum est Meio, quod præteritum & supinum à Mingo mutuatur, vt:

vt: *Meio* *Minxi* *Mictum.*

Hinc Micturio desideratiuum, quo Iuuenalis vsus est [*sat. 6. Noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic.*]

LO.

In LO desinentia, LVI præteritis faciunt, supinis TVM, vt:

Colo	*Colui*	*Cultum*, O in V conuerso.
Volo	*Volui*	*Vultum*, Analogicôs, sed in vsu non est. *Hinc Vultus. Sic*
Consulo	*Consului*	*Consultum*
Occulo	*Occului*	*Occultum, &c.*
Molo	*Molui*	*Molitum facit.*
Alo	*Alui*	*Alitum & Altum, vt apud Ciceronem pro Plancio: Vbi altus est. Hinc verbale Altilis.*

II. Quæ geminant L, variant.

Fallo	*Fefelli*	*Falsum facit.*
Refello	*Refelli*	absq; supino.
Pello	*Pepuli*	*Pulsum*
Depello	*Depuli*	*Depulsum, sic* cætera composita.
Vello	*Velli & Vulsi*	*Vulsum*
Auello	*Auelli & Auulsi*	*Auulsum. Lucanus,* [*lib. 9.*]

Auulsitq; manu, piloq; affixit arenis.

Percello	*Perculi*	*Perculsum*

Vulgo

Vulgo autem etiam Perculſi, apud Terentium, [in And. act. 1. ſcen. 1.] legitur, vt: Perculſit illico animum. * *Sed huius præteriti nemo veterũ Grammaticorum meminit.*

* Riuius autem legit percuſſit.

Excello, quod & Excelleo dixit Cicero. † *Excellui, Excelſum, autore Priſciano in* 10.

† In 1. Epiſt. ad filium. Quare effice & elabora vt excelleas.

Sic & :

Præcello	*Præcellui*	*Præcelſum*, & abſq; ſupino.
Antecello	*Antecellui*	
Sallo, quod & Sallio dicitur,	*Salli, Salſum facit.*	
Pſallo	*Pſalli*	ſine ſupino.
Tollo	*Suſtuli*	*Sublatum.* Ano-

malon eſt. *Veteres & Tetuli præterito dicebant, tam ab hoc, quàm à Tulo, quod iiſdem, vt Priſcianus ait, [eodem libro] in vſu fuit. Terentius, [in And. act 4. ſcen. 6.] Nam pol ſi id ſciſſem, nunquam huc tetuliſſem pedem. Sed poſteriores à Fero, quo pro Tulo hodie vtimur, Tuli & Latum dicere maluerunt.*

Valla libro 5. capit. 13.

MO.

In MO, quæ vocalem ante M longam habent, præterita per MSI faciunt, ſupina per MTVM, vt :

Demo

Demo	*Demsi*	*Demtum*
Promo	*Promsi*	*Promtum*
Como	*Comsi*	*Comtum*
Sumo	*Sumsi*	*Sumtum, &c.*

II. Cætera per VI diuisas syllabas præterita faciunt, supina per ITVM analogicôs, vt:

Vomo	*Vomui*	*Vomitum*
Gemo	*Gemui*	*Gemitum*
Fremo	*Fremui*	*Fremitum.*

Exceptis, *Emo, Emi, Emtum,* cum compositis:

Redimo	*Redemi*	*Redemtum*
Adimo	*Ademi*	*Ademtum*
Dirimo	*Diremi*	*Diremtum, &c.*

Et: *Premo, quod Pressi, Pressum facit, cum ijs quæ ab eo descendunt, vt:*

Reprimo	*Repressi*	*Repressum*
Comprimo	*Compressi*	*Compressum, &c.*

NO.

In NO, præterita desinunt in VI syllabam, supina in TVM, vt:

Sterno	*Straui*	*Stratum*
Sperno	*Spreui*	*Spretum,* per μετάθεσιν.
Sino	*Siui*	*Situm*
Lino	*Leui*	*Litum,* penultima breui.

Sic & Composita, *Oblino, Obleui, Oblitum. Relino, Releui, Relitum, &c* *Terentius,* [*in Heaut.*

[in Heaut. act. 3. scen. 1.] Dolia releui omnia. *Veteres * etiam Lini dixerunt in præterito. Et à Linire, quod reperimus multis locis vsurpatum esse pro Lino, Liniui.*

* Fabius in declam. Cæci: Mariti tui cruore parietem linisti.

A Cerno quoque veteres Creui † pro vidi vsurparunt, id nunc repudiat vsus. Hinc composita.

† Plaut. in Cistella. Et mihi amicam esse creui, id est, iudicaui vel constitui.

Decerno	*Decreui*	*Decretum*
Secerno	*Secreui*	*Secretum*
Discerno	*Discreui*	*Discretum, &c.*

Excipe à regula.

Temno	*Temsi*	*Temtum*

Pono *Posui, quod & Posiui dixerunt veteres, * Positum.*

* Plaut. in Vidul. Nunc vt apud sequestrum Vidulum posiuimus. Idem in Curc. Ille suum annulum opposiuit.

Gigno *Genui, quod ab antiquo themate Geno factum est, † Genitum.*

† Varro in Andabata: Sed quod hæc loca aliquid genunt.

Et Cano, quod Cecini, Cantum facit. Cuius tamen composita in præteritis in VI, diuisas syllabas degenerant, vt:

Occino	*Occinui †*	*Occentum*
Succino	*Succinui*	*Succentum.*

† Probus & Diomed. lib. 1. Occini faciunt. Salust.

Iust. Occanui in 1. Hiſtor. Iuſſu Metelli cornices occanuere, &c.

PO.

In P O, quæ L vel R vel E longum ante P habent, præteritis P S I, ſupinis P T V M faciunt, vt:

Scalpo	*Scalpſi*	*Scalptum*
Sculpo	*Sculpſi*	*Sculptum*
Carpo	*Carpſi*	*Carptum*
Repo	*Repſi*	*Reptum.*

Cætera variant, vt:

Strepo, quod E breue habet, *Strepui, Strepitū.*

Rumpo *Rupi* *Ruptum facit.*

Sic & *Corrumpo, Corrupi, Corruptum, &c.*

QVO.

In Q V O duo ſunt, Coquo, & Linquo.

Coquo	*Coxi*	*Coctum facit.*
Linquo	*Liqui*	*Lictum*, Sic & compoſita.

R O.

In R O deſinentia, præterita faciunt in VI ſyllabam, ſupina in T V M, Nam VI ſimpliciter κατ᾽ ἀναλογίαν in T V M mutari ſolet, vt:

Tero	*Triui*	*Tritum*
Quæro	*Quæſiui*	*Quæſitum*, penultima longa.

Sero

Sero *Seui* *Satum*, breui A.

Veteres autem vt Priscianus ostendit, [*lib.*10.] *etiam Serui præterito dixere*, * *à quo supinum Sertum*, quam vocem composita quædam retinuerunt, vt: †

* Pro ordinaui, Ennius in præcept. Vbi operam addit, quam tanto studio seruit.

† Ea scilicet quæ simplicis significationem mutant.

Dissero	*Disserui*	*Dissertum*
Assero	*Asserui*	*Assertum*
Desero	*Deserui*	*Desertum*
Exero	*Exerui*	*Exertum.*

Vt apud Ouidium primo Fastorum :

Felices animæ quibus hæc cognoscere primum
Inq; domos superas scandere cura fuit.
Credibile est illos, pariter vitijsq; iocisq;,
Altius humanis exeruisse caput, &c.

Insero autem & Consero, duplicia faciunt præterita & supina, vt :

Insero *Inserui* *Insertum*, cum significat *Admisceo*, *seu interpono*. *Sic dicimus : Homeri poëmatis quidam nothi versus inserti sunt. Et, Propheticis libris Apocrypha quædam scripta inserta sunt. Dicuntur autem, vt hoc obiter admoneamus*, APOCRYPHA, *occulta, non vt vulgo putant, incerti autoris, seu* ἀδέσποτα, *sed quod illis publice in templis non licebat vti. Nam in docenda religione nolebant admiscere humana scripta.*

ſcripta. Itaque commentarios hominum non recipiebant in templa, nec autoritatem illorum valere voluerunt, & iuſſerunt Apocrypha eſſe, hoc eſt, latentia, non publica, non recepta ſcripta.

Vide Eraſmum in ſcholiis epiſt. D. Hieronymi ad Lætam de inſtitutione filiæ: & Viuem in capit. 23. D. Auguſtini de Ciuitate Dei, lib. 15.

Et: *Inſero Inſeui Inſitum, cum ſignificat Germanice Impffen, Græce* ἐμφυτεύειν.

Conſero Conſerui Conſertum, pro Commiſceo. Et:

Conſero Conſeui Conſitum, cum ſignificat Beſeen, vt apud Virgilium, [in Bucol. in 1. Eclog.] En queis conſeuimus agros

Ab Obſero, Obſitus ſolum extat. Terentius: [in Eunuch. act. 2. ſcen. 2.] Video pannis annisq; obſitum.

Variant autem à regula.

Gero Geſſi Geſtum

Vro Vſſi Vſtum, cū cōpo-(ſitis.

Verro Verri Verſum, vt apud Catonem, [cap. 143.] Villam conuerſam mundamq; habeat.

Et *Curro Cucurri Curſum.* Huius & compoſita pleraq; Latini antiquiores prima reduplicata in præteritis protulere, vt *Priſcianus* [*lib.* 10.] *indicat.* Sed poſteriores * fere maluerunt aliorum in his Etymologiam

* Nam omnia verba quę perfecto

giam sequi, *vt Virgilius,* [4. *Aeneid.*] *Decurrere iugis. Et Liuius,* [*lib.* 1. *ab V. C.*] *In fines Romanos incurrerunt, populabundi magis, quã iusti more belli.*

prima syllaba iterantur, adiecta præpositione plerũque desinunt iterare, exceptis compositis à Disco & Posco. Diom. lib. 1.

Extat tamen & apud Terentium, [*act.* 3. *sce.* 3.] *Præcucurri in Hecyra, vt: Vna illarum interea propere præcucurrit, nuncians. Ita enim legit hunc versum Priscianus,* [*lib.* 10.] *Neque aliter Trochaicus constare potest. Et apud Plaut. in Stich. Præcucurri, vt nunciarem nuncium exoptabilem. Quare hoc verbum seorsim quidam Grammaticorum notauere.* Sed eodem modo notanda erant *& Excucurri, quod Cæsar* * *vsurpauit & Diomedes* [*lib.* 1.] *inter vsitata refert. Et procucurri, quo Liuius* [*lib.* 20. *ab V. C. Et si ferocius procucurrissent.*] *alibi vsus est.* Verum in his, vt vbique aliâs, obseruandum est, quid posteriorum vsus approbarit. Multa enim veteres suo modo ac iure dixerunt, quæ posterior ætas repudiauit.

* Ad Virgilium excucurristi a Neapoli.

Furo dissyllabum est, caretq; præterito & supino, sed mutuamur ab insanio, Insaniui, Insanitum.

Fero, Tuli, Latum, ad anomala pertinet.

SO:

In SO

In SO desinentia, IVI faciunt præteritis, ITVM supinis, penultima longa, vt:

Lacesso Lacessiui Lacessitum.
Accerso Accersiui Accersitum.

EXCIPE.

Viso Visi Visum
Incesso Incessi, vt apud Curtium: [*li.3.*] *Non mediocris omnium animos formido incesserat, quod certe ab Incessiui fieri non potuit.*
Facesso Facessi *

* Cicero in Verrina 6. Facessitum: cum audissent ei negocium facessitum.

Capesso Capessi, absque supinis.
Pinso Pinsui Pistum facit. †

† Columella libro 8. cap. 4. Pinsitum ordeum, &c. Varro libro 1. cap. 63. in 1. coniugat. vsus est, vt in pristino pinsetur, &c.

Quæso inter defectiua numeratur.

TO.

In TO, pleraque præteritis VI faciunt, diuisis syllabis, supinis SVM vel XVM, vt:

Meto Messui Messum
Sterto Stertui absque supino.
Necto Nexui & Nexi, Nexum.
Pecto Pexui & Pexi, Pexum. Nam terminatio XI in præteritis κατ᾽ ἀναλογίαν XVM parit in supinis.

EXCIPE.

Flecto, quod flexi tantum facit & Flexum.

Plecto, Plexi, * *quod tamen vsurpari desijt, & Plexum analogicôs. Nam & Amplector, Amplexus sum.*

* Liuius in 6. Erotopægnion: Libens in solito plexit munere.

Et Complector, Complexus sum, faciunt, quæ Priscianus à Plecto, composita facere videtur.

Item:

Verto *Verti* *Versum*
Mitto *Misi* *Missum*
Peto *Petiui* *Petitum*, penultima longa.

Sic & Composita.

Sisto mutuatur à Statuo, præteritum Statui, Gellius [*lib. 2. cap. 14.*] *dicit Stiti præteritum huius verbi fuisse,* quod & composita retinuerunt, vt:

Supino Statum. Valla libro 5. capit. 6.

Resisto *Restiti*
Subsisto *Substiti, &c.*

VO vna syllaba.

In VO syllabam desinentia, præterita in VI syllabam, supina in TVM faciunt, vt:

Soluo *Solui* *Solutum*
Voluo *Volui* *Volutum*, penultima longa. Redit autem consonans V in vocalem

calem necessitate pronunciationis. Sic & :

Caluo *Calui* *Calutum, antiquum verbum,* † *idem quod Decipio, à quo Priscianus* [*lib.* 10] *Calumniam deriuari putat.* Et 1. C. cuius est L. si caluitur. de verb. sign. Tracta autem est Metam. à caluis qui eos frustrantur, à quibus per capillos prehendi videntur.

† Plautus in Casin. Nam vbi domi sola sum, sopor manus caluitur.

Excipitur.

Viuo	*Vixi*	*Victum*, & quæ inde fiunt, vt
Reuiuisco	*Reuixi, &c.*	

XO.

In XO, vnum est Texo, quod præterito Texui facit, supino Textum.

Addit Priscianus [*ibidem*] *& Nexo, Nexui, Nexum. Vt apud Accium* [*in Deiph.*] *Nos continuo ferrum eripimus, omnibus manicas neximus: Vbi Neximus præsentis temporis esse apparet, quemadmodum & Eripimus. Sed pro eo Necto, & quod inde fit Nexo, as, hodie vtimur.* *

* Virg. 5. Aen. Nexantem nodis, seque in sua membra plicantem.

CIO.

Eorum quæ in CIO desinunt, præteriti character CI est, CTVM supini, vt:

Facio	*Feci*	*Factum*

Iacio *Ieci* *Iactum.* Sic & composita.

Excipiuntur à regula.

Composita *à Specio*, XI præteritis, CTVM supinis faciunt, vt:

Aspicio *Aspexi* *Aspectum.*
Despicio *Despexi* *Despectum, &c.*

Et *à Lacio, vt: Allicio, Allexi, Allectum.*
Pellicio *Pellexi* *Pellectum.*

Præter *Elicio, quod Elicui & Elicitum facit. Liuius* [*lib.* 5. *ab V. C.*] *Ad colloquium vatem elicuit. Et Lucanus* [*lib.* 9.]
Virus & elicitum iussumque exire repugnat.

Tametsi vetustissimi † *etiam à Pellicio & Allicio, Pellicui & Allicui, dixisse reperiantur.* Cæterum *Facio, vt hoc quoq; obiter annotemus*, cum verbis vel aduerbijs compositum, non mutat vocalem simplicis, vt: * *Calefacio, Calefeci, Calefactum. Benefacio, Benefeci, Benefactum, &c.* Cum nominibus autem compositum etiam in primam coniugationem degenerat, vt: *Magnifico, as, are. Lætifico, as, are.*

† Liuius in Laodam: Quæpiam te fulgens decore & gloria pellicuit. Piso 1. Histor. Cuius vnius præmio multorum allicuit animos

* Cum præpositione autem A mutat in I breue, vt afficio, Conficio, &c.

DIO.

In DIO vnum est Fodio, quod facit præterito Fodi, supino Fossum. Sic & composita.

GIO.

In GIO, GI præteritis faciunt, supinis ITVM, vt:

Fugio — *Fugi* — *Fugitum*
Confugio — *Confugi* — *Confugitum, &c.*
penultima breui.

PIO.

In PIO desinentia, varie formant præterita & supina, vt:

Rapio — *Rapui* — *Raptum facit.*
Capio — *Cepi* — *Captum.* Sic & composita.
Incipio — *Incepi* — *Inceptum*
Cupio — *Cupiui* — *Cupitum.* †

† Lucret. lib. 1. in quarto ordine vsus est: Confringere. vt arcta Naturæ primus portarum claustra cupiret

Sapio, *Sapiui antiquè*, * *& Sapui*, quod posteriùs & composita fere imitantur, vt:

* Næuius in Virgilium prægnant: Quando ego plus sapiui, qui fullonem cõpressi quinquatribus.

Desipio — *Desipui*
Resipio — *Resipui*, absq; supino.

QVIO.

In QVIO vnum est Inquio, *à quo Inquisti*, † *Inquit præterito dicitur*, quod verbum inter defectiua numeratur.

† Cic. 2. de Orat. Tu vero, inquisti, molestus non eris.

RIO.

In RIO vnum quoq; est, *Pario, quod præterito facit Peperi, supino Partum.* Ab hoc *Pariturus participium*, I inter R & T assumit, *vt apud Statium 12. Theb. Atque hosti veniat paritura marito. Vetustissimi autem & Parire quarta coniugatione dixerunt, vt Ennius:*

Oua parire solet genus pennis condecoratum.

Hinc composita, *Reperio, Comperio, & similia deriuari videntur.*

TIO.

In TIO desinens, Quatio cum compositis, præteritum per SI facit, supinum per SVM, ſſ geminato, vt:

Quatio	*Quassi*	*Quassum*
Concutio	*Concussi*	*Concussum*
Percutio	*Percussi*	*Percussum.*

VO DISSYLLABVM.

In VO, duas syllabas desinentia, præteritis VI faciunt, supinis VTVM, penultima longa, vt:

Imbuo

Imbuo *Imbui* *Imbutum*
Induo *Indui* *Indutum*
Arguo, *Argui* *Argutum, à quo tantum Arguiturus participium inuenitur.* *

* Salustius in 2. Hist. Quos aduersum multi ex Bithynia volentes occurrere falsum filium arguituri.

Diluo *Dilui* *Dilutum.* Sic cætera eiusdem formæ, siue composita, siue simplicia.

EXCIPE.

Struo *Struxi* *Structum*
Fluo *Fluxi* *Fluxum, quod tamen aliquando & Fluctum fecisse, verbale Fluctus indicat.*

Pluo *Plui & Pluui* † *Plutum: cuius supini in compositis vsus est, vt: Lapides compluti, apud Catonem in Origine.*

† Liuius lib. 5. ab V. C. Decad. 5. In Albano monte continenter lapidibus pluuit.

Luo *Lui.* * Luiturus apud Claudianum in Panegyr. 6. consulat. Honorii: Vastato tandem pœnas luitura profundo.

Metuo *Metui*, absque supinis.

Et quæ penultimam supinis corripiunt, vt:

Ruo *Rui* *Rutum* † *& Ruitum, à quo Ruiturus,* *

† Inde ruta & cæsa apud Vlp. in L. fundi parag. Si ruta. de action. emt.

tametsi huius composita priore terminatione magis gaudent.

* Lucan. lib. 4. Ruituraque semper Stat mirum moles, &c.

Et antiquum Fuo, a quo Fui præteritum, & Futurus participium, reliqua mansere.

In quibus autem V, vim literæ amittit, vt sunt:

Unguo, Ninguo, Stinguo, Linquo, Coquo, &c. ex eorum regulis iudicentur, quæ in GO vel in QVO desinunt, *de quibus supra diximus.*

Atque in hunc modum præterita & supina iuxta terminationes præsentium variant. *Reliqua tempora κατ' ἀναλογίαν declinabis, secundum formulam verbi Lego, quæ in Donato extat.*

DE PASSIVIS ET Deponentibus.

Passiua (vt supra) mutuantur à participijs præterita, † vt:

† Vnde passiua, quorum actiua supinis caruerint, præteritum habere non possunt, cum participium præteriti temporis passiuum à posteriore supino deriuetur.

Legor	*Lectus sum*
Ducor	*Ductus sum, &c.*

Extat & horum coniugandi formula apud Donatum.

Imitantur formulam passiuorum Deponentia

nentia quoque & Communia. Nam ex ſupinis finguntur participia & præterita. *Supina vero in ſingulis terminationibus qualia fiant ex regulis ſuperioribus apparet. Verum quia nonnulla etiam ex his ab analogia diſcedunt, vno in loco omnia hic aſſcribenda putauimus, ne procul quærendo puerorum ingenia diſtraherentur. Sunt autem hæc:*

B O R.

Labor	*Lapſus ſum*, à quo composita.
Elabor	*Elapſus ſum*
Dilabor	*Dilapſus ſum.*
Prolabor	*Prolapſus ſum.*

C O R.

Adipiſcor Adeptus ſum, Quod Varro dicit eſſe à veteri verbo Apiſcor, vnde fit aptus.

Comminiſcor Commentus ſum, Cuius cognatum Reminiſcor, * præterito prorſus caret.

* Phocas tamen his tribus Veſcor, Liquor, Reminiſcor aſcititia tribuit præterita, paſtus, liquefactus, recordatus ſum...

Deſatiſcor Deſeſſus ſum, à primitiuo Fatiſco.

Expergiſcor, Experrectus ſum, quod vetuſtiſſimi † *etiam Expergitus dixerunt.*

† Lucil. libro 3. E ſomno pueros cum mane expergitus clamo. Proprie tamen expergitus is dicitur, qui non excitatus ſomno ſponte vigilat, experrectus autem à quiete impeditus. Diom. li. 1.

Irascor	*Iratus sum*
Nascor	*Natus sum*
Nanciscor	*Nactus sum*
Obliuiscor	*Oblitus sum*, penultima longa.
Paciscor	*Pactus sum*
Proficiscor	*Profectus sum*
Vlciscor	*Vltus sum*

Vescor, quod præteritum omnino non habet.

G O R.

Fungor	*Functus sum*, cum compositis.
Perfungor	*Perfunctus sum*
Defungor	*Defunctus sum.*

Q V O R.

Loquor	*Locutus sum*
Sequor,	*Secutus sum*, cum compositis, (vt:
Eloquor	*Elocutus sum*
Persequor	*Persecutus sum*, & similia.
Liquor	sine præterito.

R O R.

Queror	*Questus sum.* Sic & composi- (tum.
Conqueror	*Conquestus sum.*

T O R.

Amplector	*Amplexus sum.*

Com-

Complector *Complexus sum*

Diuertor *Diuerti sumto à voce actiua præterito.*

Reuertor *Reuerti* apud Ciceronem, [*lib. 3. epist. fam. ep. 10. Conscendens iam nauem Ephesi, Laodiceam reuertit. Et eodem libro epi. 8. Reuertisse.*] *Reuersus sum.*

Nitor *Nisus vel Nixus sum.*

Vtor *Vsus sum.* Sic &

Abutor *Abusus sum.*

Or purum.

Fruor *Fruitus sum & Fructus Ab hoc verbo & Fretus videtur factum.* * Valla libro 5. cap. 5.

Et quæ in tertio & quarto ordine coniugata reperiuntur.

Orior *Ortus sum, à quo participium futuri temporis, Oriturus.*

Morior *Mortuus sum, à quo Moriturus. Et: Potior* *Potitus sum.*

Fuit & Tuor, Tutus sum, antiquum deponens, pro eo quod est video, ab hoc sunt composita, *Contuor, Intuor, & Obtuor quibus Plautus alibi vsus est*, [*in Asinar. Profecto nullam equidem illi cornicem intuor. At tu istac aduersum obtuere, quoniam cornicem nequis conspicari, si vulturios forte duos possis contui.*] *&* ver-

contui.] & verbale Obtutus, apud Virgilium, [1. Aeneid.] Obtutuque hæret defixus in vno. Sed posteriores in eadem significatione Intueor, Contueor, &c. à Tueor, in secunda coniugatione dicere maluerunt. Nam & Tueor, pro video simpliciter dixit Virgilius, [4. Aeneid.] vt:

Talia dicentem iamdudum auersa tuetur.

Quemadmodum rursus Tuor pro Tueor vsurpasse veteres, indicio sunt verbalia Tutus † & Tutor.

† Apud Fabium in declar. Cæci est tuitus, vnde Tuitio, Valla libro primo cap. 30.

DE QVARTA CONiugatione.

In quarta Coniugatione præteriti character est IVI, supini ITVM, penultima longa, vt:

Cio	*Ciui*	*Citum*
Suffio	*Suffiui*	*Suffitum,*

Quod cum à Fio videatur esse factum, tamen illi dissimile est in coniugando. Sic &:

*Sallio Salliui Sallitum, vt apud Neuium: Sallliturus isthæc, mittam Salem. Nam Salsum & Salsurus à Sallo fiunt, * quod tertij ordinis est, vt à Fallo Falsum.*

* Hinc à fallo fit fallendus, apud Columel. lib. 7. cap. 7. Pecora ferro necanda, fallendaque, a fallio falliendus.

dus. Sisenna: Salliendorum piscium caussa.

Admittunt autem Syncopam præterita hæc, quæ in I V I exeunt, vt: *Audij, Audijsti, Audijt. Sæuij, Sæuijsti, Sæuijt.* [*timorem lenijt, Aeneid.*] *Quemadmodum & Petij, Petijsti, Petijt. Amaui, Amasti, Amarunt, & similia.*

Desinuntque in I O huius coniugationis omnia, præter E O & Q V E O, cum compositis.

SED VARIANT REGVLA.

I. In C I O desinentia polysyllaba, quæ si N ante C habuerint, præteritis X I faciunt, supina in C T V M, vt:

Vincio Vinxi Vinctum
Sancio Sanxi Sanctum, à quo tamen veteres etiam Sanciui & Sancitum dixerunt. Lucretius [*lib.* 1.] *Quid porro nequeas, sancitum quandoquidem extat.*

Sin aliam consonantem aut vocalem ante C habuerint, præterita quidem in S I formant omnia, supina autem, in quibus L vel R præcedit, in T V M, vt:

Fulcio Fulsi Fultum
Farcio Farsi Fartum
Refercio Refersi Refertum. Sic cætera composita.

Sarcio Sarsi Sartum. Cato de re rustica, [*cap.* 39.] *Si bene sarseris, aut bene alligaueris*

gaueris, &c. Et : Sarta tecta habere, apud Iuris-consultos. *

* L. Hactenus ff. de vsufructu & quemadmodum quis vtatur : Hactenus tamen, vt sarta tecta habeat, si qua tamen vetustate corruissent, neutrum cogi reficere. Sunt autem sarta tecta opera publica, quæ locantur, vt integra præstentur. Sex. Pompeius lib. 17.

Cætera, SI, in SVM vertunt, vt :

Raucio Rausi Rausum

Irraucio Irrausi Irrausum, *Cicero primo de Orat. Itaque nos raucos sæpe attentissime audire video, tenet enim res ipsa atque caussa. At Aesopum si paulum irrauserit explodi, &c. Ita enim & Priscianum [libro 10. de præterito 4. coniugat.] legere video.* †

† Alias irraucuerit, legitur in vulgaribus editionibus.

Et Lucilius in 19.

Rausuro, tragicus, qui carmina perdit Oreste.

II. Variant & hæc :

Venio Veni Ventum, cum compositis.

Sentio Sensi Sensum

Haurio Hausi * *Haustum*

* Varro ad Cic. in 24. Cum inde haurierint.

Sepio Sepsi Septum

Sepelio Sepeliui Sepultum

Salio Salij † & *Salui, Saltum. Nam Saliui nusquam*

† Virg. Georg. 2. Mollibus in pra-

nusquam apud autores reperitur.

tis vnctos saliere per vtres. Posterius tamen composita tantum imitantur, vt: Prosiluere omnes. 5. Aeneid. &c.

Et quæ à Pario composita videntur.

Aperio *Aperui* *Apertum*
Operio *Operui* *Opertum*
Reperio *Reperi* *Repertum.*
Comperio, quod tamen vix inuenias. Nam pro eo Comperior fere vtimur, Comperi, Compertum.

*Addit Priscianus & Cambio, * Campsi,* ἀμείβω *Græce à quo frequentatiuum Campsare, quo Ennius vsus fuit in 10. Leucatem campsant.* Sed hæc abolita sunt.

* Cambire, pro commutare, prorsus barbarum est, Eras. in conuiuio prophano.

Et Aio, à quo quidam Aij præterito dici volunt, inter defectiua recensetur.

Ferio, tam præterito quam supino caret.

Eo autem & Queo cum ijs quæ inde nascuntur, præterita quidem iuxta regulam faciunt, supina autem in ITVM, penultima breui, vt:

Eo *Iui* *Itum*
Abeo *Abiui & Abij, Abitum.* †

† Virg. Aeneid. 8. Amphitryoniades armenta abitumque pararet.

Redeo *Rediui & Redij, Reditum, * &c.*

* Ouidius in 2. epistola Heroid.

Vela

Vela queror reditu, verba carere fide.

Queo Quiui Quitum. Terentius in Hecyra, [*act.* 4. *scen.* 1.] *Nam cum compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita est. Iambicus est tetrameter.*

Præter Ambio, quod quia E in I mutauit, participium quoque ambitus, penultima longa fecit.

Ouidius, [1. *Metamorph.*]

Iussit & ambitæ circundare littora terræ.

Nomen autem *Ambitus*, I breue habet, *Lucanus lib.* 1. *Lethalisq; ambitus vrbi, Annua venali referens certamina campo.*

Et Veneo, Venivi, vel Venij, à quo supinum Venum pro Venitum vsurpamus.

Hic etiam monendi sunt pueri, in præterito imperfecto verbi *Eo, Ibam dici, non Iebam, * vt Audiebam*. Et futurum geminum esse, *Eam & Ibo*, Qua forma & in aliis multis antiquiores vsi sunt, vt: *Scibo, Quibo, Opperibor, &c.*

* Antiqui enim transmutantes locum vocalium, pro I & E, ei diphthongum proferebant, quam postea in I longum verterunt. Sic Propertius lib. 3. eleg. 21. Lenibant tacito vulnera nostra sinu. Priscianus lib. 9. in principio.

Formula Coniugationis extat apud Donatum.

Passiua mutuantur præterita perfecta, vt:

vt & in alijs coniugationibus, à participijs, vt:

Audior	*Auditus sum*
Vincior	*Vinctus sum, &c.*

Et ad hanc formam etiam Deponentia coniugato, vt:

Largior	*Largitus sum*
Molior	*Molitus sum*
Potior	*Potitus sum, &c.*

EXCEPTIS.

Comperior, quod Comperi facit actiua voce.

Exp[illegible]	*Expertus sum*
Opp[illegible]	*Oppertus sum, apud Teren-*

tium, [[illegible] *erm. act. 3. scen. 2. Si non tum dedero, vn* [illegible] *praeterea horam ne oppertus sies.] &* *Oppe*[illegible] *sum, apud Plautum in Mostellaria, vt: Seni* [illegible] *non erat, id sum opperitus.*

Metior	*Mensus sum*
Ordior	*Orsus sum*
Orior	*Ortus sum, à quo*
Exorior	*Exortus sum*
Adorior	*Adortus sum, &c. Sed est*

inde tamen Oriturus participium anomalum. *

* Horatius lib. secundo epist. epi. 1. Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.

Degeneratque hoc verbum in tertiam coniugationem alijs casibus, *praeter Oriri & Oris.*

ris. Tametsi Ouidius, [10. *Metamorph.*] *etiam Oreris fecit, vt :*

Tu quoties oreris, viridiq; in cespite flores, &c.

Quam potuimus, breuissime complexi sumus formulas præteritorum & supinorum. Superest nunc, vt vsu loquendi pueri eas sibi faciant familiares. *Nam in sermone coget eos res ipsa obseruare varietatem temporum & casuum, quam deprehendent facilius, si in Germanico sermone eandem varietatem in verbis animaduerterint.*

DE HETEROCLITIS, Anomalis & Defectiuis.

Priscianus libro 8. de Coniugat.

Sunt autem quemadmodum inter nomina, ita & verba quædam ἑτερόκλιτα, *hoc est,* quæ varie coniugarunt veteres, vt:

Lauo as, are, &
Lauo is, ere, vt : Lauit improba teter Ora cruor, &c. Virg. [*lib.* 10. *Aen.*]

Tergeo, es, ere, vt : Vasa aspera tergeat alter. Iuuenal. sat. 14. *Et tergo, is, ere.*

Ferueo, es, ere, vsitate. Et Feruo, is, ere, vt : Feruere Leucaten, &c. Virgil. Aeneid. 8.

Strideo, es, ere, vt apud Lucanum in 6. Feralis strideat vmbra. Et Strido, is, ere, vt :

Stridunt-

Striduntq; cauernis Stricturæ chalybum, &c. Aeneid. 8.

Fulgeo, es, ere, vsitate. Et Fulgo, is, ere, vt: Auroq; effulgere fluctus, Ibidem.

Oleo, es, ere, communiter. Et Olo, is, ere, apud Plaut. in Mostell. Non omnes possunt olere vnguenta exotica. Est enim Senarius, Iambicus.

Sugeo, es, ere, apud eundem in Epidico: Ego vertam me in hirudinem, atque horum exugebo sanguinem.

Sugo, is, ere, vsitate. Lino, is, ere. Et: Lino, is, ire. Fodio, is, ere. Fodio, is, ire, sed antique, vt: Vepres recidi, hortum fodiri, &c. Cato de re Rust. [cap. 2.]

Sic & Deponentia quædam, vt:

Tueor, eris, eri, vsitate. Et:

Tuor, eris, Tui, de quo supra paulò meminimus. * * Pag. 229.

Potior, eris, tertiæ, à quo Potitur, penultima breui dixit Virg. [3. *Aeneid.*] *vt: Auro vi potitur, &c. Et Potior, Potiris, Potiri, vsitate. Cuius tertia persona singulari Lucilius* [*in* 5.] *vsus est, vt: Deficit alma Ceres, nec plebes pane potitur.* Nunc tamen eadem breui fere I vtimur. †

† Ouidius 7. Metam. Heros Aesonius potitur.

Orior, eris, itur, I breui vsitate. Et: Orior quartæ, à quo Orirer & Oriri, reliqua manfere. Idem autem Lucilius [*in* 3.] *& Oritur I longa dixit, vt: Conturbare animam potis est, quicunq; adoritur.*

 Morior,

Morior, eris, itur, vsitatè. *Et Morior,* quartæ à quo Infinitiuus *Moriri, vt Ouid.* [14. *Met.*] *At trepidus, mortemq; timens, cupidusq; moriri &c. Et apud Terentium in Eunuch.* [*act.* 3. *scen.* 1.] *Risu emoriri omnes qui aderant. Ennius* [*in* 14. *Annal.*] *autem etiam dixit: Seu viuimus, siue morimur,* I longa.

Quibus fortasis & alia similia reperias, *sed hæc vt communiora annotasse satis est.*

Sunt & anomala verba quædam, vt:

Gaudeo	*des*	*Gauisus sum*
Prandeo	*des*	*Pransus sum*
Mœreo	*res*	*Mœstus sum*
Soleo	*les*	*Solitus sum.*

Fio, Fiebam, Factus sum. Fiam, cum Fierem & Fieri Infinitiuo.

Item: Eo, Ibam, Ibo.

Queo, Quibam, Quibo. Sic & composita, vt: *Veneo, Venibam, Venibo, à Venum & Eo.* *Nequeo, Nequibam, Nequibo,* contra morem quartæ coniugationis.

Huc pertinent & hæc, quæ Donatus coniugauit, *Sum, Volo, Fero, & Edo* cum compositis, vt:

Priscianus libro 9. de generali verb. declin.

Assum, Aderam, Affui, Affueram, Adero, Ades, Adessem, Adesse.

Possum, Poteram, Potui, Potueram, Potero, Possem, Potuissem, Posse, &c.

Malo,

Malo, Mauis, Mauult. Malumus, Mauultis, Malunt.

Præterito Imperfecto, Malebam, bas, bat, &c.

Præterito perfecto, Malui, luisti, luit, &c.

Præter. plusquamper. Malueram, ras, rat, &c.

Futuro, Magis volam, les, let, &c.

Imperatiuo, Malis, &c.

Optatiuo, Mallem, Malim & Mauelim, &c.

Coniunctiuo Malim, Mallem, Maluerim, Maluissem, Maluero, &c.

Infinitiuo, Malle, sine participio.

Nolo, Non vis, Non vult. Nolumus, Non vultis, Nolunt. *

* Vultis, emta est. Noltis, non emta est, Diomed. lib. 1. ex Lucilio.

Imperfecto, Nolebam, bas, bat, &c.

Perfecto, Nolui, uisti, uit, &c.

Plusquamperfecto, Nolueram, ras, rat, &c.

Futuro, Non volam, Non voles, &c.

Imperatiuo Noli, Nolito, &c.

Optatiuo, Nollem, Noluissem, Nolim, &c.

Coniunctiuo, Nolim, Nollem, Noluerim, Noluissem, Noluero.

Infinitiuo, Nolle, Noluisse, absq; Futuro.

Hinc extat participium Nolens.

Edo, Es, Est. Virgilius [4. Aen.] Est mollis flamma medullas. &c. Pluraliter, Edimus, Editis, Edunt.

Coniugatur tamen & Analagicôs: *Edo, Edis, Edit, &c.*

Imperfecto, Edebam, Edebas, Edebat, &c.
Perfecto, Edi, Edisti, Edit, &c.
Plusquamperfecto, Ederam, ras, rat, &c.
Futuro, Edam, Edes, Edet, &c.
Imperatiuo, Es, Edat. Pluraliter, Este, Edant.
Futuro, Esto tu, Esto ille. Pluraliter, Edamus, Estote, Edunto.
Optatiuo, Utinam Essem, Esses, Esset, &c.
Et analogicôs, Ederem, res, ret, &c.
Futuro, Edam, Edas, Edat, &c.
Coniunctiuo, cum Edam, Edas, Edat, &c.
Imperfecto, cum Essem, Esses, Esset, &c.
Perfecto, cum Ederim, ris, rit, &c.
Plusquamperfecto, cum Edissem, ses, set, &c.
Futuro, cum Edero, ris, rit, &c.
Infinitiuo, Esse & Edere.
Perfecto, Edisse.
Futuro, Esum iri, & Esurum esse.
Gerundia, Edendi, Edendo, Edendum.
Ouidius, [lib. 3. de arte amandi.]

Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi,
Ora nec immunda tota perunge manu.
Neue diu præsume dapes sed desine citra
Quam cupias, paulò quàm potes esse minus.

Supina, Esum, Esu.
Participia, Edens & Esurus.

Hæc autem quæ sequuntur, etiam modis & temporibus certis deficiunt, vt: *Aio.*

Indica-

Indicatiuo, Aio, Ais, Ait. Pluraliter, Aiunt.
Imperfecto, Aiebam, bas, bat, &c.
Imperatiuo, Ai, antique, vt apud Næuium: An nata est sponsa prægnans? vel ai, vel nega.
Cætera desiderantur.

SALVE, AVE, VALE.

* Vale salutatio est recedentis, salue & aue venientis. Valla lib. 6. cap. 30. Cicero ad Attic. lib. 6. epist. 2. Valebis igitur & valere Pyliam & Cæciliam nostram iubebis literis, & saluebis à meo Cicerone.

Imperatiuo, Salue. Pluraliter, Saluete.
Infinitiuo; Saluere.
Sic Aue & Vale declinantur, cum sunt salutandi verba, vt apud Suetonium in Galba [cap. 4.] Veterem ciuitatis exoletumq; morem, ac tantum in domo sua hærentem, obstinatissime retinuit, vt liberi, seruiq; bis die frequentes adessent, ac mane saluere, vesperi valere sibi singuli dicerent.

AVSIM.

Subiunctiuo, Ausim, Ausis, Ausit. Pluraliter, Ausint.
Cætera desiderantur.

CEDO.

Hæc sola vox, pro Dic, aut Porrige, * extat, *vt:*

* Cic. in Catone. Cedo, qui ve-

Cedo dexteram, apud Terentium, [in Heautont. act. 3. scen. 1.]

ſtram Rempub. tantam amiſiſtis tam cito? Cedo, pro dicite.

FAXO.

Indicatiui Futurum eſt Faxo, pro faciam. Subiunctiuo autem Faxim, Faxis, Faxit. Et pluraliter, Faxint, dicitur.

FOREM.

Optatiuo: Forem, Fores, Foret. Plural. Forent. Infinitiuo Futuro: Fore.

*Sic & compoſita, de quibus Valla lib. 1. cap. 26.

INQVIO ET INQVAM.

Indicatiuo: Inquio & Inquam, Inquis, Inquit. Pluraliter, Inquiunt.

Præterito perfecto, Inquiſti, Inquit. †

Imperatiuo, Inque, Inquiat. * Cæteris caret.

† Futu. Inquiet, Cic. in 4. Verrin.

* Futuro, Inquito, apud Plautum in Aulular.

INFIT.

Hæc vna vox † vſurpatur, pro ait, ſiue cœpit, vt apud Virgil. [lib. 11. Aen.] Ita farier infit.

† Varro Infio dixit in menſuralibus, teſte Priſciano in 8. de cognat. temporum.

QVAE-

QVAESO.

Quæso & Quæsumus, Cætera desiderantur.

Priscianus [*lib.* 10.] *tamen & Quæsiui, præteritum huius verbi ex Salustio* [*lib.* 1. *Histor.*] *citat, vt: Pisonem quæsiuit, vti adolescentior, & populi suffragijs integer, ætati concederet. Significat enim hic Quæsiuit, item quod rogauit.*

MEMINI ODI COEPI

Valla libro 3. capit. 58.

Memini, Odi, Cœpi, præsentis significationem habent & præteriti, vna voce. Flectuntur autem:

Indicatiuo: Memini, Meministi, Meminit. Pluraliter, Meminimus, Meministis, Meminerunt & Meminere.

Memineram, ras, rat, &c. quod imperfecti pariter & plusquamperfecti significationem habet.

Imperatiuo, Memento. Pluraliter, Mementote.

Optatiuo, vtinam Meminissem, ses, set, &c.

Coniunctiuo, cum Meminerim, ris, rit, &c. Et Meminero, ris, rit, quo tam Indicatiui, quam Coniunctiui significatione vtimur.

Infinitiuo, Meminisse, cæteris caret.

Priscianus [*lib.* 11. *de temporibus & formatione participiorum.*] *autem ex Liuio † Poëta etiam participium Meminens citat, sed hoc nunc prorsus exoleuit.*

† Erotopægnion 4. Meminens Varro corde volutat.

Eodem modo & Odi & Cœpi pro Incipio flectuntur. Quibus Grammatici * *etiam Noui, addiderunt,* quod quanquam à *Nosco est*, præteriti tamen voce præsentis significationem habet. Cæterum posteriora hæc, *Odi, Cœpi & Noui*, etiam Imperatiuum desiderant.

* Diomed. lib. 2.

Habent tamen ex his Supina & Participia, *Odi, Osus, à quo Perosus & Exosus, de quibus infra in Participijs. Cœpi, Cœptum & Cœptus. Terentius autem in Adelphis*, [*act. 3. scen. 3.*] *etiam imperfect. subiunctiui à themate Cœpio, vsus est, vt: An non sex totis mensibus prius olfecissem, quam ille quicquam cœperet?* † *Ita enim Priscianus legit* [*libro* 10.] *Sed de his satis*,

† Aliàs cœperit.

Porro hoc loco notanda sunt * & quatuor illa: *Dico, Duco, Facio & Fero*, quæ in Imperatiuo apocopen patiuntur, dicunturq;, *Dic, Duc, Fac & Fer*, pro *Dice, Duce, Face & Fere*, differentiæ caussa. Apud poëtas tamen *Edice*, † *pro Edic. Face, pro Fac*, leges. Quo pacto & composita, *Effice, Refice, Perfice*, &c. quæ si cum præpositione componuntur, integre efferuntur. Quæ autem cum aduerbijs composita

* Priscianus li. 8. de verbo.

† Virgilius Aeneid. 11. Tu Voluse armari Volscorum edice maniplis.

posita sunt, originem sequuntur, vt: *Benefac, Malefac,* &

Iam quæ præteritis & supinis deficiunt, quæ ab alijs eodem hoc loco recenseri solent, ea nos suis quæque locis fere annotauimus. Quibus tamen studiosus puer, etiam alia adijcere poterit, quæ frequens autorum vsus, ad quorum exemplum omnis sermo componendus erit, inter legendum subministrabit.

DE IMPERSONALIBUS.

Supra † *diximus, Verba alia dici personalia, alia Impersonalia. Ac de personalibus hactenus tractauimus.*

† Pag. 222.

Impersonalia autem, hoc est, quæ personam certam non recipiunt, duplicia sunt, alia passiuæ vocis, alia actiuæ.

Passiuæ, vt: *Legitur, Statur.*

Actiuæ, vt: *Piget, Pœnitet.* Habent autem omnia casum tertiæ tantum personæ.

Passiuæ vocis Impersonalia fiunt ab omnibus verbis Actiuis & Neutris, vt: *Legitur, Dicitur, Turbatur. Virg.* [*Eclog.* 1.] *Usq; adeo turbatur agris. Curritur, Statur, Viuitur, &c. vt Viuitur ex rapto. Ouid.* [1. *Metamorph.*] *Habentq; significationem absolutam. Sic enim exponuntur:*

nuntur : Legitur , man list. Dicitur , man sagt. Curritur, man laufft. Viuitur, man lebt.&c. Ex qua figura Germanici sermonis facile intelligent pueri naturam horum verborum, sentientq; nullam certam personam impersonalibus præponi.

Horum coniugatio sequitur characterem passiuorum. Recipiunt autem terminationem tertiæ tantum personæ.

Actiuæ vocis Impersonalium certus propemodum numerus est. *Sunt enim fere hæc : Est, Interest, Refert, Decet, Delectat, Iuuat, Oportet, Pœnitet, Piget, Pudet, Tædet, Miseret, Accidit, Euenit, Contingit, Vacat, Præstat, Restat, Libet, Licet, Liquet, Placet, Constat, Sufficit, Expedit, Conducit, Solet & Potest.*

Quæ eadem hisce versiculis comprehenduntur :

Contigit, Euenit, Præstat, Restatq;, Vacatq;,
Sufficit & Constat, Liquet, Expedit atq; licebit,
Conuenit atq; Placet , Libet, Accidit & Conducit
Et Solet atq; Potest, Refert, Est, Intereratq;,
Pœnitet atq; Piget, Tædet, Pudet atq: Misertū est.
Cum quib. adde Iuuat, Decet & Delectat, Oportet.

In his quædam & personaliter vsurpantur, vt :

Præsto, Vaco, Placeo, Conduco, &c.

Quædam personalem vocem prorsus non

non recipiunt. *Non enim Oporteo, * Pudeo, Pœniteo, eodem modo, vt ſuperiora, dicimus.*

† Quæ tamen inueniuntur perfectorum declinationem habentia in vſu veterum, vt monet Priſcianus lib. 11. de temporibus Participiorum.

Sunt autem & hoc genus Imperſonalia certa in omnibus linguis, *vt apud Græcos:* δεῖ, χρή, φιλεῖ, *&c. apud Germanos, Es luſt, Es rewet, Es pfleget, & ſimilia.*

Coniugatio imitatur Perſonalium regulas, vt: *Vacat, Vacauit. Iuuat, Iuuit. Placet, Placuit. Pudet, Puduit. Oportet, Oportuit. Pœnitet, Pœnituit. &c.* Nam tertiæ tantum perſonæ caſum habent.

Sed tamen & horum quædam * ab analogia variant. Nam:

* Veteres enim figurabant perfecta ex forma actiuæ declinationis more paſſiuæ declinationis, Diomed. lib. 1. Gellius lib. 25. capit. 13.

à Tædet, fit Pertæſum eſt, vt: Pertæſam thalami 4. Aeneid.

à Miſeret, Miſertum eſt, vſitate, *& Miſeritum extat apud Terent.* [*in Phorm. act.* 3. *ſc.* 2.]

à Liquet, Præteritum non extat.

Sunt & in vſu: *Placitum eſt, pro Placuit.*

Libitum eſt, pro Libuit.

Puditum eſt, pro Puduit, apud Plautum † in Bacchidibus.

† Neque mei, neque te tui intus puditum eſt factis, quæ facis.

Licitum

Licitum est, pro Licuit.

Et Pigitum est, pro Piguit, apud Silium [*lib.* 7.] *vt: Nec pigitum est, paruosq; lares, humilisq; subire Limina cœlicolam tecti, &c.*

Carent autem Supinis & Gerundijs Impersonalia.

Et in coniugando, in vniuersum etiam vsus doctorum obseruandus est. *Nam sæpe non vtimur casibus, quos analogia parit, vt Stor & Dor, non dicimus, quemadmodum nec For, aut Affor.*

DE PARTICIPIO.

PARTICIPIVM est nomen verbale, significans tempus.

*Nam per omnia imitatur nomen in declinatione & genere. Sed à verbo vnde cadit, tempus mutuatur, & certam significationem agendi, vel patiendi. Elegans autem genus vocum est, si commode vtaris. Nam succinctius pleraq; * & magis signate efferimus per participia, quàm per Verba, vt cum dico:* [*Publius in Mimis.*]

* Idem asserit Valla lib. 1. cap. 3. Habet, inquit participium talem, tantamque nonnunquam gratiam vt sine eo non sit Latina plane oratio, &c.

Furor fit læsa sæpius patientia, non paulò gratius est, quam si dicas: Patientiam, si sæpius tentetur

tentetur ac lædatur, furorem fieri. *Includit enim participium relatiuum, vel particulas, Si, Dum, cum verbo.*

Participio accidunt: Genus, Numerus, Figura, Casus, Tempus, & Significatio.

GENVS.

Genus ex regulis de Nomine cognosci potest.

Nam Omnis generis ea sunt, quæ N S finiunt, vt:

Hic & hæc & hoc Amans, Legens.

Cætera mutant genera per terminationes, vt:

Hic Lectus, Hæc Lecta, Hoc Lectum.

NVMERI.

Numeri ijdem qui in Nomine sunt, Singularis, vt: *Hic Legens.* Pluralis, *vt: Hi Legentes.*

FIGVRAE.

Figuræ duæ sunt:

Simplex, vt: *Spirans.* Decomposita, vt: *Respirans. Nam nulla sunt composita participia, nisi ex verbis compositis, quæ παρασύνθετα Græce, hoc est*, Decomposita appellantur. *Indoctus enim & Insipiens, & similia, in nominum transeunt naturam.*

CASVS,

CASVS.

Casus quoque ijdem sunt, qui in nomine. Et formulæ declinationis apud Donatum extant.

TEMPVS.

Tempora Participiorum tria sunt:

Præsens, Præteritum & Futurum, quæ ex formatione cognoscuntur.

Præsens vocum est, quæ in NS desinunt, & consonantem præsentis retinent, vt: *Amans, Legens, Docens, &c.* *

* Participia in NS in substantiuum sæpe transeunt, de quo Valla libro 1. cap. 33.

Formatur à prima persona præteriti imperfecti, vltima syllaba in NS conuersa, vt: *Amo, Amabam, Amans. Doceo, Docebam, Docens. Audio, Audiebam, Audiens.* Excepto *Iens, & quæ inde fiunt, vt: Rediens, Abiens, &c. quæ E assumunt. Ab Eo enim Ibam imperfectum fit, non Iebam.*

Futurum vocum est, R V S finientium præcedente V, vel D V S, præcedente N cum vocali præsentis, vt: *Lecturus, Legendus, Amaturus, Amandus, &c.*

Fiuntq; ea, quæ in R V S exeunt, à supinis, vt: *Lectu, Lecturus. Amatu, Amaturus.*

Illa

Illa autem quæ in D V S exeunt, à participio præsenti, vltima consonante in D V S mutata, vt: *Legens, Legendus. Amans, Amandus.*

Cæteræ voces præteritum tempus significant: *Fiuntq; a supinis & ipsa, vt Lectus, a Lectu. Amatus ab Amatu. Visus a Visu. Auditus ab Auditu, &c.*

SIGNIFICATIO.

Significatio inprimis obseruanda est pueris, *vt discant, quæ actiue, quæ passiue significent: * qua in re sæpius videmus peccare imperitos.*

* De Participiis in voce passiua actionem, vel in actiua passionem significantibus, Valla lib. 1. cap. 30.

Significant autem actiue, *quæ ab Actiuis cadunt, vt Legens, Docens.* Passiue, *quæ a passiuis, vt Lectus, Auditus.* Absolute *quæ ab absolutis, vt: Sedens, Vigilans, Dormiens, &c.* Nam Participium imitatur sui thematis significationem.

Porro ab actiua voce duplicia veniunt participia. Præsens in N S, vt: *Legens, Audiens.* Et Futurum in R V S, vt: *Lecturus, Auditurus.*

Similia & à Neutris cadunt.

Præsens, vt: *Errans, Carens.*

Futurum, vt : *Erraturus, Cariturus.*

A passiuo item duplicia fiunt participia, præteritum, vt : *Lectus.* Et Futurum in D V S, vt : *Legendus, Audiendus.*

Fiunt autem & à Neutris passiua participia, sed ab his tantum, quorum tertiæ personæ passiue vsurpantur, vt : *Aratur terra, &c. Hinc arata & aranda terra. Sic Virgilius dixit,* [*Aeneid.* 1.] *Arte laboratæ vestes. Et:* [3. *Aeneid.*] *Errata retrorsum Littora. Sic Decurso spacio. Terentius, Eodemq; modo & illa καταχρηστικῶς dicta sunt.*

Ille triumphata capitolia ad alta Corintho. Aen. 6.
Et : Terra acri quondam regnata Lycurgo.
Aeneid. 3.

Item hæc Ouidij [*in ep. Oenones ad Parin.*]
Quæ venit indigne, pœna dolenda venit.

Et [1. *epist. Heroid.*]
Vir q; mihi demto fine carendus abest.

Et id genus alia, Poëtis familiaria.

A Deponenti triplicia veniunt participia. Præsens, vt : *Loquens* Præteritum, vt: *Locutus.* Et Futurum, vt : *Locuturus.*

Interdum autem & Futurum in D V S accedit, quando videlicet verbum ipsum passiue vsurpatur, vt : *Tuendus, Hortandus, Sequendus, &c.*

Eodem modo & quæ Neutropassiua vocant, triplicia participia faciunt, vt :

Gaudeo,

Gaudeo, Gaudens, Gauiſus & Gauiſurus.
Audeo, Audens, Auſus & Auſurus.
Fido, Fidens, Fiſus & Fiſurus autore Priſciano. *

* Lib. 11. cap. de temporibus.

A Communibus quadruplicia participia fiunt, Præſens, vt: *Criminans.* Præteritum, vt: *Criminatus.* Futurum actiuum, vt: *Criminaturus.* Et Futurum paſsiuum, vt: *Criminandus.* *Admonuimus autem ſupra, † veteribus multo plura fuiſſe communia verba, quam nobis. Hinc participia extant: [Virgil. 2. Aen.] Mentita tela. Meditata omnia. Terentius [in Phor. act. 2. ſcen. 1.] Experta virtus, & id paſſiua ſignificatione, quod verba horum olim communia fuerint.*

† Pagin. 227.

Sunt & anomala participia quædam vel potius ἀδέσποτα, quæ non habent verba certa, ex quibus formentur, vt:

Iuratus, quod actiuam ſignificationem habet, Græci aoriſti ὀμόσας.

Cœnatus quod idem, quod Græce δειπνήσας.

Exoſus & Peroſus, idem quod Græce μισήσας, *vt Ouid. [1. Metam.] Tædas exoſa iugales. Et Virgilius, Lucemq; peroſi, &c. [6. Aen.]*

Quibus agnatum & Oſurus futurum participium, apud Ciceronem de amicitia, vt: Negabat vllam vocem inimiciorem amicitiæ potuiſſe reperiri, quam eius qui dixiſſet: Ita amare oportere, vt aliquando eſſet oſurus. Sed hæc & ſimilia alia

 frequens

frequens autorum lectio suppeditabit. Nobis satis fuit, communiora tantum annotasse.

Pariunt autem ex se participia personalia verba fere omnia. Sed est tamen obseruandum quid vsus probet. *Nam Fiens & Fiendus a Fio, aut Nascendus & Naturus, a Nascor, nemo dixit. At naturam dicimus.*

Et a Sum, tametsi veteres fecerunt Ens, sicut Græci ab εἶναι ὤν, ipsi tamen idem, tanquam absurdum repudiarunt. Sic alia multa quæ Analogia quidem parit, vsus autem Latinorum, ac pure loquentium non recepit.

Ab Impersonalibus autem quæ non recipiunt personalium voces, nulla extant participia, *præter Pudendus, a Pudet. Pœnitens & Pœnitendus, a Pœnitet. Pertæsus, a Tædet. Licitus & Libens, a Licet & Libet.*

Neq; hic prætereundum est degenerare Participia in Nomina, vel compositione, vt: *Indoctus, Nam indoceri non dicitur.*

Vel amisso verbi casu, *vt cum dicimus. Fugitans litium, * Amans pecuniæ, &c.* Nam participia regunt verborum casus. At cum in nomina degenerant, Genitiuos asciscunt, vt: *Amans præceptoris discipulus.*

* Apud Terentium in Phorm. act. 4. scen. 3.

Vel etiam cum temporis significationem deponunt,

deponunt, vt: *Doctus cum absolute significat hominem gnarum & doctrina præditum. Amandus, cum significat dignum qui ametur.* * *Laudandus, cum dignum laude, siue qui laudetur.* * Valla libro 1. cap. 34.

Eaque etiam comparantur, & casus comparationis recipiunt, vt: *Nemo est me amantior præceptoris. Et Homerus doctior fuit Antimacho, &c.*

Similia participijs sunt: *Tunicatus, Personatus, Obaratus, & similia. Sed hæc Nomina sunt. Nam nec ex verbis nascuntur, & tempus non significant.*

DE ADVERBIO.

ADVERBIVM vocarunt, quod actionis aut passionis circumstantiam vna voce effert, vt:

Dicit grauiter. Venit propere. Nam dicendi qualitatem aduerbium grauiter, Veniendi autem propere, exprimit. Estque aduerbium veluti quoddam verbi adiectiuum. *Vt enim si dicas, Prudens homo, aut ferox equus, hominis & equi conditionem, siue qualitatem, adiectiua prudens & velox, demonstrant: ita & verbis addita ad-*

uerbia, circumſtantiam illorum explicant & declarant. Atque inde etiam nomen habent.

Aduerbio accidunt: Species, Significatio, Figura & Comparatio.

SPECIES.

Species Aduerbiorum duæ ſunt: Primitiua & Deriuatia.

PRIMITIVA eorum eſt, quæ non aliunde nata ſunt, vt: *Cras, Heri, Pax, idem quod tantum.* * Terentius in Heautont. act. 4. ſcen. 3. Dum argentum eripio, pax, nihil amplius.

DERIVATA ſunt, quæ aliunde cadunt, vt: *Veſperi, quod à nominis Datiuo eſt. Furtim, quod a verbo furor, Strictim, a Stringo. Homerice, ab Homero. Humanitus & Humaniter (nam quædam varie efferuntur) ab humano, &c.*

Sæpe autem & nomina genere neutro fiunt aduerbia, vt: *Recens natus, pro recenter ſeu nuper, Toruum videt, pro Torue. Indomitum furit, pro indomite. Quo modo & Græci adiectiua neutra mutant in aduerbia, quos Latini in hoc imitari videntur, vt:* ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη, *apud Homerum,* [Οδυσσ.α.] *Et:* καλὸν ἄεισε, ἡδὺ ἐγέλασε, *&c.*

SIGNIFICATIO.

Signifi-

Significationis multa capita sunt, cuius tamen *vim ita recte poterit peruidere puer, si cogitabit illam varietatem significationis ex varietate circumstantiarum in actionibus nasci.* Nam Locus, Tempus, Qualitas, Quantitas, &c. nihil sunt, nisi actionum circumstantiæ. *Et quia Donatus probe percensuit capita significationis, superuacaneum erat illa hic repetere, nisi monendi caussa eadem, quædam etiam vt amplius ac copiosius exponeremus, subijcienda putassemus.* Sunt igitur aduerbia:

Loci, *Hic, Ibi, Illic, Inde, Intro, Foras, &* similia. *Atque hic monendi pueri sunt, vt diligenter obseruent naturam localium aduerbiorum, videlicet quæ in loco, quæ ad locum, quæ de loco, vel per locum significent. Nam ea in re non raro peccatur.*

In loco significant, vt: *Hic, Illic, Istic, Ibi, Vbi, Vbicunque, Vbique, Vbiuis, Alibi, Intus, Foris, Supra* * (*droben*) *infra* (*drunden*) *vt apud Tibull. lib.* 1. *eleg.* 10.

* Præpositiones enim amisso casu, in aduerbia migrant.

Non seges est infra, non vinea culta, sed audax
Cerberus, & Stygiæ nauita puppis aquæ.

Item Præsto, cum absolute significat Coram aut Iuxta, vt ad Herennium, [lib. 4.] Hirundines æstiuo tempore præsto sunt, hyeme pulsæ recedunt.

Ad locum: *Illuc, Illuc, Istuc, Eo, Quo, Aliquo, Nequo, Siquo, Eodem, Quocunque, Intro, Foras.*

Et quæ versus locum significant, vt: *Introrsum, Retrorsum, Sursum, Deorsum*, * *Quorsum, Leuorsum, Dextrorsum, &c.* Sunt autem composita à versus, † quod ipsum quoque videtur habere aduerbij significationem. *Nam & Præpositionem aliquam permittit nomini adiungi, vt Plinius* [*lib. 6. cap. 32.*] *ad occasum versus.*

* Valla libro 2. cap. 57.

† Valla libro 2. cap. 7.

De loco: *Hinc, Illinc, Istinc, Inde, Vnde, Alicunde, Cœlitus, Funditus, Radicitus, Inferne, Superne, quod vulgus dicit desuper. Plinius,* [*lib. 33. cap. 6.*] *Argentum superne innatat, vt oleum aquis. Desuper autem ex superiore loco significat, vt Virg.* [*4. Aeneid.*]

Commixta grandine nimbum
Desuper infundam, & tonitru cœlum omne ciebo.

Per locum: *Hac, Illac, Istac, Nequa, Siqua, &c.* Sunt & quæ communiter in loco, vel ad locum, vel de loco significant. *Sic enim dicimus; Peregre absum. Peregre abeo. Et: Peregre domum redeo, &c.*

Inter localia numerant alij etiam hos casus, *Domi, Militiæ, Humi, Ruri.* Item propria nomina locorum, vt: *Romæ, Romam, Roma, &c. Nos inter nomina hæc relinquimus, de constructione eorum suo loco dicemus.*

Obseruabunt autem & illud pueri, nonnunquam

nunquam localia tempus significare. *Sic Ibi, pro Tum* * *sæpe accipitur. Vbi*, † *pro postquam, &c.*

* Ibi homo cœpit me obsecrare, Terentius in Eunuch. act. 2. scen. 2.

† Virgilius 1. Georg. Ille vbi nascentem maculis variauerit orbem.

TEMPORIS, vt: *Hodie, Heri, Nunc, Nuper, Cras, Aliquando, Iam, Tum, Mane, Sero, Semper, Paulisper, Quoad, Quamdiu, Iam, Olim, &c.*

Ex quibus rursum alia præsentis temporis sunt, vt: *Hodie, Nunc, &c.*

Alia præteriti, vt: *Modo, Pridem, Dudum, Nuper, Antea, Heri, Nudiustertius, Nudiusquartus*, * *& similia.* Eaque cum præterito fere iunguntur, *Non enim dicimus, Nuper venio, vel veniam.* Alia futuri, vt: *Cras, Perendie, In posterum. De cætero, &c.* quæ cum futuro peculiariter iunguntur.

* Valla libro 2. cap. 33. 34. 35.

Quædam etiam communia, diuersorum temporum siue indefinita, vt: *Quondam, Olim, Quando, Siquando, Aliquando, Quandoq;, Paulisper, &c.* Item: *Modo & Nunc, cum indefinite ponuntur, vt: Nunc huc, nunc illuc inclinat. Et, modo ait, modo negat, Terentius [in Eunuch. act. 4. scen. 4.] &c. Et ab inde composita quædam, vt: Subinde,* † *Deinde.*

† Valla libro 2. cap. 50.

Vsque autem & temporibus & locis accommodatur,

datur, additurq; verbis, alias de loco, alias ad locum significantibus, vt apud Terent. [*in Eunuch. act. 3. scen. 2.*] *Ex Aethiopia est vsque hæc.* Et *Cicero,* [*pro Deiotaro*] *Vsque ad Numantiam misit.* Et *pro Archia idem: Inde vsque à pueritia repetens.*

NVMERI, vt: *Semel, Bis, Ter, Quater, Quinquies, Sexies, Septies, Octies, Nouies, Decies, Vicies, Tricies, Quadragies, Quinquagies, Sexagies, Septuagies, Octogies & Octuagies (vtrunque enim reperitur) Nonagies, Centies, Millies, Toties, Quoties quæ Priscianus per NS, Totiens & Quotiens scripsisse veteres * tradit,* [*lib. 15. cap. de aduerb.*]

* Saluſt. in 1 Hiſtor. Neque detrusus aliquotiens deterretur.

Item: *Sæpe, Raro, quæ numerum indefinitum significant, Rursus, Iterum, Tertium, Quartum, &c. vt: Quartum iam Consul factus pro Quater, seu quarta vice † &c.*

† Gellius libro 10. cap. 1. Valla libro 3. cap. 59.

NEGANDI, vt: *Haud, Non, Neque, Haudquaquam, Minime, Nullatenus, Neutiquam.*

Et: *Nihil* cum aduerbialiter sumitur, vt: *apud Terentium,* [*in And. act. 1. scen. 2.*] *Nihil circuitione vsus es. pro Non.*

Quo pacto & *Nullus * apud eundem in Andria*

* Sic Cicer. li. 11. ep. penult. ad At-

[*act.*

[*act. 3. scena 2.*] *vsurpatur, vt: Liberatus sum Dane hodie tua opera. D. At nullus quidem.*

tic. Philotimus non modo nullus venit.

Item illa quæ pariter extenuant & negant, vt: *Ne sequente quidem, & Nec, vt: Ne obulum quidem habet, vnde restim emat.* [*Chiliad. 1. Centur. 3. adag.* 48.]

AFFIRMANDI, vt: *Ita, Etiam, Quidni, Certe, Profecto, Scilicet, Videlicet, Quippe, Nempe,* † *Nimirum, Plane, Maxime, &c.*

† Valla libro 2. cap. 27.

Et Næ, diphthongo scriptum, vt: Næ ego homo infelix sum. Terent. [*in Adel. act. 4. sc.* 2.]

DEMONSTRANDI, vt: *En, Ecce.*

* Valla libro 2. cap. 15.

† *Hem, quoq; apud Comicos reperias, demonstratiue vsurpatum.*

† Teren. in And. act. 2. sc. 2. Hem libero, vxorē tibi iam non dat Chremes.

OPTANDI, vt: *Utinam, Osi. Terentius* [*in Eunuch. act. 2. scen. 3.*] *Ut illum dij, deæq; perdant. Si* ἐλλειπτικῶς, *pro Osi positum, vt: Aeneid. 6. Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus Ostendat, &c.*

Huc pertinere videtur *& Sic, cum* εὐκτικῶς, *à Poetis vsurpatur, vt: Virg.* [10. *Aen.*] *Sic pater ille Deûm faciat, sic magnus Apollo.*

HORTANDI, vt: *Eia, Age, Agite, Agedum,* * *Sis, Sodes, Sultis, &c.*

* Valla lib. cap. 16.

Quibus

Quibus affinia sunt & precandi illa, *Obsecro, Amabo*, † *Quæso*, quæ inter Interiectiones etiam referuntur.

† Vide Hadria. Cardinal.

ORDINIS, vt: *Deinde, Deinceps, Protinus, Continuo*, * *Antea, Postea, Denique*, † *Præterea, Primo, Secundo, Tertio, Postremo, Vltimo, &c.*

* Valla libro 2. cap. 30.
† Valla libro 6. cap. 21.

INTERROGANDI, vt: *Cur, Quare, Quando, Quamobrem, Num, Nunquid, Nonne, Vtrum, Quid, Quidni, Quid ita.*

SIMILITVDINIS, vt: *Quasi*, * *Ceu, Sic, Sicut, Sicuti, Velut, Veluti, Tanquam, Vt, Vti, Prope, Aeque, Perinde, Prout, Acsi, Non aliter, Non secus, Non minus, Quomodo, Quemadmodum, Item, &c.*

* Valla libro 2. cap. 56.

QVALITATIS, vt: *Docte, Pulcre, Fortiter, Viriliter, Bene, Male.* †

† Valla libro 2. cap. 52. & libro 3. cap. 87.

Et à verbis venientia, quæ gestum significant, vt: *Strictim, Punctim, Cæsim, Raptim, Furtim, Tractim & similia.* [*Vall. lib. 6. cap. 20.*]

QVANTITATIS, vt: *Multum, Parum, Parumper, Modicum, Minimum, Nimium, Plurimum, Valde, Quoad, Satis, &c.*

Atque hoc loco etiam illud notandum, quod ex Qualitate & Quantitate nascuntur,

tur, quæ Priſcianus † & alij ſeparatim, intendendi & Remittendi aduerbia vocant.

† Libro 15. cap. de ſignificatione.

INTENDENDI,* vt *Valde, Prorſus, Nimium, Admodum, Omnino, Penitus, Adeo, Per, vt: Perpulcre, Peropus,* † *apud Terentium,* [*in Andr. act. 1. ſcen. 5.*] *Perquam, Sane, quam, Nimiſquam, Tam, Quam, & Vt, quando cum admiratione efferuntur, vt Terentius,* [*in Phorm. act. 1. ſcen. 1.*] *Quam inique comparatum eſt, &c. Et:* [*Eclog. 8.*] *Vt vidi, vt perij, pro quomodo vel quantum perij.*

* Hæc enim ἐπίτασιν ſignificant. Eraſ. lib. 1. de copia verb. cap. 41.

† Nunc peropus eſt hunc cum ipſa loqui, &c.

Item illa, *Pene, Prope, Propemodum, Fere, Ferme, Tantumnon, & ſimilia.* Hæc enim tametſi de re perfecta ſeu tota detrahunt aliquid, atq; imminuunt, ipſam tamen actionem aut geſtum rei intendunt atque amplificant.* *Vt, Alexander totum pene orbem domuit. Nam hic, tametſi de toto orbe detrahitur, & imminuitur aliquid, actio tamen domandi intenditur addito aduerbio.*

* Vall. lib. 2. capit. 49. Eraſ. li. 1. ca. 50. de cop. verb.

REMITTENDI *autem, vt: Senſim, Paulatim, Pedetentim, Aegre, Vix, &c.*

Quibus affinia ſunt & illa, quæ Diminutiua

tiua dicuntur, à specie videlicet, vt: *Paululum, Clanculum, Longiusculè, Meliusculè, Sæpiusculè, Bellè, & id genus alia.*

DVBITANDI, vt: *Forsan, Forsitan, Fortassis, Fortasse, Fors, Forsit,* † *quo Horatius 1. serm.* [*satyra 6.*] *vtitur. Vtrum, An, & similia.*

† Quia non vt forsit honorem iure mihi inuideat quiuis.

* Valla libro secundo, capit. 17.

PERSONALIA, quæ personæ circumstantiam describunt, vt: *Mecum, Tecum, Secum, Nobiscum, Vobiscum,* * *Hæc Priscianus* [*libro* 12.] *inter Pronomina recenset, & κατ' ἀναστροφὴν dicta putat, pro: Cum me, Cum te, &c. Sed quia separatim Cum me, Cum te, &c. nusquam legantur, maluerunt hæc alij inter aduerbia composita referre,* [*Priscianus lib.* 12. *de figura Pronom.*]

* Cicer. in Orator. Quod dicitur cum illis, cum autem nobis non dicitur, sed nobiscum, quia si ita diceretur, obscœnius concurrerent literæ, vt etiam modo, nisi autem interposuissem, concurrissent. Ex eo est mecum & tecum, non cum me & cum te, vt esset simile illis vobiscum atque nobiscum.

VOCANDI, vt: *Heus, Eho. Terentius* [*in And. act.* 3. *sce.* 3.] *Heus euocate huc Dauum.*

RESPONDENDI, vt: *Heu & Hem, apud Comicus interdum:* quanquam idem & admirationem & indignationem quoque significat.

SEPARANDI, seu distribuendi, vt: *Seorsim,*

orsim, Separatim, Priuatim, Secreto, Diuise, Singulatim, Bifariam, Multifariam, Secus, Aliter, &c.

Huc pertinent & Excludendi particulæ: Solum, Tantum, Modo, Saltem, Duntaxat, * Tantummodo, Pax, &c.

* Valla libro 2. cap. 41.

IVRANDI, vt: Pol, Edepol, Ecastor, Hercule, † Mediusfidius. Quibus Priscianus [lib. 15 de significatione] annumerat, & Per, vt: [Virgilius 10 Aeneid.] Per te, per qui te talem genuere parentes.

† Gellius lib. 11. cap. 6.

Et Sic, cum asseuerandi gratia vsurpatur vt: [9 Eclog.]

Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos, &c.

ELIGENDI, vt: Potius, Imo, Magis.

CONGREGANDI, vt: Simul, Vna, Pariter, * Collectim, Summatim, &c.

* Valla libro 2. cap. 32.

PROHIBENDI, vt, Ne, Nequaquam.

CONCEDENDI, vt, Esto, Fac, Sit, Sane, † &c. Quanquam fortasis simplicius fuerit, hæc inter verba referre, quemadmodum, & superiora illa, Quæso, Obsecro, Amabo, &c.

† Valla libro 2. cap. 17.

EVENTVS, vt, Forte, Fortuito, Forte fortuna, Casu, &c. quæ Nominum Ablatiui proprie sunt.

COM-

COMPARANDI, vt: *Minus, Magis, Optime, Pessime, Minime, Plurimum* & similia, quæ collationem actionum significant, siue comparatiui casum, siue superlatiui habeant.

Neque vero mouere pueros debet, si eandem vocem alijs atq; alijs capitibus repeti videant. Nam pro varia significandi potestate varias appellationes quoque sortiuntur hæ particulæ, vt: *Tantum, alias intendendi particula est, vt cum dico: tantumne vesanus iste potuit? Alias Excludendi, vt si dicas, Si hoc non licet, illud tantum oro. Sic vt similitudinis alias est, alias optandi, alias etiam intendendi quemadmodum rursus eadem nunc aduerbium, nunc coniunctio, vt cum ordinatiua est, aut caussalis.*

FIGVRA.

Figuræ Aduerbiorum tres sunt.
Simplex, vt: *Prudenter.*
Composita, vt: *Interdiu.*
Decomposita, vt: *Imprudenter.*

COMPARATIO.

Aduerbia orta à nominibus adiectiuis imitantur nominum comparationem, casusq; comparatiui & superlatiui recipiunt, vt: *Fortiter. Fortius Fortissime*

Celeri-

Celeriter *Celerius* *Celerrime*
Parum *Minus* *Minime*
Magis *Maxime*
Ocyus Ocyssime, absq; positiuo.

Sic & quædam alia non nata à Nominibus, vt:

Sæpe *Sæpius* *Sæpissime*
Secus *Secius* *absq; superlatiuo.*
Nuper *Nuperrime, absq; comparatiuo.*

A Tempori quoq; cum aduerbialiter ponitur, Temporius dixerunt veteres. Ouid. 4. Metamorph.

Modo surgis Eoo
Temporius cœlo, modo serius incidis vndis, &c.

Porro scripserunt veteres Grammatici, etiam in Præpositiones degenerare Aduerbia, quando videlicet casus recipiunt. Negant enim vi sua asciscere nominum casus aduerbia, vt: *Pridie* * *quod priorem diem significat, alias Genitiuum, alias Accusatiuum asciscit. Cicero ad Lentul. [lib. 1. epi. 4.] Pridie eius diei fregeramus. Et ad Appium: [lib. 3. ep. 4.] Pridie Nonas Iunij. Item ad Atticum, [lib. 2. ep. 3.] Pridie Compitalia, &c. Sic & Postridie, quod postero die significat, eodemq; modo construitur. Et versus, de quo supra quoque* * *meminimus, quod Accusatiuo iungitur, vt apud Cæsarem, [libro 2. de bell. ciuil.] Versus Massiliam,* † *& per*

* Valla lib. 2. capit. 10. & 33.

* Pag. 332.

am, † & per Anastrophen, Massiliam versus, &c. Sed nos hanc rem disceptandam alijs relinquemus.

† Ad reliquas naues cursum Massiliam versus perficit.

DE PRAEPOSITIONE.

PRAEPOSITIO est propemodum articulus, verbo nomen adiungens, quod aliquam facti circumstantiam significat, vt: *Non datur ad Musas currere lata via. Nam hic Accusatiuus Musas, quo loci circumstantia, ad quem cursus fit, significatur, non poterat addi verbo Currere, nisi Præpositio Ad, tanquam articulus illum adiungeret.*

Accidit Præpositioni constructio, *eaque fere ex Donato cognosci potest.* Sed est mira varietas significationis etiam in ijsdem casibus, quam nos regulis complecti non possumus: vsu legendi & scribendi discenda est. *Vt aliud significat Secundum, cum dico: Secundum aurem vulnus accepit. Aliud apud Suetonium in Augusto: Ipsum esse, cuius imago secundum quietem sibi obuersata sit. Aliud in Claudio: Absentibus secundum præsentes facillime dabat. Eam varietatem vsus docebit.*

Porro aliæ Præpositionum verbis Accusatiuos adiungunt, aliæ Ablatiuos.

ACCV-

ACCVSATIVOS XXVII.

Ad, vt: *Ad Calendas Græcas.*

Apud, vt: *Et bene apud memores veteris stat gratia facti.* Virgilius, [4. Aeneid.]

Ante, vt: *Diciq; beatus Ante obitum nemo supremaq; funera debet.* Ouid. [13. Metamorph.]

Adversus, vt: *Ne Hercules quidem aduersus duos.*

Cis, vt: *Viteberga nobis cis Albim sita est.*

Citra,

Vltra, vt:

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.
Horat [lib. 1. serm. sat. 1.]

Infra, vt:

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quisque manere suam.
Ouidius, [3. Trist. eleg. 4.]

Extra, vt: *Extra omnem ingenij aleam positus Cicero.* [Plin. in præfat. lib. 1.]

Circum, * quod locale est, vt: *Circum montem.*

*Inde est circum circa. Cic. lib. 4. ep. 5. Cœpi regiones circummcirca prospicere.

Circa, vt: *Circa forum. Circa viginti annos.*

Circiter, quod tempus & numerum significat, vt: *Circiter horam decimam.*

CONTRA, vt: *Nam quæ inscitia est, contra stimulum calces?* [*Terentius in Phorm. act.* 1. *scen.* 2.]

ERGA, vt: *Princeps erga populum clemens.*

INTER, vt:

Multa cadunt inter calicem supremaq; labra. †

† Gellius lib. 13. cap. 16.

INFRA, vt: *Quem ego infra omnes homines esse puto.* [*Terent. in Eunuch. act.* 5. *scen.* 2.]

SVPRA (*droben*) *vt: Dux hostium cum exercitu supra caput est.*

IVXTA, vt: *Cum interea lucubrando faceret iuxta ancillas lanam.* *Liuius.*

OB, vt: *Fœda mors ob oculos erat.*

PER, vt: *Impiger extremos currit mercator ad Indos, Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes. Horat.* [*lib.* 1. *epist. ep.* 1.]

PROPE, quod etiam comparatur. *Liuius,* [*lib.* 2. *ab. V. C. dec.* 3.] *Castra propius hostem mouit.*

Cicero, [*Philip.* 10.] *Operam det, vt cum suis copijs quàm proxime Italiam sit.*

PRAETER, * vt: *Ita fugias, ne præter casam. Terentius,* [*in Phorm. act.* 5. *scen.* 2.]

* Inde præter propter apud Ennium. Incerte errat animus, præter propter vitam viuitur. Gellius lib. 19. cap. 10.

PROPTER, vt: *Aliquid mali, propter vicinum malum. Plaut.* [*in Mercat.*]

POST,

POST, vt: *O ciues ciues quærenda pecunia primum, Virtus post nummos.* Horatius, [*lib. 1. ep. 1.*]

PENES, vt: *Me penes est vnum, vasti custodia mundi, Ouid.* [*1. Fast.*]

SECVNDVM, vt: *Secundum deos, homines hominibus maxime vtiles esse possunt.* [*Cic. 2. Off.*]

TRANS, vt: *Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt. Horatius* [*lib. 1. epist. 11.*]

ABLATIVOS XIIII.

A, vt: *A Ioue principium Musæ* [*Virgilius, 3. Eclog.*]

AB, vt: *Ab alio expectes, alteri quod feceris.* [*Publius in Mimis.*] Hac vtuntur ferè vocali sequente.

ABS, vt: [*Terent. in Adelph. act. 2. scen. 3.*] *Abs quiuis homine, cum est opus beneficium accipere gaudeas:* Hac sequente Q vel T vtuntur, [*Valla lib. 2. cap. 29.*]

ABSQVE, *Terent.* [*in Phorm. act. 1. scen. 4.*] *Nam si absque eo esset, recte ego mihi vidissem.*

CVM, vt: *Damnum appellandum est, cum mala fama lucrum.* [*Publ. in Mimis.*]

CLAM, vt: *Clam patre, Plautus* * *etiam clam patrem dixit,* [*in Merca.*]

*Ratus clam patrem meum posse habere.

CORAM, vt: *Coram senatu res acta.*

DE, Horat. [*lib. 1. epist. 19.*] *Alter rixatur de lana sæpe caprina.*

E, vt: *Qui falsum testimonium dixisse conuictus erat, è saxo Tarpeio deijciebatur. Gell.* [*lib. 20. capit. 1.*]

EX, vt: *Ex malis moribus, bonæ leges natæ sunt.*

PRO, vt: *Comes facundus in via pro vehiculo est.* [*Publius in Mim.*] *Et: Pro foribus. Pro curia,* [*Salust. coniur. Catilin.*]

PRAE, vt: *Huic aliquid præ manu dederis, vnde vtatur.* [*Terent. in Adelph. sc. vlt.*]

SINE, vt: *Nulla dies sine linea.*

TENVS, vt: *Iulius Cæsar tertium & quartum consulatum titulo tenus gessit.* [*Suet. in Cæsar.*] *Græcum est. Crurum tenus,* [*3. Georg.*] *Nam & in ea significatione Latini ablatiuo vtuntur, vt:*

Capuloq; tenus ferrum impulit ira. Silius, [*lib. 9*] *Et, Prima hominis facies, & pulcro pectore virgo, Pube tenus, Aen. 3.*

Quatuor Præpositiones sunt, quæ pariter accusatiuum & ablatiuum recipiunt, sed fere diuersa significatione.

In, Accusatiuum recipit, cum motum ad rem significat, vt: *In vicium ducit culpæ fuga, si caret arte. Horat.* [*in arte Poët.*] *In rem vtrique est maxime, Terent.* [*in And. act. 3. scen. 1.*]

Item, cum significat Contra, vt:

Cicero

Cicero in Antonium inuectus est.

At cum in reversari significat Ablatiuum asscisсit, vt:

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est experienda fides. Ouidius, [1 *Trist. eleg.* 4.]

Veteres tamen etiam in hac significatione accusatiuo vsi sunt, Græca consuetudine, vt: * Terentius, [*in Eunuch. act. 2. scen. 2.*] *Vbi videt me esse in tantum honorem, &c.*

*Gellius libro 1. capit. 7. Linacer lib. 6.

SVB, cum tempus, aut motum ad rem significat, accusatiuum requirit. Tempus, vt: *Virgil.* [3. *Georg.*] *Sub lucem exportant calathis, id est, circiter lucem. Et Cicero ad Plancum,* [*lib.* 10. *ep.* 16.] *Sub eas statim tuæ recitatæ sunt, hoc est, post eas.* Locum, vt: [4. *Aeneid.*] *Audiam, & hæc manes veniet mihi fama sub imos. Et Cicer. in Bruto. Ea quæ sub oculos ipsa non cadunt, id est, ante oculos.*

Ablatiuo autem iungitur, cum versari in loco significat, vt:

Sub dio [*Cic. in Verr.* 3.] *Et Virgil.* [3. *Aeneid.*] *Vasto vidisse sub antro.*

SVPER (*drauff*) item ad locum significans, accusatiuum requirit. *Suetonius* [*in August. cap.* 43.] *Superq; se subsellio secundo collocauit.*

At cum ſitum in loco ſignificat, tam Accuſatiuo quam Ablatiuo conſtruitur. *Virg.* [*Eclog.* 1. *Fronde ſuper viridi.*] *Et* [6. *Aeneid.*] *Quam ſuper haud vllæ poterant impune volantes Tendere iter pennis, &c.* *Liuius*: *Quatriduum ſuper rupem abſumtum.*

Significat eadem hæc & Præter. *Suetonius in Claudio*: *Super cætera flagitia, &c.*

Et De, vt: [*Virgil.* 1. *Aeneid.*] *Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.*

Et Inter, vt: *Super cœnam, pro inter cœnandum.* [*Sueton. in Iulio cap.* 87.]

Eadem eſt & particulæ SVBTER conſtructio, vt *apud Liuium* * *Eſt ſubter terram. Et apud Virgilium,* [9. *Aen.*

* Lib. 9. Decad. 4. Vbi circa muros ſupra ſubterque terram per dies quindecim pugnatum.

Ferre libet ſubter denſa teſtudine caſus.

Cum amittunt Præpoſitiones caſus fiunt aduerbia, *vt apud Saluſtium*: [*con. Catil.*] *Sed multi mortales dediti ventri atq; ſomno, indocti, incultiq; vitam ſicut peregrinantes tranſegere, quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit, eorum ego vitam mortemq; iuxta æſtimo. Nam ibi iuxta amiſſo caſu ſimiliter ſignificat.* *Sic &*: *Multis poſt ſeculis.* *Et apud Virg.* [6. *Aeneid.*] *Longo poſt tempore viſum, pro poſtea, &c.*

Palam

Palam & Pone, in Aduerbijs numeramus, quod fere sine casu ponantur.

Sic Vsque & Versus.

Secus non vsurpant docti, nisi pro aliter, aduerbij significatione. Cicero pro Planco: Cuius ego salutem non secus ac meam tueri debeo.

DE CONIVNCTIONE.

CONIVNCTIO est, quæ superioribus sententijs aut partibus, subinde alias annectit, vt:

[*Ouidius lib.* I. *amor. eleg.* 6.]

Nox & amor, vinumq; nihil moderabile suadent.

Nam huic sententiæ, Nox nihil moderabile suadet, Coniunctio annectit, amorem & vinum. Multum hæc pars orationis conducit ad recte connectendam orationem, *quare natura particularum huius generis diligenter excutienda est.*

ACCIDENTIA.

Accidunt Coniunctioni tria: Figura, Potestas & Ordo.

FIGVRA.

Figuræ duæ sunt:

Simplex, vt: *Nam.* Composita, vt: *Namq;*

POTESTAS.

Potestas significatio est. Huius species septem sunt: Copulatiua, Disiunctiua, Aduersatiua, Caussalis, Ratiocinatiua, Ordinatiua, & Completiua.

COPVLATIVAE Coniunctiones sunt: *Et, Que, Quoq;, Ac, Atque, Etiam, Simul, Cum, Tum.* Copulant enim tam sensum quàm verba, vt: *Cum ego, tum alij aderant.* Sed ex his *Ac & Atque* † collationem aliquando significant, *idem quod Quam,* vt: *Terentius [in Phorm. act. 4. scen. 4.] Aliud mihi respondes, ac rogo, pro, quàm rogo.*

† Vide Hadria. Cardinalem, & Gell. lib. 10. cap. 29.

DISIVNCTIVAE, quæ verba quidem coniungunt, sensum autem disiungunt, vt: *Ve, Vel, Aut, Siue, Seu.* Et quæ vtramq; rem tollunt: *Nec, Neque,* vt: *Nec mihi, nec tibi.*

His agnatæ sunt, quas Dubitatiuas * vocant: *An, Ne, Anne, & Necne, quæ eædem etiam interrogationibus seruiunt, vt: Virgil. [3. Aeneid.] Eloquar an sileam? Et: [1. Aeneid.] Tantane vos tenuit generis fiducia vestri?*

* Linac. suspensiuas appellat.

Et quæ

Et quæ collationem rerum significant, *quas Priscianus* Electiuas *vocat, vt: Quam, vt: Diues esse malim quam pauper.*

Sed ex Disiunctiuis *Vel pro Etiam interdum sumitur*, & vim intendendi habet, vt: [*Terent. in Eunuch. act. 3. scen. 1.*] *Vel rex semper maximas agebat gratias. Et Terentius*, [*in Phorm. act. 5. scen. 8.*] *Vel oculum excludito, est vbi vos viderit locus. In qua significatione eadem à Prisciano*, [*lib. 16.*] Subiunctiua *appellatur. Interdum* paradigmatica est, vt: [*Terent. in Hec. act. 1. scen. 1.*] *Vel hic Pamphilus quoties iurabat Bacchidi, &c. pr. veiat.*

ADVERSATIVAE: *At, Sed, Ast, Verum, Vero, Porro, Atqui, Tamen, Quanquam, Quamuis, Etsi, Licet, Licebit, Saltem*, quod postremum etiam minuendi vim habet, & inter exclusiuas particulas refertur, vt [*Aeneid. 4.*]

Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles, &c.

In qua significatione etiam At crebro ponitur, vt:

Si te nulla mouet tantæ pietatis imago,
At ramum hunc, &c. Agnoscas. [*6. Aen.*]

Dicuntur autem Aduersatiuæ, quod diuersam sententiam superiori subijciunt, *vt apud Ouidium*, [*lib. 1. de pont. eleg. 10.*]

Si modo non census nec clarum nomen auorum,

Sed

Sed probitas magnos, ingeniumq; facit.

Prior sententia est, Nobilitatem non in censu, aut maiorum imaginibus esse positam, huic aduersa subijcitur, per particulam Sed, vt : Sed in probitate & virtute sitam.

Ad hunc ordinem pertinet & *Immo* corrigendi particula, *vt apud Terent. Heaut.* [*act.* 1. *scen.* 1.] *Quid dixi habere me? Immo habui.* Item, *Ne & Nedum, quæ & ipsæ, sed cum extenuatione, diuersam partem subiungunt, vt apud Salust.* [*in Catil.*] *Secundæ res sapientum animos fatigant, ne illi corruptis moribus victoriæ temperarent, pro, tantum abest, vt illi corruptis moribus victoriæ temperent, &c.*

CAVSALES, * *Nam, Namq;, Enim, Etenim, Quia, Quoniam, Quando, Quandoquidem, Si, Siquidem, Ni, Nisi, Enimuero, quæ particula nonnunquam affirmatiua est, vt : Teren.* [*in And. act.* 1. *scen.* 3.] *Enimuero Daue, nihil loci est segnitiæ, &c.* Et concedendi, prohibendiq; particulæ, vt : *Qui, Ne, Neue, & Neu, vt : Neu segnes iaceant terræ, &c. Virgilius.* [2. *Georg.*]

* Quæ rationem reddunt superioris propositionis.

Harum aliæ Continuatiuæ à Grammaticis vocantur, videlicet, quæ ordinem & consequentiam rerum significant, vt *Quia, Quoniam, Quando, Quandoquidem, Si, cum idem quod εἰ Græce significat, vt : Quoniam febri labo-*

rauit

rauit pallidus est. Si stertit, dormit, &c. Consequuntur enim hæc mutuo sese, estq; alterum alterius caussa plerunque.

Aliæ Adiunctiuæ, quod verbis subiunctiuis adiectæ, qualemcunque caussam superiori verbo subijciant, vt: *Cum, Dum, Vt, Ne, Quatenus, ἵνα Græce, vel ὅτι, Si, quando idem, quod Græcis ἐὰν significat, vt: Si veneris faciam. Iubeo vt venias. Quæso ne dixeris, & cætera.*

RATIOCINATIVAE: *Ergo, Ideo, Igitur, Iccirco, Quapropter, Proinde, Quamobrem, &c.*

Hæc enim conclusionem rationi præpositæ accommodant, vt: *Nihil est homini vtilius scientia literarum. Sunt igitur magno studio discendæ literæ.*

His annumerant, Donatus, Diomedes, * & alij, etiam paradigmaticas particulas, vt sunt: *Scilicet, Videlicet, Puta, Nempe, Nimirum & similes*: Quæ tamen & confirmandi vim quandam habent, & plerunque exprobrandi † quoque aut eleuandi gratia adhibentur, vt: *Scilicet hic superis labor est,* [*Virgil. 4. Aeneid.*] *&c. Et apud Terentium,* [*in Andria act. 1. scen. 2.*] *Id populus curat scilicet.*

* Lib. 1. de Coniunctione, de quib. Valla lib. 2. cap. 27.

† Habent significationem amaritudinis & irrisionis, vt Valla docet lib. 2. cap. 60.

Nempe autem & Quippe, etiam Caussales sunt,

sunt, vt: *Quippe vetor fatis.* [*Virgilius 4. Aeneid.*] *&c.*

ORDINIS: *Insuper, Postea, Postquam, Denique, Deinde, Deinceps, &c. quorum nonnulla etiam supra intra aduerbia recensuimus. Quod eò fit, quod sunt, quæ aliter atq; aliter vsurpantur.* Nam coniunctiones sunt, cum verba vel sententias coniungunt: Aduerbia, cum in eadem sententia verbo adijciuntur.

COMPLETIVAS vocarunt Grammatici, quæ nulla significationis necessitate, sed ornatus gratia inseruntur orationi, vt: [*Virgil. 4. Georg.*]

Nam quis te iuuenum confidentissime nostras
Iussit adire domos? Et apud Terent. in Andria [*act. 5. scen. 2.*] *Mihine? Tibi ergo. Nam hic ergo & nam, ponuntur, sicut Græcis δὴ solet. Sic & Horatij illud, 1. serm. sat. 10. accipiunt: O seri studiorum, qui ne putatis, Difficile & mirum, &c. Vacat enim hic Ne, inquit Acron.*

Eodem autem modo & *Quidem*, vsurpari vulgo volunt, *perinde vt Græcis μὲν, sed mihi interesse aliquid videtur inter Græcas illas, μὲν, δὴ, & particulam Quidem.* Habet enim hæc plane approbandi significationem, vt: *Didicit literas & strenue quidem. Cicero de amic. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, præclare illi quidem, sed hæc ipsa virtus amicitiam & gignit & continet.* Quam vim & aliæ quædam

dam habent, vt: *Equidem, Sane, & Si, quando indicatiuo coniungitur, vt Virgilius, [5. Aeneid.] Si concessa peto, si dant ea numina Parcæ. Et: Virgilius, [2. Aen.] Dij, si qua est pietas, &c.*

ORDO.

Quædam Coniunctiones præpositiuæ sunt, hoc est, quæ in oratione præponuntur tantum, vt: *Nam, Quare, At, Ac, Ast, Nec, Si, Quin, Nisi, Sin, Seu, Siue. Non enim recte dixeris: Est nam bonus vir, sed: Nam est bonus vir.*

Quædam Postpositiuæ, vt: *Enim, Autem, Quoque, Vero. Nam recte dicitur: Est enim vir bonus. Non autem: Enim est vir bonus.*

In his sunt, quæ ἐγκλιτικά dicuntur, *id est, quæ tonum suum reijciunt in finem dictionis, cui adhærent, ἀπὸ τοῦ ἐγκλίνειν, hoc est, quod proximam syllabam præcedentem supra se inclinent.* Sunt autem tres: *Que, Ne, Ve, vt apud Horatium, [de arte Poëtica.]*

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilæ, discive, trochive quiescit.

Quædam indifferenter præponuntur & postponuntur, vt: *Ergo, Igitur, Itaque, Quoniam, Tamen, &c.* Adhibebunt igitur pueri in loquendo hanc curam, ne quid in collocandis Coniunctionibus peccent, & *bonorum autorum exempla hac in re studeant imitari.*

DE

DE INTERIECTIONE.

INTERIECTIO propemodum non est dictio, sed tantum sonus inconditus, animi affectum significans.

Interiectioni vnum accidit, Significatio.

SIGNIFICANT AVTEM:

Aliæ admirationem, vt : *Papæ.*

Aliæ comminationem, vt : *Uæ.*

Aliæ dolorem, vt : *Hei, Heu, Ah, O, vt: Virg.* [10. *Aeneid.*]

O dolor atq; decus magnum rediture parenti.

Aliæ metum, vt : *Atat.*

Aliæ indignationem, vt : *Hem, O, Proh, vt: Proh Iupiter,* [*Terent. in Adel. act.* 3. *scen.* 3.]

Aliæ gaudium, vt : *Euax.*

Aliæ irrisionem, vt : *Hui, Uah, quod posterius & detestationem significat, vt:* [*in Andria act.* 4. *scen.*2 .] *Uah, perij, hoc malum integrascit. Et : Hem,* * *aliquando, vt : Hem astutus.*[*And. act.* 3. *sce.* 4. *Hem astutias.*] *&c.*

* Valla libro 2. cap. 15.

Euge autem, quod approbantis est, *Et Apage*, quod detestantis, *à Græcis sumta sunt. Estq; εὖγε apud illos aduerbium, ἄπαγε verbum imperatiuum.* Est & silentij quædam significatio,

catio, quæ duabus literis S T absq; vocali elatis, indicari solet, *vt apud Teren.* [*in Phor. act. 5. scen. 1*] *Estne hic Stilpho? St.*

Et risum, *Ha Ha He,* significat.

Vt, contra eiulationem, & planctum, *Ohe, Ohe. Sed suppeditabit plures etiam species autorum lectio, quas, cum in infinitum pateant, nihil attinet hic recensere.* Est autem parce in loquendo vtendum hoc vocum genere.

Atque hactenus de Etymologia, hoc est, de singularum partium discrimine ac proprietate. Superest quarta Grammaticæ pars Syntaxis, de qua proximo loco agemus.

PHILIPPVS MELANCHTHON IVSTO IONAE, FILIO VIRI CLARISſimi Iuſti Ionæ, Doctoris,

S. D.

MAgna ſimilitudo eſt legum atque artium, ac ſi vere iudicare volumus, leges ſunt haud dubie ars quædam regendorum morum & conſiliorum vitæ. Quis autem non videt, quam impatienter ferant legum vincula homines non ſatis inſtituti & aſſuefacti? quam indignentur ac fremant velut carcere, legũ minis incluſas cupiditates coerceri, Sicut & apud Platonem Gorgias, etſi nõ recte iudicat, inquit, Legem cum natura pugnare. Hæc contumacia in iuuentute magis conſpici poteſt & in barbaris gentibus, quo quæq; eſt ferocior, eo minus habet legum & diſciplinæ, & plus ſibi ſumit licentię. Sicut autem affecti ſunt animi agreſtiores erga leges, ita videmus plerunq; adoleſcentes, & alios rigidioribus naturis præditos, erga artes affectos eſſe. Etiam cum diſcunt literas, linguas, hiſtorias, religiones, leges, remedia, tamen à præceptis artium ipſarum

abhorrent, hæc vincula ſibi inijci non patiuntur, ſed quadam barbarica libertate vagantur in doctrinarum campis, & decerpunt paſsim quantum delectat, artes ipſas neque ordine, neque integre diſcunt. Nec vero vllo in genere perfecta doctrina comparari poteſt hac confuſanea diſcendi ratione. Atque hic maxime reprehendendi ſunt quidam, qui pueris ipſis odium præceptionum inſtillant, qui ſicut milites illiterati Gallice inter Gallos diſcunt: ita ſperant pueros fore Grammaticos, ſine arte vtcunque colloquentes cum autoribus. Vt autem vulgus gaudet legum habenas laxari, ita pueris hæc σεισάχθεια duplici nomine grata eſt. Nam & onere diſcendi argutias, odioſas illi ætati leuantur, & ſibi libertatem concedi putant, ne ad præſcriptum loquantur. Sed hæc indulgentia etiamſi eſt popularis, tamen eſt admodum pernicioſa. Poſtquam enim deſijt vernaculus vſus linguæ Latinæ, nemo certam loquendi rationem ſine regulis conſequi poteſt. Itaque qui præceptiones non didicerunt, paulopoſt vel erroris ſui, vel ignauię pœnas dant. Poſtquam enim adoleuerunt, conſcij ſibi inſcitiæ ſuæ, nec loqui, nec ſcribere Latine audent, quare alij deſperatione quadam in totum abijciunt literas, alij etiamſi commoran-

morantur in ſtudijs, tamen iuſtos fructus ex eis percipere non poſſunt, quorum vtrunque multis modis nocet Reipublicæ. Sedent enim ad gubernacula iudicaturi de religionibus, de iure ac iuſticia, de artibus, ſine vlla perfecta doctrina. Nec intelligere quidem proprie ea, quæ à doctis citantur, poſſunt. Vt igitur popularitas & mollities in ſoluendis legibus præcipua eſt imperiorum peſtis: ita religione præceptionum animos liberare, nequaquam eſt vtile publicis ſtudijs. Et hanc puerilem conſuetudinem animaduerto in poſterum nocere. Poſtquam ſemel induerunt contemtum præceptionum in Grammaticis, afferunt deinde ſimilem negligentiam ad cæteras maiores artes, quarum cum leges aſpernentur, non ſolidam doctrinam, ſed quandam doctrinæ vmbram ex illis auferunt. Non enim earum initia, & ſeriem ordine cognoſcunt, ſed fortuito quædam inde ſumunt, quæ ad oſtentationem aut mediocrem vſum conducere videntur. Et quia cognatio eſt, legum atq; artium, elabitur animis aſſuefactis ad contemnendas præceptiones, reuerentia legum, quæ priuatos & publicos mores gubernant. Ita negligentia in re, vt initio videtur, leui, parit ingens malum. Nam in inſtituendis ad virtutem homini-

bus præcipua hac diligentia opus eſt, vt animis inſeratur reuerentia erga leges, vt veras & neceſſarias vitæ eſſe ducant, nec priuato arbitrio, ſed ad illarum præſcriptum, mores regendos eſſe ſentiant, ſicut Cyrus puer venuſtiſsime admonebatur, iuſta eſſe ducenda, non quæ ipſi æqua videantur, ſed quæ legibus conſtituta ſunt. Cum enim puer grandiuſculus indutus breui tunica, alteri minori veſtem longiorem ademiſſet, data illi breuiori tunica, quæ quadrabat ad modum corporis illius, & res ad Cyrum iudicem deferretur, pronunciat Cyrus, vt quiſq; veſtem ſuo corpori aptam teneat. Id enim puerili quadam opinione commodum & æquum eſſe arbitrabatur. Sed poſtea pædagogus retractata ſententia, dat plagas Cyro & monet iuſta eſſe, † non quæ ipſi videantur commoda, ſed quæ legibus ſancita ſunt: præcipua autem lex eſt, vt ſuum quiſq; teneat ne in aliorum fortunas quiſquam impetum faciat. Ita ſignificauit ille Cyri Magiſter, aſſuefaciendos eſſe animos, vt noſtris opinionibus & cupiditatibus, longe anteferamus legum autoritatem. Quare ἄδικον quiddam fuerit, teneram

Xenophon κύρου παιδείας α.

† τὸ μὲν νόμιμον, δίκαιον, τὸ δὲ ἄνομον βίαιον.

ram ætatem flectere ad amandas præceptiones, vt exiſtimet virtutem eſſe frenare ingenium, & ad præſcriptum cum loqui, tum agere omnia. Illud enim conſtat, præceptionum contemtu in ferocioribus ingenijs, valde confirmari Cyclopicam audaciam. Et adoleſcentes ipſos admoneo, vt ſi quem viderint æqualium inimicum artibus ac præceptis, hanc vt exiſtiment notam eſſe naturæ immoderatam libertatem concupiſcentis, & legum repagula effracturæ. Nullum autem monſtrum perinde tetrum cogitari poteſt, vt talis natura impatiens legum & diſciplinæ, ſeditioſa ac tyrannica. Hæc in genere præfari volui de præceptionibus amandis, quæ eſſe veriſsima, omnes prudentes viri teſtabuntur, & animaduerti facile poſſunt, ſi quis ingeniorum naturas conſiderauerit. Eſt autem quædam ad mores & ad multas res neceſſaria diligentia, diuerſitatem ingeniorum obſeruare. Etſi igitur in artibus diſcendis non ſatis eſt, præcepta audire, ſed adiungi oportet exempla, imitationem & exercitationem, tamen hoc perſuaſiſsimum ſit omnibus, vim magnam atque vtilitatem eſſe præceptionum. Porro vt hoc loco tantum de hac parte Grammatices dicam, ingens vtilitas eſt tenere certam loquendi rationem,

& de natura ſermonis recte iudicare poſſe. Errant autem tota via & toto cœlo, ſi qui putant, hæc ſine præceptis quenquam conſequi poſſe. Idq; fateri res ipſa tandem cogit eos, qui omiſsis præceptis, ex ſola autorum lectione, iungere verba didicerunt. Deinde etiamſi ad quotidianum colloquium ſatis formularum ſuppeditat lectio, quid facient, ſi longior cauſſa explicanda erit, quomodo compoſitionem illam periodorum & totam ſeriem membrorum in oratione intelligent, niſi omnem rationem Syntaxeos probe cognouerint? Poſtremo, obſcuras ac vicioſas Syntaxes quomodo iudicabunt, niſi adhibitis regulis? Nam ſi tantum exempla quærent, quoties occurrent vitioſa, quorum pleraq; à recte dictis non poſſunt ſine regula diſcerni? Porro etiam doctos homines interdum obſcuritas, aut nouitas in Syntaxi fallit. Nam vt ex ſacris literis exempla petamus, extat in priore epiſtola ad Timoth. [*cap.* 2.] gnome Pauli: Saluatur mulier per filiorum generationem, ſi manſerint in fide, dilectione, caſtitate & temperantia. Hic multos fefellit numeri mutatio, ſi manſerint, ideoq; diſputant, quid velit Paulus, an mater alioqui pia, ſi filij abiecerint fidem, peritura ſit ipſa quoque. His intempeſtiuis quæſtionibus

bus nihil opus esse sagax Grammaticus facile intelliget, vt enim dicimus: Turba ruunt, ita hic de sexu loquitur, si manserint, scilicet, sexus muliebris. Explicata Syntaxi postea cernes in hac gnome, non absurdas aut hyperbolicas sententias contineri, sed doctrinam de rebus maximis vtilissimam, minimeq; absurdam. Quæ enim concio proponi grauior & eruditior potest, quam hæc? Vt in saluandis existere fidem, & fidei fructus, officia suæ cuiusque vocationis oportet: ita hic Paulus complectitur summam doctrinæ de salute coniugum hoc dicto, requirit fidem & vocationis opera, scilicet, officia coniugalia & castitatem. Iam quæ consolatio dulcior pijs in coniugio esse potest, quam quod audiunt hic officia coniugalia non improbari, aut inter vicia recenseri, sed præstantissimis virtutibus annumerari, quas Deus approbat, & quæ existunt in saluandis? Hæc sententia, pios præclare munit contra superstitionem. Hæc vtilis doctrina tota iacet obruta densissima caligine, si quis ignoret Grammaticam rationem Syntaxeos. Itaque hic prodigiosas ineptias Thomas comminiscitur. Exigua laus esse ducitur, non falli in Grammatica, sed tamen vtilitas est amplissima.

ſima. Accidit enim hic quoque vt fit, quemadmodum dicitur, ἡ ἀρχὴ ἥμισυ παντός. Animaduerſa enim Grammatica ſententia: poſtea mediocriter doctus videre poteſt, ad quos locos dictum accommodari debeat. Hic ſi errata Syntaxeos in ſacris libris velim recitare, nimis prolixus catalogus futurus eſſet. Annotaui autem vnum atque alterum. Primum vt videant adoleſcentes, quam neceſſaria ſint ad veras ſententias patefaciendas præcepta de Syntaxi: Deinde vt his admoniti exemplis, ſint in loquendo & iudicando diligentiores. In Euangelio Ioan. cap. 8. legitur: τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Hic fefellit & interpretem & Auguſtinum figura constructionis. Nam τὴν ἀρχὴν ponitur aduerbialiter, pro particula prorſus ſeu primum. Cum enim illi interrogaſſent Chriſtum, quis eſſet, reſpondit, prorſus is ſum, quem me eſſe dico, quem me eſſe profiteor. Hæc interpretatio perſpicua eſt. At alij male intellecta particula τὴν ἀρχὴν legerunt: Principium quod & loquor vobis. ac diſputant, quare Chriſtus ſe nominet principium. Hæc etiamſi non ſunt abſurda, tamen hoc quidem loco intempeſtiua ſunt, & offundunt caliginem reliquo ſermoni. In Pſalmo legitur: Confirma hoc

Deus,

Deus, quod operatus es in nobis, à templo tuo, &c, Quantum accedet lucis & gratiæ, ſi recte reddatur figura constructionis: Confirma hoc Deus, quod operatus es, propter templum tuum. Orat enim, vt Deus gubernet, adiuuet & confirmet pios, vt propagare doctrinam poſſint, idque orat fieri propter Templum ipſius, id eſt, vt Euangelium vbique illuceſcat, vt gloria Dei ornetur, & vera Eccleſia creſcat. Quam dulcis verſiculus eſt in alio Pſalmo: In conueniendo populus in vnum, & reges vt ſeruiant Domino. Hic Grammatici de constructione rixantur, cum ſit forma orationis contra Latinam conſuetudinem ex Græco expreſſa. Cum conueniunt populi ſimul & reges, vt ſeruiant Domino. Multa enim complectitur: Pingit Eccleſiæ concordiam, teſtatur etiam ad reges Euangelium pertinere, & hanc curam regum eſſe debere, vt populos ad pietatem inuitent: denique propter hunc finem homines ad ſocietatem eſſe conditos, imperia conſtituta eſſe, populos, hoc eſt, cœtus conſociatos eſſe & reges præpoſitos, vt ornent gloriam Dei. Hunc finem omnes cœtus hominum in imperijs, ciuitatibus, familijs, ſcholis expetere debent. Monet igitur Reges, Princi-

Principes, Ciuitates, Doctores, Patresfamilias, vt cogitent, hoc præcipuum esse officium suum, vt puram doctrinam ad gloriam Dei conseruare & propagare, & Deo obœdire studeant. In his exemplis vident adolescentes, monstrata Syntaxi, sententias non modo illustriores, sed etiam longe dulciores reddi studiosis. Multas enim magnas res antea inuolutas Syntaxis profert & exponit. Scio esse puerile studium, & negocium videri leue, sed mihi credant adolescentes, non minus prodesse generi humano Grammaticen, ac præcipue hanc partem, quæ est absolutio Grammatices, quam plerasque alias artes aut professiones, etsi de earum dignitate nihil detraho. Magna vtilitas & magna laus est Architectonicæ, quæ non modo domicilia nobis condidit, sed etiam rationem muniendi magnos cœtus ostendit, quæ machinas omnis generis vtilissimas, molas, naues, portus, aquæductus fabricat. Assentior magnam esse harum rerum vtilitatem, sed non minor est vtilitas Grammatices. Hæc religionum, legum, historiarum, & multarum artium quasi nutricula quædam est. Ideo non solum adhortor adolescentes, sed etiam propter gloriam Dei obtestor, vt diligenti-

gentiam in discendo adhibeant, quam primum Deo, Ecclesiæ & Reipublicæ debent, deinde quam flagitant parentes, quorum iudicijs obtemperare eos Deus iussit. Hæ caussæ discendi inculcandæ sunt adolescentibus, vt sciant sua studia pertinere ad Ecclesiam & Rempublicam. Nisi Grammaticen recte didicerint, non poterunt cæteras artes Ecclesiæ & Reipublicæ necessarias tueri. Nec nostra opera deesse his studijs debet. Ideo cum viderem hunc libellum in manibus esse puerorum, fui autor viro docto Vito Vuinsemio, vt eum augeret, deesse enim aliquas pueriles regulas animaduerteram. Prodit igitur locupletatus, non modo præceptis, sed etiam exemplis, quorum imitatio ad phrasin conducit. Hortantur autem te domestica exempla ad has artes amandas, quæ ad recte dicendum necessariæ sunt. Es enim natus in oratoria familia. Nam auum tuum audimus summam autoritatem propter eloquentiam, & ciuilem prudentiam in patria consecutum esse, qui vt illa tempora ferebant, non indoctus fuit, & studiosus inprimis, ne deessent in oratione nerui. Pater vero, etsi tantum natura valet, vt nullius ingenium cognouerim ad eloquentiam aptius,

aptius, tanta eſt vbertas, tantus ſplendor in eius oratione, quæ naturæ bona ſunt: tamen illam naturæ felicitatem magna doctrinæ copia etiam inſtruxit. Horum te accendi exemplis conuenit, vt poſſeſsionem huius laudis in familia retineas.

Bene va-
le.

SYN-

SYNTAXIS.

SYNTAXIN Græci, noſtri conſtructionem vocant, *rationem contexendæ orationis & coniungendarum vocum, ita vt certam ſententiam dilucide repræſentent. *In tenui, vt ait Virgilius,* [2. Georg.] *labor eſt, at tenuis non gloria, nec mediocre precium operæ, poſſe animi ſenſa citra ambiguitatem effari: Nam quibus hæc Grammaticæ pars non ſatis familiariter nota eſt, ij, quia temere congerunt voces, non poſſunt explicare quod ſentiunt, ſed dant ſine mente ſonum,* † *& inani quodam ſtrepitu feriunt aures, perinde atque fluctus littora ferit.*

* Priſcianus etiam aptam ſtructuram & ordinationem dictionum vocat in 17. Vall. complexum orationis lib. 2. cap. 12.

† Virgilius 10. Aeneid.

Eſt autem in puerilibus ſtudijs inprimis opera danda, vt ſermonem ſibi quiſque perſpicuum & planum comparet, quo exprimere animi cogitata ſine ambiguitate poſſit. Indigni mihi hominis vocabulo videntur, qui quoties res ſeriæ orationem flagitant, tanquam κωφὰ πρόσωπα in Comœdijs, nullam vocem edere poſſunt. Sæpe etiam comperi, pueros, cum bonorum verborum magnam haberent copiam, tamen, quia certam ſtructuræ ratio-

rationem non norant, non esse ausos loqui, quibus opera omnis collata in bonas literas, vnam hanc ob caussam perierat, quod Syntaxin non didicerant.

Quare diu mihi in hac parte Grammatices puer detinendus videtur, *dum omnes formulas coagmentandarum vocum cognouerit, & tanquam Architectum orationis profiteri se ausit.*

DE SYNTAXI NOMINVM.

Nomen sine verbo non absoluit orationem aut integram sententiam. Est enim oratio integræ sententiæ explicatio. Et tamen sæpe multa nomina connectuntur, quibus vnum verbum respondet. Quare principio de Nominis Syntaxi dicemus.

PRIMA REGVLA.

Adiectiuum & Substantiuum eodem genere, numero & casu cohærent, * vt:

* Valla libro 3. cap. 16.

[*Ennius apud Cicer. in Lælio.*]

Amicus certus in re incerta cernitur. Et:

Orandum est, vt sit mens sana in corpore sano.

Iuuenalis, [*sat*. 10]

Ad eundem autem modum & participia sub-

ſubſtantiuis connectuntur, vt: [*in* 1. *de arte amand,*] *Forma viros neglecta decet.* Et:

Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.

Ouidius, [1. *Triſt. eleg.* 8.]

Et Pronomina, vt:

Horat. [1. *ep.* 18. *ep.*]

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Et:

Metiri ſe quemq; ſuo modulo ac pede verum eſt.
Horatius, [1. *ep.* 7. *ep.*]

Antiquum eſt, cum Pronomini Suo, Datiuus Sibi per Pleonaſmum adijcitur, vt apud *Terentium*, [*in Adelph. act.* 5. *ſcen.* 8.] *Suo ſibi hunc gladio iugulo.*

Et Græcum, cum Poſſeſsiuo pronomini Genitiuus Ipſius additur, vt: [2. *cap. Lucæ.*] *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Nam Græci vna voce,* τὴν σεαυτοῦ ψυχὴν *dicunt. Vt &*: τὸν ἐμαυτοῦ λόγον, τὸν ἑαυτοῦ φίλον, *& ſimilia.*

Sed tamen & Latini aliquando ſolent cum Pronominis Ipſe, tum Nominum partitiuorum ac numeralium, aut etiam participiorum Genitiuos poſſeſsiuis adijcere, vt: *Cicero pro Mur. De tuo ipſius ſtudio coniecturam ceperis. Idem ad Attic.* [*lib.* 11. *ep.* 15.] *Solius enim meum peccatum corrigi non poteſt. Liuius lib.* 7. *ab vrb. cond. Noſter duorum euentus oſtendet, vtra gens bello ſit melior.*

Item Horat. [1. *serm. sat.* 4.] *Cum mea nemo Scripta legat, vulgo recitare timentis, &c.*

Et, [*Ouid. eleg* 8. *lib.* 1.] *Sæpe rogabis,*
Vt mea defunctæ molliter ossa cubent.

Obseruabunt autem hic pueri, interdum adiectiua substantiuorum naturam induere, quando videlicet duo vel plura sine substantiuo concurrunt, vt:

Fortunate senex, &c. apud Virg. [1. *eclog.*]
Et: Rusticus ille tuus, &c. [*apud Iuuen. sat.* 3.]

Nam hic Senex & Rusticus substantiue accipiuntur.

Et contra, Substantiua adiectiuorum vice aliquando fungi, vt: [*Aen.* 1.]
Hinc populum late regem, belloq; superbum,
Pro late regnantem. *Sed hæc vsus docebit.*

EXCEPTIO.

Variant autem à regula, quæ figurate vel *per Synthesin, vel per Zeugma, vel per Syllepsin dicuntur.*

SYNTHESIS * est, cum nomini multitudinis singulari, subijcitur verbum vel adiectiuum plurale, vt:

* Linacer lib. 6. Syllepsin vocat, quæ in vna clausula accidat.

Ouidius, [4. *Metamorph.*]
Pars volucres factæ. Et Virg. [6. *Aen.*]

Hic

Hic manus ob patriã pugnando vulnera passi, &c.
Nam in his & similibus constructio ad intellectum, non ad vocem refertur. *Sunt autem multitudinis nomina, quæ Grammatici Collectiua & Distributiua vocant, vt: Gens, Turba, Manus, Populus, Pars, Quisq;, Vterq;, &c.*

Est & illa Synthesis, cum substantiuo qualicunq; adiectiuum diuersi generis subijcitur, quod ad intellectum, non ad vocem refertur.
Vt apud Terent. [in Prol. Eun.] In Eunuchum suam, &c. & apud Virg. [5. Aen.] Centauro inuehitur magna, &c. Intelligitur enim in suam fabulam Eunuchum. Et: Magna naui Centauro, &c.

Cuius generis & illa sunt:
Liuius, [lib. 10. dec. 1.] Samnitum cæsi tria millia. Et apud Curtium, [lib. 4.] Duo millia crucibus affixi. Item, [Terent. in Eunuch. act. 4. sc. 3.] Scelus postquam ludificatus est virginem, &c. Et, [in Eunuch. act. 2. sc. 3.] Dij, deæq; omnes illum seni um perdant, qui me hodie remoratus est; et similia.

ZEVGMA * fit, cum diuersis substantiuis verbum vel adiectiuum additur, quod cum propiore tantum consentit, vt:

* Priscian. coniunctionem interpretatur in 17.

Virg. [1. Aeneid.] Sociis & rege recepto.
Et: [eclog. 7.] Caper tibi saluus & hædi, &c.
Differt hæc figura à sequenti, quod illic adiecti-

uum cum digniore : hic cum propiore substantiuo concordat, Cætera infra vide in verbis.

SYLLEPSIS dicitur, quando pluribus substantiuis diuersorum generum, subijcitur adiectiuum plurale, quod in genere digniori respondet.

Ut apud Ouid. [2. de arte amandi.]
Mulciberis capti, Marsq; Venusq; dolis.

Et [Aeneid. 7.] Cæsosq; reportant,
Almonem puerum, fœdatique ora Galæsi.

Comprehendit enim hic Masculinum genus tanquam dignius sub se Fœmininum ac Neutrum. Estque peculiaris huius figuræ vsus, cum de rebus animatis mentio fit.

Altera Syllepsis species est, cum duobus vel pluribus substantiuis rerum inanimatarum, adiectiuum plurale neutrum, Græca consuetudine subijcitur, vt:

Salustius, [in con. Catil.] Præterea diuitiæ, decus, & gloria in oculis sita sunt.

Et Cicero in epist. [lib. 6. ep. 10.] Ut operam, studium, consilium, rem, fidem meam, sibi ad omnes res parata putent, &c. Cuius formæ exempla passim obuia sunt.

Sunt & Syllepticа illa: * *Vixit annos viginti vnum, siue vnum & viginti, & similia. Sed hæc Syllepsis in numero tantum fit.*

*Potestate enim hic duo sunt sensus, nec illud annos, vtrique seruire potest. Lina lib...

RE-

De venustate discordiæ relatiui cum antecedente. Valla lib. 3 cap. 19.

REGVLA II.

Relatiuũ cum antecedente substantiuo, necesse est genere & numero consentire, vt: *Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu. Horatius,* [*lib.1. ep.2.*] *Et: Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi. Terentius,* [*in Eunuch. act. 1. scen. 2.*] *Conueniunt enim in genere & numero, Quo & Odorem. Item: Ea & Mater.* Casu autem conuenire necesse non est, nam is sequenti verbo respondet.

EXCEPTIO.

I. Relatiuum * Qui, Quæ, Quod, positum inter duo substantiua diuersorum generum, tam sequenti quam antecedenti recte respondet.

* De venustate discordiæ Relatiui cum antecedente, Valla lib. 3. cap. 19.

Antecedenti, vt: [*1. Metam.*]

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, &c.

Sequenti autem, vt:

Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur. Salustius, [*in con. Catil.*] *Et: Tunc domicilia coniuncta, quas vrbes dicimus, Cicero,* [*pro Sestio.*]

Item:

Saxum antiquum ingens, campo qui forte iacebat
Limes agro positus, &c. Aen. 12.

Ad quam formam & illa pertinent:

* In his enim quod per relatiuum repetitur, in alio tanquam genus in specie includitur. Atque huc refert Linac. libro 6. illas Parentheses: Quæ tua est pietas, &c.

Interea in morbum incidit, quæ res illum à proposito auertit. Et: *Amyclas silentium perdidit, quod oppidum à Laconibus conditum perhibetur.* [*Eras. chil.* 1. *cent.* 9. *prouerb.* 1.] *& similia.*

II. Relatiua, quæ Accidentis vocant Grammatici, Genus, Numerum, & Casum mutuantur à Substantiuis, quibus proxime cohærent, vt: *Talis est ciuitas, quales sunt principum mores.* *Et:* [*Cic.* 2. *Tusc. quæst.*] *Tanta cuiusq; sunt mala, vel bona, quantus est animus qui illa sustinet.*

III. Cum ad verbum vel totam orationem præcedentem relatiuum infertur, neutro genere plerunque ponitur.

Vt apud Terent. [*in Heau. act.* 2. *sc.* 3.] *In tempore ad eam veni, quod rerum omnium est primum, etc. Et apud eundem,* [*in Adelph. act.* 1. *sc.* 1.] *Et quod fortunatum isti putant, vxorem nunquam habui.*

IIII. Quoties antecedens de re possessa, Relatiuum autem de possessore dicitur, conuenit relatiuum cum primitiuo possessiui eius, quod in antecedente ponitur, vt:

Nunc

Nunc mea ſcripta legis, qui ſum ſubmotus ad Iſtrum. Ouid. [*lib.* 3. *de Pont. eleg.*4.]

Tale fuerit & hoc:

Nos tua arma ſecuti ſumus, quem victorem fore ſperabamus. Sed tamen huiuſmodi exempla rariora ſunt.

V. Variant & illa à regula, quæ per Syllepſin dicuntur.

Vt apud Virg. [*Eclog.* 3.] *Cum Daphnidis arcum Fregiſti & calamos, quæ tu peruerſe Menalca, &c.* *Et Saluſtius,* [*con. Catil.*] *Cupido pecuniæ primo, deinde Imperij creuit, ea quaſi materies omnium malorum fuere.*

Et per Syntheſin.

Vt apud Ouidium: [2. *Metamorph.*]
Fumat vterq; polus, quos ſi violauerit ignis, &c.

Et per Proleplin, vt:

Milites pugnant, hic gladio, ille ſariſſa. Item: Præceptores docent, alius Grammaticam, alius Dialecticam, alius Philoſophiam. Funguntur enim & hæc relatiuorum vice quadam.

Obſeruare autem pueri etiam illa debent, quæ vel ἐλλειπτικῶς efferuntur, vt:

[*Virg.* 1. *Aeneid.*]
Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni. Deeſt enim hic relatiuum Quam. *Item:* [2. *Eclog.*] *Canto quæ ſolitus, ſi quando armenta vocaret Amphion, &c. Pro canto illa, quæ ſolitus erat.*

Vel per Pleonaſmum.

Vt apud Cæſarem, [*lib.* 1. *de bell. Gall.*] *Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire poſſent.* Nam hic antecedens repetitur. *Et apud Ciceronem,* [1. *Offic.*] *Ludo autem & ioco, vti illis quidem licet, ſicut ſomno, &c.* Vbi relatiuum illis, πλεονάζειν videtur.

REGVLA III.

Interrogatiuum & redditiuum caſu conuenire debent.

Cuius eſt ſententia? Ciceronis. Et:
Cui dono lepidum nouum libellum?
Corneli tibi, &c. apud Catullum, [*epig.* 1.]
Item: Terent. in Eunuch. [*act.* 3. *ſcen.* 5.]
Quis me ſequitur? Nemo.
Vter fratrum venit? Neuter. Quo loco & illud obiter obſeruent pueri, cum de multis quæritur, interrogatiuum Quis, * cum de duobus tantum, interrogatiuum Vter, adhiberi ſolere.

* Valla lib. 1. cap. 13.

Idem autem etiam de interrogationibus, quæ per verba fiunt, intelligendum eſt. Terent. [*in Eunu. act.* 2. *ſc.* 2.] *Quid agitur? Statur.* Et: [*in And. act.* 3. *ſc.* 5.]
An non dixi hoc eſſe futurum? Dixti.
Quid meritus? Crucem, &c. Sed in his aliquando

quando tamen subijcitur, Sic est, vel Factum, vel ita est, vel aliquid simile.

Idem, [in Eunuch. act. 4. scen. 4.]
Chæream tuam vestem detraxit? Factum.
Et pro te huc deductus est? Ita, &c.

EXCEPTIO.

I. Cum per vocem quæritur, quæ cum alijs nominibus alio casu construitur, interrogatiuum & redditiuum casu aliquando discordant, vt * *Val. lib. 3. ca. 1.
Quanti emtus est liber? Duabus drachmis.
Quanti venditur vinum? Nummo, &c.

Nam hic necesse erat, redditiuum eo casu poni, quem verbum requirebat, non qui interrogatiuo responderet. *Neq; enim sic emere nummi aut drachmæ dicimus, vt Emere tanti, minoris, pluris, &c.*

II. Cum per pronomen Cuius quæritur, possessoris nomen Genitiuo casu subijcitur, possessiua autem Pronomina eo casu quem verbum, ad quod respondetur, requirit, vt: *Cuius est hæc oratio? Mea, Tua, Sua, Nostra, Vestra, Ciceronis, Antonij, &c.*
Cuius puerum huc adduxisti? Meum, Tuum, Suum, Simonis, Pamphili, &c. [Terent. in Andr. act. 4. scen. 5.] Sic & apud Virg. [eclog. 3.]

Cuium pecus? an Melibœi?

Non verum Aegonis, &c. Est enim eadem ratio possessiui, *Cuius, a, um,* Genitiui primitiui.

Atque hactenus de ijs, quæ ijsdem generibus, numeris, aut casibus construuntur.

GENITIVVS CVM NOMINE.

PRIMA REGVLA.

Substantiuum cum substantiuo genitiuo casu iungitur, vt:

Mors vltima linea rerum. Horat. [*lib. 1. epist. ep. 17.*] Et:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Iuuenalis [*sat. 14.*]

Eadem ratio & pronominum primitiuorum est, quando absolute pro substantiuis ponuntur, vt: [1. *Aeneid.*]

Hic illius arma, Hic currus fuit, &c.

Et aliorum item adiectiuorum, cum substantiue vsurpantur, vt: *Voluptas esca malorum.* *Cicero,* [*de Senectute.*]

Sed hic obseruare pueri debent, Genitiuos *Mei, Tui, Sui, Nostri & Vestri,* qui subiecti nominibus affectuum, plerunq; passiue significant, * vt: *Virgil.* [11. *Aene.*] *Victus amore tui, hoc est, quo tu amaris.*

* Valla libro 2. cap. 1.

Et

Et Horat. [*lib. 1. epist. 13.*]

Ne studio nostri pecces, pro eo studio, quo nos obseruamur & diligimur abs te. Item: Cicero ad Att. [*lib. 13. ep. 1.*] *Vehementerque tua sui memoria delectatur, hoc est, qua tu ipsum prosequeris, &c.*

At cum substantiuis facultatem significantibus, *vt sunt, copia potestas, facultas, caussa & similia*, etiam actiue significant interdum, & adiectiua recipiunt. *Cic. ad Lentul.* [*lib. 1. ep. 9.*] *Quocunque tempore mihi potestas præsentis tui fuerit. Idem de Orat.* [*lib. 1.*] *L. Crassum quasi colligendi sui caussa, se in Tusculanum recepisse. Et Ouidius,* [*in ep. Acont. ad Cydipp.*]

Copia placandæ sit modo parua tui, &c.

Porro ad hanc regulam videntur & illa referri posse: *Homo nihili. Res mancipi, pro propria, qui Genitiuus à Nominatiuo Mancipium est,* κατὰ συναίρεσιν.

Nam *Frugi & Nauci*, qui datiuorum speciem habent, prorsus adiectiuorum more cum substantiuis iunguntur. *Vt apud Ciceronem, Frugi & seuera vita, in Epist.* [*lib. 16. ep. 21.*] *Et homines satis plane frugi ac sobrij. In Verrin. 5. Item Plaut. in Mostell. Qui homo timidus erit in rebus dubiis, is nauci non erit. Quo pacto & Eiusmodi, Cuiusmodi & similia vsurpantur.*

APPOSITIO.

Excipiuntur à regula, quæ per appositionem dicuntur.

Apposi-

Appoſitionem vocarunt, cum duo ſubſtantiua eodem caſu abſq; coniunctione de eadem re dicuntur.

Ouidius primo Metamorph.

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Horatius, [*lib.* 1. *ep.* 6.]

Et genus & formam regina pecunia donat.

Item: [*Virgil.* 4. *Aeneid.*]

Fama malum, quo non aliud velocius vllum.

Et id genus alia. Nam in his & ſimilibus alterum ſubſtantiuum veluti declarandi cauſſa accedit, *ideoq; propemodum induit adiectiui naturam.*

Atque hoc modo ſubſtantiua inter ſe iunguntur.

II. Adiectiua neutro genere pro ſubſtantiuis vſurpata, ſubſtantiuorum more genitiuos aſciſcunt, vt:

Quantum quiſque ſua nummorum poſſidet arca,
Tantum habet & fidei, pro tantam fidem. [*Iuuenal. ſat.* 3.] *Et Catull.* [*ad Varum epig.* 19] *Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt,* ἐλλειπτικῶς, *pro manticam eam, quæ in tergo eſt.*

Atticiſmum vocant hanc formam, *quoniam Atticis quaſi peculiare eſt, vt adiectiuis neutri generis, pro ſubſtantiuis vtantur, vt:* τὸ πιστὸν τῆς ἀληθείας, *pro,* ἡ πίστις. *Et:* τὸ ὑγρὸν τῶν ὀφθαλμῶν, *pro,* ἡ ὑγρότης, *& ſimilia.*

REGVLA III.

Super-

Superlatiui asciscunt Genitiuos plurales, vel Collectiui nominis singulares, vt: Catull. ad Ciceronem. [44. epig.]
Disertissime Romuli nepotum, &c. Et:
Danaum fortissime gentis Tydide, &c. 1. Aeneid.

Sed hi Genitiui interdum in alios casus circumlocutione vertantur, *vt apud Liuium,* [lib. 4. ab V. C.] *Habituri sumus consules ex plebe seditiosissimum quenque.*

Et apud Virgilium, [7. Aeneid.]
Petit ante alios pulcherrimus omnes.
Turnus auis, atauisque potens, &c. pro, plebis & aliorum.

Obseruent autem hoc loco pueri & particulas eas, quæ superlatiuis intendendi gratia plerunque addi solent, vt sunt: *Multo, Longe, Quisque, [illegible], &c.* †, *vt:* [illegible] *vir multo* [illegible]*simus,* Cicero, [pro L. Manil.] *Et: Longe* [illegible] *quos quidem mihi audire* [illegible]. Fabius, [lib. 10 cap. 1.] *Et:* [illegible] *promtissimus* [illegible], [lib. 5. dec. 3.] *Item:* [illegible] *quam* [illegible] *minimo.* Ter. [illegible] Cicer. alibi & *Tam* addunt, *vt: In tam optima causa.* Catull. [44. epig.] [illegible] *Tanto & Quanto, vt: Tanto pessimus omnium poëta, Quanto tu optimus omnium patronus.*

† Vallà libro 1. cap. 15. 16. 17. 18.

REGV-

REGVLA IIII.

Quæ partitionem ſignificant, aut collectionem, item Genitiuos plurales aſciſcunt, vt:

Nemo hominum. *Alter horum.*

Pars ciuium. *Ouid.* [*4. Triſt. eleg. 3.*]

Magna minorq; feræ quarum regit altera Graias,
Altera Sydonias, vtraq; ſicca, rates.

Sic & Comparatiua cum partitionem ſignificant, vt: *Horat.* [*in arte.*] *O maior iuuenum*, *id eſt*, *inter iuuenes.* Nam partitionem exponimus per particulam, *Inter, e, ex, vel de. Vt primo Faſtor.*

Solus de ſuperis qui tua terga vides. Pro, Solus ſuperorum, &c.

Ac Comparatiuo vtimur, cum partitio fit inter duo: Superlatiuo, cum inter plura, vt: *Manuum agilior eſt dextra.*

Digitorum longiſſimus eſt medius.

Et Pronomina, vt:

Animalium hæc binis, illa quaternis pedibus incedunt.

Et numeralia, vt:

Militum decimum quenq; ſecuri percuſſit. Liuius.

Et interrogatiua, vt:

Quotus enim quiſque Philoſophorum inuenitur, qui ſit ita moratus, vt ratio poſtulat? Cicero in Tuſcul. 2.

Aliaq;

Aliaq; item adiectiua nonnunquam, *vt apud Plinium*, [*lib.* 11. *cap.* 50.] *Canum degeneres, caudam sub aluum deflectunt. Et apud eundem*, [*lib.* 8. *cap.* 48.] *Nigræ lanarum nullum colorem bibunt.* Quod genus orationis ad Hellenismum quidam † referunt.

† Linacer lib. 6.

REGVLA V.

Adiectiua, quæ curam, desiderium, noticiam, aut metum aliquem, aut contra significant, genitiuos asciscunt, vt: *Viue memor lethi, &c. Persius* [*sat.* 5.] *Natura hominum nouitatis auida, Plin.* [*lib.* 17. *ca.* 10.] *Nescia mens hominum fati, sortisq; futuræ. Virg.* 10. *Aen.*] *Item: Timidus procellæ, apud Horat.* [*in arte.*] *Et: Trepidi rerum suarum, apud Liuium*, [*lib.* 5. *ab V.C.*]

Huc pertinent & illa:

Securus amorum, apud Virg. [1. *Aeneid.*]
Anxia furti, apud Ouidium.
Dubius animi, [3. *Georg.*]
Ambiguus futuri, [*Tacit. lib.* 19.]
Præsaga mali mens, &c. [10. *Aeneid.*]
Item, Amens animi, apud Virg. [4. *Aeneid.*]
Maturus animi, apud Virg. [5. *Aeneid.*]
Falsus animi, apud Terent. [*in Eun. act.* 2. *sc.* 2.]
Nimius animi, apud Liuium, lib. 6. *ab V.C.*

Cæcus animi, apud Fabium, [*lib.* 1. *cap.* 17.]

Et id genus alia. Est enim hic casus familiaris ijs, quæ affectionem aut motum animi aliquem significant.

REGVLA VI.

Genitiuos asciscunt & verbalia pleraque & Participia, cum in nomina degenerant, vt:

Tempus edax rerum. [*Ouid.* 15. *Metam.*]
Audax ingenij. Stat. in Sil. [*lib.* 3.]
Pertinax recti, apud Tacitum, [*lib.* 20.]
Patiens inediæ, apud Saluſt. [*con. Catil.*]
Fugitans litium apud Ter. [*in Phor. act.* 4. *ſc.* 3.]
Sitiens famæ, apud Silium, [*lib.* 3.]
Lapſus animi apud Plaut. [*in Ciſtell.*]
Victus animi, apud Virgil. [4. *Georg.*]

Et his similia alia, quorum tamen quædam etiam ad superiorem regulam referri possunt.

REGVLA VII.

Quæ vero copiam, aut contra significant, modo Genitiuum, modo ablatiuum recipiunt, * vt:

* Magna enim affinitas est horum casuum. Valla libro secundo, capite primo, & libro tertio, cap. 1.

Diues

Diues pecoris. [*Virgil. 2. Georg.*] *Et :*
Diues agris, diues positis in fœnore nummis.
Horatius, [*lib. 1 serm. sat. 2.*] *Plenus rimarum.* *apud Terentium,* [*in Eunuch. act. 1. scen. 2.*] *Crura thymo plena ,* † *apud Virgilium,* [*4 Georg.*]

* Veteres cum Ablatiuo iunxisse hanc vocem docet Fabius libro nono , capite tertio.

Sic cætera eiusdem potestatis , nisi quod alijs alius casus familiarior est, vt :

Contentus paucis , vsitate dicitur. [*Horat. lib. 1. sat. 3.*] *Contentus libertatis, dixit Liuius,* [*lib. 4. dec. 3.*] *Impos animi.* [*Plaut. in Casin.*] *Compos voti tantum,* [*Liuius , lib. 7. ab V.C.* & *apud eundem lib. 3.*] *Prædæ compos.* [*Valla lib. 3. cap. 34.*] *Prodigus animi,* [*1. Carm. Od. 12.*] *Benignus vini, somniq; apud Horat.* [*lib. 2. sat. 3.*] *Largus opum, apud Virg.* [*11. Aeneid.*] *inuenies cum genitiuo. Præditus autem animo, ingenio, viribus,* &c. [*Vall. lib. 5. cap. 35.*]

Cassus lumine, [*2. Aeneid.*] *Et :*
Captus oculis, auribus, [*Liuius lib. 1. dec. 3.*] *mente.* [*Cicer. 1. offic.*] &c. cum Ablatiuo fere tantum.

Quædam etiam præpositionem Ablatiuo præmittunt, vt :

Felix nati pietate. [*Virg. 3. Aeneid.*] *Et :*
Ille vero Græcus ab omni laude felicior , apud Cicer. [*in Brut.*] *Sic potens pecunia ,* & *potens à pecunia. Firmus equitatu.* [*Cic. lib. 10. ep. 15.*] &

Firmus ab equitatu.
Vacuus curarum & Curis. [*Cic. 1. offic*] *Et:*
Vacuus à periculo animus, apud Tacitum.

Obseruandum igitur diligenter erit, quæ cum quibus casib. frequentius construãtur. *Multa enim Grammatice secundum rationem di-cuntur, quæ vsus Latinorum & pure loquentium repudiauit.*

REGVLA VLTIMA.

Reus item, & quæ huic affinia sunt, Geniciuum pleraque vel Ablatiuum asciscunt: vt:

Reus voti, [*Virg. 5. Aen.*] *cædis, capitis, &c.*
Reus stipulando, promittendo, &c.
Insons cædis, furti, &c. Et:
Insons crimine cædis, furti, &c.
Obnoxius timoris, apud Liuium, [*lib. 6. dec.*]
Et: Obnoxius crimini cum Datiuo, [*idem lib. ab V. C.*] *quod vsitatius est.*
Integer vitæ scelerisq; purus, apud Horatium, [*lib. 1. Od. 22.*] *Et: Integer, vel purus à scelere, cum præpositione. Sic &:*
Liber laborum, apud Horatium in arte. Et:
Liber à legibus vsitate. [*Plaut. Trinum.*]
Immunis operum militarium, apud Liuium, [*lib. 7. ab V. C.*] *Et:*
Immunis à bello. Et id genus alia.

Ingratus

Ingratus autem salutis, quod Virgilius [10. *Aeneid.*] *dixit*, figuratum est, *pro, ob salutem, quemadmodum & Graeci dicunt* μακάριος τῆς δέ-ους *pro* ἕνεκα τῆς θέας.

DATIVVS CVM NOMINE.

PRIMA REGVLA.

Datiuos asciscunt, quæ commodum, facilitatem, similitudinem, aut affinitatem aliquam, & contra significant, vt:
Inuia virtuti nulla est via. Ouid. [14. *Metam.*]
Malum malo aptissimum, Liui. [*lib.* 1. *ab V.C.*]
Nulli veterum virtute secundus. Virg. [*Aen.* 11.]
Proximus egomet mihi. Ter. [*in And. act.* 4 *sc.*]

Huc pertinent pleraque verbalia in BILIS. Nam & hæc facilitatem, aut contra difficultatem quandam significant, vt:
Nec visu facilis, nec dictu affabilis vlli. Virgilius. [3. *Aeneid.*]

Et in DVS, vt:
O mihi post nullos vnquam memorande sodales. Ouidius, [1. *Trist. eleg.* 4.]

Item in X quædam, vt:
Vida vsibus capax, apud Plin. [*lib.* 2. *cp.* 17.]

Pertinent eodem & Elliptica illa, vt: *Diuites conferrent, qui oneri ferundo essent, Liuius,* [*lib.* 2. *ab V.C.*] *Et:*

Deûm benignitate Rempub. gratiæ referendæ esse. Idem lib. 9. dec. 3. Et lib. 10. ead. decad. Ea modo, quæ restinguendo igni forent, portantes. Et id genus alia. *Intelligitur enim adiectiuum Idoneus, vel Par, aut simile.*

Sed ex superioribus quædam etiam cum Genitiuo construuntur, vt:

Similis. Terent. [*in Eunuch. act.* 3. *scen.* 2.] *Domini similis est.*

Par. Lucan. [*li.* 10.] *Quem metuis, par huius erat.*

Fidus. Virgilius, [*Aeneid.* 12.] *Præterea regina tui fidissima dextra Occidit ipsa sua, &c.*

Alienus. Cicero 1. *de finibus. Quã alienum putet eius dignitatis, quam mihi quisq; tribuit.*

Quod postremum etiam cum Ablatiuo iungitur, vt:

Alienum dignitate imperij. [*de Prouinc. consul.*] *Et: Homo non alienus à literis, apud eundem,* [*in Verrin.* 4.]

Et quæ substantiue sumuntur, vt:

Amicus veritatis. Socius fortunarum. Cicero pro Font. Proprium animantium, &c. apud Ciceronem, [1. *Offic.*] Nam & hæc, cum adiectiua sunt, datiuum recipiunt, vt: *Cæsar multis rebus significat se nobis esse amicum. Cicero. Et Poëta Oratori multis ornandi generibus socius, ac pene par. Idem* [1. *de Orat.*]

Et: Amatorem tibi proprium, &c. apud Plautum [*in Mostell.*]

Quædam

Quædam Accusatiuum cum præpositione recipiunt, vt:
Idoneus ei rei, & ad eam rem.
Inutilis sibiipsi. *Et:*
Inutilis ad pudicitiam, & ad tutandam rem. Terentius, [*in And. act. 1. scen. 5.*]

Commune autem & Pronomen *Idem*, etiam Ablatiuum cum Præpositione *Cum* asciscunt, vt: *Supplicium legis & iudicij commune est probis & improbis. Cicero*, [*in Pisonem.*] *Et: Hoc mihi est commune cum cæteris.* [*11. lib. ep. 1. ad Attic.*]

Sic dicimus: *Facit idem huic.* *Et: Facit idem cum hoc, &c.*

ACCVSATIVVS CVM NOMINE.

PRIMA REGVLA.

Adiectiua Græca consuetudine Accusatiuos substantiuorum asciscunt, qui partem aliquam totius significant, vt:

[*Virg. 1. Aeneid.*]

Nuda genu, nodoq; sinus collecta fluentes.

Ouidius, [*2. Metam.*]

Et glacialis hyems, canos hirsuta capillos.

Virg. [*4. Aeneid.*]

Omnia Mercurio similis, vocemq; coloremq;,
Et flauos crines & membra decora iuuentæ.

Grammatici συνεκδοχὴν vocant, id est, comprehensionem. Significat enim nomen totius ad partem tantum referri. *Vt cum dico: Aethiops albus dentes. Nomen albus totum Aethiopem significat, verum quia Accusatiuus Dentes subijcitur, detorquetur & Nominatiuus ad partem tantum.*

Pertinent huc & illa:

Cressa genus Pholoë, &c. [5. *Aeneid.*]

Et: [3. *Aeneid.*]

Consertum tegmen spinis, at cætera Graius.

Et quæ inter Atticismos referri solent: *Id genus alia, pro eius generis.* [*Cicero, ad Att. lib.* 13.] *Non sum id nescius, pro eius rei nescius, &c.*

Sunt & Atticismi, vbi substantiuis Accusatiuus figurate subijcitur, vt: [*Plaut. in Amphit.*] *Quid tibi hanc rem curatio est verbero? Et: Id anus mihi indicium fecit. In Adelph. Terent.* [*act.* 4. *scen.* 4.] *Et similia. Frequens enim est Antiptosis hæc apud Atticos. Sed tamen huiusmodi formæ, non facile in exemplum trahendæ sunt, nisi si quas frequens vsus Latinorum comprobauit.*

REGVLA II.

Quæ certum magnitudinis modum aut spacium significant, Accusatiuo casu vel Ablati-

Ablatiuo iunguntur, cum adiectiuis quantitatem significantibus, vt:

Caulis palmum altus, Plin. [*lib. 23. cap. 7.*] *Umbra quatuor pedes longa. Idem,* [*lib. 6. cap. 34.*] *Storiæ quatuor pedes latæ, apud Cæsarem,* [*2. de bell. ciuil.*] *Sunt autem Storiæ, vt hoc παρέργως addamus, flechten siue matten, id est, Substrata, a στρώω, Græco verbo, quod Sterno significat.*

Item:

Sulcus dupondio & dodrante altus, apud Columellam, [*lib. 2. cap. 13.*] *Et:*

Longum semipede, latum pede, &c. apud Plinium, lib. 35. cap. 14.]

Inuenias autem & Genitiuum pro Accusatiuo vel Ablatiuo positum, *vt apud eundem Columellam,* [*lib. 2. cap. 11.*] *In morem horti areas latas pedum denum, longas pedum quinquagenum facito. Et:* [*eod. loco.*] *Locum occupent decem pedum longum, quinque latum, &c.* Sed hæc rariora.

ABLATIVVS CVM NOMINE.

PRIMA REGVLA.

Comparatiua asciscunt Ablatiuos, vt: *Vilius argentum est auro, virtutibus aurum. Horatius,* [*lib. 1. ep. cp. 1.*] *Estq; hic casus comparatiui proprius, quemadmodum superlatiui Genitiuus*

tiuus. Tametsi etiam alios casus recipiant Comparatiui & Superlatiui, videlicet quos positiui illorum asciscunt, vt: *Cibi aliquanto auidior. Et: Seruantissimus æqui, apud Virgilium,* [2. *Aeneid.*]

Sed tamen pro Ablatiuo Comparatiui interdum & Nominatiuus ponitur, cum particula Quam vel Atq;, vt:

Vilius est argentum quam aurum.

Amicior mihi nullus viuit, atque is est. Plautus in Mercat. Item: Mihi videtur diutius absuturus ac vellem, Cicero.

Interdum Ablatiuus manet, præcedente particula Quam, sed cum Præpositione Pro, vt: *Maiore, quam pro modo corporis veste vtitur. Et: Maiorem, quam pro numero hominum ediderunt stragem. Liuius,* [*lib.* 5. *dec.* 3.]

Solent autem etiam iterari comparatiui latine, vt: *Triumphus clarior quam gratior.* [*li.* 5. *ab V.C.*] *Et: Pestilentia minacior quam perniciosior, apud Liuium,* [*lib.* 4. *ab V. C.*] Sed hoc modo casus à tergo nullos fere habent.

Particulæ * quæ comparatiuis intendendi aut explicandi gratia adduntur, sunt: *Tanto, Quanto, Eo, Quo, vt:*

* Vall. lib. 1. ca. 15. 16. 17. & 18.

Omne animi vicium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.
Iuuenalis, sat. 8. *Et:*

Quo

Quo quis indoctior, eo impudentior, Fabius.

Item Multo & Longe, apud Liuium, [dec. 3.] Via vero multo, quam visa erat, asperior ascendentibus, *Et Virg. [9. Aeneid.]* *At pedibus longe melior Lycus, &c.*

REGVLA II.

Ablatiuo casu efferuntur, quæ caussam, instrumentum, aut similem aliquam circumstantiam significant, vt:
Lassus cura. *Fessus cursu.*
Lætus honore. [3. & 8. Aeneid.] imperio, &c. apud Virgilium, [4. Aeneid.]
Potens opibus, Ouidius, [4. Fast.]
Præceps ambitione. *Clarus ingenio.*
Aeger pedibus, oculis, &c. Liuius, [lib. 2. dec. 3.]
Annibal æger oculis ex verna intemperie, &c.
Quorum tamen quædam etiam infra ad postremam regulam referri possunt.

Pertinent autem huc & illa:
Duplicem gemmis auroq; coronam, Virg. [1. Aeneid.] *Et:*
Loricam consertam hamis auroq; trilicem. [5. Aeneid.] Et id genus alia.
Significant enim hæc materiam, quæ & ipsa inter caussas numeratur.

REGVLA III.

Etiam numeralia quæ ordinis vocantur, † & Diuerſitatis nomina, Ablatiuum aſſciſcunt, ſed cum Præpoſitione A vel Ab, vt:

† Vide Vall. lib. 3. cap. 5.

Proximus à Ioue. *Secundus a rege.*
Alius ab hoc. *Diuerſus ab illo.*
Virg. [2. *Aeneid.* *Quantum mutatus ab illo Hectore, &c.*

Horatius tamen omiſſa præpoſitione dixit: [*lib.* 1. *ep.* 17.]
Alius ſapiente bonoq;, pro à ſapiente, &c.

REGVLA IIII.

Dignus & Indignus, ſimpliciter Ablatiuos aſſciſcunt, vt:
Dignum laude virum Muſa vetat mori. Horatius, lib. 4. carm. Od. Et:
Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquis, probitas laudatur & alget.
Iuuenalis, [*ſat.* 1.]

Poëtæ tamen pro ablatiuo Genitiuo interdum vſi ſunt, * Græcorum more, vt: *Virg.* [*Aen.* 12.]
Deſcendam magnorum haud vnquam indignus auorum.

* Sic Ouidius in tertio de arte: Curia conſilii quæ nunc digniſsima tanti.

REGVLA V.

Varia

Varia est constructio vocis Opus, † sed Ablatiuum tamen sæpius asciscit, vt: * Linacer libro quarto.

Virgilius, [6. Aeneid.]

Nunc animis opus Aenea nunc pectore firmo

Cicero, [in Salust.] Vbi rerum testimonia assunt non opus est verbis.

Nonnunquam autem præcedit Nominatiuus, vt:

Cic. lib. 2. epist. [ep. 5.] Dux & autor nobis opus est. Et Liuius, [lib. 1.] Simul quæ curando vulneri opus sunt, parat.

Nonnunquam Genitiuus.

Vt in epistola Planci, [lib. 10. ep. 8.] Sed aliquantum nobis temporis & magni laboris, & multæ impensæ opus fuit. Quomodo & Ouidij illud, [in 2. de arte.] videtur dictum.

Casus inest illic, hic erit artis opus.

Nonnunquam pro Ablatiuo infinitiuus subijcitur, vt: *Hoc fieri oportet, & opus est, Cic. ad Attic. [lib. 13.] Et: Sed nunc peropus est, aut hunc cum illa, aut me aliquid aduersus hunc de illa loqui. [Terent. in And. act. 1. scen. 5.] Sic & facto opus, Dicto opus est, &c. qui Ablatiui pro Infinitiuis verborum ponuntur.*

Rarum est: *Opus est nobis hanc rem.* †

† Cicer. ad Attic. lib. 15. ep. 9. Video mihi opus esse viaticum. Et in libro 6. ep. 9. Dices nummos mihi opus esse ad apparatũ triumphi

Comici

Comici autem pro Opus voce Vsus vtuntur, eadem fere constructione. *Ut Plautus, in Asinar. Viginti iam vsus est filio argenti minis. Et Terent.* [*in Heaut. act.* 1. *sc.* 1.] *Mihi sic vsus est, tibi vt opus est. facto face.*

REGVLA VI.

Quæ inesse, vel adesse * quippiam alicui significant, varie efferuntur. Aliquando enim Genitiuo Latini vtuntur, sæpius Ablatiuo, nonnunquam Nominatiuo & Ablatiuo, rarius Nominatiuo & Accusatiuo.

* Valla lib. 3. cap. 17.

Genitiuo, vt:

Ingenui vultus pueri ingenuiq; pudoris, Iuuenalis, [*Sat.* 11.] *Et: Non multi cibi hospitem accipies, sed multi ioci. Cicero,* [*lib.* 9. *epist. vlt.*]

Ablatiuo, vt:

Homo antiqua virtute & fide, Terent. in Adelph. [*act.* 3. *scen.* 3.] *Et:*
Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ.
Virg. [*Aeneid.* 1.]

Nominatiuo & Ablatiuo, vt:

Ennius ingenio maximus, arte rudis. Ouidius, [2. *Trist.*] *Et:*
Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus.
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.
Martialis [*lib.* 12. *epig.* 54.] Sed hic Nominatiuus

natiuus pro ratione constructionis etiam in alios casus transit, vt: [*Virg. 1. Aeneid.*]
Tum pietate grauem & meritis si forte virum quem Conspexere, silent, &c. Duo autem Genitiui vel Ablatiui, semper iidem manent.

Huc referri posse videntur & illa: *Genere Andria. Patria Lesbius. Natione Syrus, & similia.* Nam & hæc personæ qualitatem describunt.

Nominatiuo & Accusatiuo, vt:
Nuda genu, nodoq; sinus collecta fluentes,
Virgilius, [1. Aeneid.]
Illa super suras tunicam collecta ministrat.
Ouidius, [1. Fastor.] Sed hæc figurate dicuntur κατὰ συνεκδοχὴν, ac Poëtis fere tantum in vsu sunt.

Hæc de Nominum Syntaxi.

DE PRONOMINE.

PORRO *Nominum constructionem imitantur & Pronomina.*

Nam quæ Adiectiue vsurpantur, ceu supra quoque monuimus, adiectiuorum more cum Substantiuis iunguntur, vt: [*Aeneid. 1.*]
Nate meæ vires meæ magna potentia, &c. Et:
Ipsa dies quandoque parens, quandoq; nouerca est.
[*Hesio-*

[*Hesiodus, Vide Eras. Chil. 1. Cent 8. prouer. 64.*]

Quæ vero Substantiue sumuntur, substantiuorum modo genitiuos asciscunt, vt: *Quid hic tibi est negotij?* [*Terent. in And. act. 5. sc. 2.*] *Tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra, Iouemq; concilias, &c. Virg.* [*1. Aeneid.*]

Vnum est pronomen, Idem, quod post se Datiuum vel Ablatiuum cum præpositione admittit, vt: *Sentit idem huic.* *Et: Sentit idem cum hoc.* Quod posterius tamen vsitatius dicitur.

Et de Relatiuorum constructione, supra regula secunda dictum est.

Illud tamen hoc loco moneri pueri debent, vt reciprocorum naturam & vsum diligenter obseruent, ne temere relatiuis alijs pro alijs vtantur. *Non enim idem significant, Senatus censuit, vt ad se de eo referretur. Et: Senatus censuit, vt ad eum, siue ipsum de eo referretur. Neque idem: Filius agnoscit patrem suum. Et: Filius agnoscit patrem eius.* Nam reciproca eam personam proprie respiciunt, quæ in eadem oratione, verbo vel etiam participio proxime subijcitur. Cætera autem Relatiua eam fere, de qua ante facta mentio est, vel quæ per obliquum, aut aliunde veluti noua quædam accedit. *Neque vnquam ad primam vel secundam personam fit reciprocatio, quare barbara illa sunt, Dedi sibi, Dixisti*

sibi

sibi & similia. Sed hæc rectius docebunt præceptores, cum inter loquendum vel scribendum talis aliqua oratio inciderit.

DE SYNTAXI VERBORVM.

NVNQVAM integra sententia sine verbo ex solis nominibus constat. Quare cum nominibus certa quadam ratione verba coagmentantur. Quoniam autem duplex verbum est, personale alterum, alterum impersonale. *De personalium & finitorum Syntaxi priore loco dicemus.*

PRIMA REGVLA.

NOminatiuus præcedit verbum personale finitum, simili numero & persona, vt: *Ferrum tuetur principem, melius fides.*

Ocia dant vitia. Ego lego, Tu legis, Ille legit, &c. Est enim eadem ratio pronominum & reliquorum declinabilium.

Additur autem in regula, Personale, propter Impersonalia, quorum quædam Genitiuum vel datiuum vel Accusatiuum ante se habent, pleraque etiam nullum casum, vt infra dicetur.

Finitum vero, propter infinitiuos, quorum proprius casus accusatiuus est.

EX-

EXCEPTIO.

I. Vtimur prima & secunda persona, dissimulatis fere pronominibus, vt:

Viuo equidem vitamq; extrema per omnia duco. [3. *Aeneid.*] Et, *Superat quoniam fortuna, sequamur, &c. Virg.* [5. *Aeneid.*] *Nam in his & similibus, quoniam certi Nominatiui primæ & secundæ personæ sunt, ex numero verbi, proprius siue legitimus Nominatiuus intelligitur.* Quare expresse nunquam fere ponitur, nisi cum discretionem aut emphasin aliquam significat, vt: [1. *Eclog.*]

Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in vmbra,
Formosam resonare doces Amaryllida siluas.

Et: [1. *Aeneid.*]

Tu mihi quodcunq; hoc regni, tu sceptra, Iouemq;
Concilias, tu das epulis accumbere diuûm, &c.

Nam hic in altero exemplo discretionis caussa ponuntur Nos & Tu. In altero, Tu, emphasin habet, hoc est, propriam ac singularem quandam demonstrationem, quasi dicas: Tu & non alius.

II. Tertia quoque persona est, quando absolute sine Nominatiuo vtimur, in ijs videlicet, quæ vel per Ellipsin, vel secundum intellectum dicuntur.

Per Ellipsin, vt:

Aiunt, Dicunt, Ferunt, Perhibent, &c.

Virgil. [8. *Aeneid.*]

Aureaq;

Aureaq; vt perhibent, illo sub rege fuerunt
Secula, &c. Est enim integrum: Homines perhibent, aut simile.

Secundum intellectum, vt:
Tonat, Pluit, Ningit, Diescit, Vesperascit, &c. Vt: Lucescit, hoc iam cesso pulsare ostium. Terent. [in Heaut. act. 3. sc. 1.] Nam in his & similibus intellectu Nominatiuum addimus, *qualis fuerit, Aqua pluit, Cœlum tonat, fulgurat, lucescit, &c.* Grammatici exemtæ actionis verba hæc vocant, quod actio eorum in nostra potestate non sit. Sed tamen & his aliquando nominatiuum expresse additum apud autores inuenias, *vt apud Tibullum, lib. 2. eleg. 6. Multus vt in terris deplueritq; lapis.*

Interdum etiam obliquus additur, vt:
*Pluit * lapides, [Val. Max. lib. 1. cap. de prodigijs.]*
& Lapidibus, [Liuius, libro 7. ab V. C.]
Pluit lacte, sanguine & carne, apud Liuium, [lib. 7. dec. 3. & lib. 4. dec. 3. & lib. 3. ab V. C.

* Valla libro 3. cap. 4.

III. Est & cum Infinitiuus, aut tota oratio Infinitiua, pro Nominatiuo, Græca consuetudine vsurpatur, vt:

Ouid. [lib. 2. de ponto, eleg. 9.]
Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros. Nam hic verbum emollit tanquam Nominatiuo respondet his,

didicisse fideliter artes, &c. quod Græci dicunt, τὸ μαθεῖν πιστῶς τὰ ἤθη, &c.

Idem fit & in his:

Non facile est æqua commoda mente pati. [*Ouid. in 2. de arte.*] *Et apud Persium,* [*sat.1.*]

At pulcrum est digito monstrari & dicier hic est.

Item : [*sat. 5.*] *Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.* *Et id genus alia*

Sed Infinitiuos hos interim etiam circumloquimur verbo finito, adiecta particula Quod, vt: *Dolet Turcis, quod ab obsidione Viennensi repulsi sunt, hoc est, se repulsos esse.*

Atque hactenus de iis, quæ circa Nominatiuum variant.

DE FIGVRIS.

Variant autem & circa personam ac numerum quædam, quæ figurate dicuntur, *vel per Euocationem, vel per Synthesin, vel per Zeugma, vel per Syllepsin, vel etiam per Prolepsin.*

EVOCATIO.

Euocationem vocarunt, cum verbo primæ vel secundæ personæ Nominatiuus tertiæ præponitur, vt:

Ego Virgilius lego. Tu Apollonius scribis.

Nos poma natamus. [*in fabula Aesopica de pomis & sterquilinio.*] *Sic Plaut.* [*in Captiuis.*]

Tum

Tum deniq; homines nostra intelligimus bona,
Cum quæ in potestate habuimus, ea amisimus; &c.

Voluerunt enim Grammatici tertiam tantum personam in nominibus esse. *Sed non video, cur adiecta pronominibus nomina, non mutuentur ab eis personam: Tametsi verum est, quod duriuscule cohærent verba primæ vel secundæ personæ cum Nominatiuis tertiæ.*

SYNTHESIS.

Synthesis dicitur, cum nomini multitudinis singulari verbum vel Adiectiuum plurale respondet, vt:

Pars epulis onerant mensas. Virgil. [4. *Georg.*]
Et: Pars in frusta secant, verubusq; trementia figunt, &c. Idem, [1. *Æneid.*] Nam in his ad intellectum refertur constructio, non ad vocem, *perinde vt & supra de nominibus adiectiuis admonuimus.*

Aliquando Synthesis & Euocatio concurrunt, vt:

In magnis læsi rebus vterque sumus. Ouid. [*in Heroid. Phæd. Hyppol.*]
Pars Scythiam & rapidum Cretæ veniemus Oaxen. Virg. [1. *Eclog.*]

Huc & Terentij illud pertinet:
[*in Adelph. act. 4. scen. 4.*] *Aperite actutum aliquis ostium. Et quæ similis formæ sunt.*

ZEVGMA.

Zeugma, adiunctio latine est, cum multis substantiuis inter se iunctis, vnum verbum vel adiectiuum additur, quod cum propiore consentit, vt:

Virgilius, [1. *Aeneid.*]

Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

Idem, [1. *Aeneid.*]

Hic illius arma, Hic currus fuit.

Et: [2. *Eclog.*]

Quamuis ille niger, quamuis tu candidus esses.

Item Cicero, [*in Catil.* 1.] *Nihilne te nocturnum præsidium palatij, nihil vrbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus senatus habendi locus, nihil horum ora vultusq; mouerunt?*

SYLLEPSIS siue comprehensio.

Longius degenerat ab analogia Syllepsis. Nam hîc multis substantiuis, ita verbum vel Adiectiuum adijcitur, vt consentiat non cum propiore substantiuo, sed cum præstantiore. † *Porro pluralis numerus præstat singulari, prima persona secundæ, secunda tertiæ. Nominatiuus casus obliquis, &c.*

† Differentia inter Zeugma & Syllepsin exacta traditur à Linacro in 6.

Fit igitur quadrifariam Syllepsis, genere, numero, persona & casu. *Sed de ea quæ genere fit, supra * in nominibus*

* Pagina 366.

nibus

nibus dictum est, quare de reliquis tribus hoc loco tantum agemus.

SYLLEPSIS numerorum proprie fit, cum diuersorum numerorum nominatiuis inter se iunctis, infertur verbum plurale, vt:

Milites & Imperator pugnant. Liuius, [*lib. 2. dec. 4.*] *Cum terra Nabis & Lacedæmonij, mari Romana classis vrgebant.*

Sed & illa numerorum Syllepsis est, quando duo vel plura singularia coniuncta, respondent vni verbo plurali, vt:

Furor iraq; mentem
Præcipitant. *Virg.* [*Aeneid. 2.*] *Et in quibus generum & numerorum Syllepses concurrunt, vt Liuius,* [*lib. 2. ab V. C. decad. 4.*] *Fregellis murus & porta de cælo tacta erant.* *Et Salustius,* [*de con. Catil.*] *Genus, ætas, eloquentia prope paria fuerunt. Vbi* κατ' ἔλλειψιν *coniunctio Et, omissa intelligitur.* *

* Eclipsin, vbi copulatiuæ desunt, Grammatici Asyndeton vel Dialyton vocant.

Quæ loquendi ratio etiam in nominibus seruatur, videlicet, vt pluribus singularibus respondeat adiectiuum, aut aliud epitheton plurale, vt: *Odium & metus pessimi ad diuturnitatem custodes,* [*ex Cic. 2. Offic.*]

SYLLEPSIS personarum fit, cum di-

uerſarum perſonarum Nominatiuis inter ſe iunctis, verbum plurale inſertur, quod perſonæ digniori reſpondet, vt:

Ego & vicinus concertauimus.

Tu & frater belle conuenitis. Sic Terent. [*Adel. act. 1. ſc. 2.*] *Hæc ſi neque ego neque tu fecimus, non ſinit egeſtas facere nos, &c.*

SYLLEPSIS caſuum, cum Nominatiuo & Ablatiuo inter ſe cohærentibus, verbum vel Adiectiuum additum, pluraliter effertur, vt:

[*Virgil. 1. Aen.*] *Remo cum frater Quirinus Iura dabant, &c.* Et *Ouid. 2. Metam.*

Fors eadem Iſmarios Hebrum cum Strymone ſiccat.

PROLEPSIS, ſiue Præoccupatio.

Prolepſis, partitio ſeu diſtributio quædam eſt, cum generi ſeu toti alicui partes ſubijciuntur, diuerſis numeris aut perſonis, verbo non repetito, vt:

Milites redeunt, hic ex Hiſpanijs, ille ex Gallijs. Item: *Ego vapulando, ille verberando, vſq; ambo defeſſi ſumus.* Terent. [*Adel. act. 2. ſc. 2.*] Et: *Curemus æquam vterq; partem, tu alterum, ego item alterum.* [*Ibid. act 1. ſc. 2.*] *In quibus exemplis etiam Syllepſis & Syntheſis concurrunt.*

Cuius generis & illa ſunt:

Quiſq; ſuos patimur manes, &c. [*Virg. 6. Aen.*]

In muros pro se quisq; armati discurrunt, apud Liuium, [lib. 5. ab V. C.] Nota figura est, & in descriptionibus Poëtarum & Historicorum vbique fere obuia.

Incidunt autem & aliæ quædam figuræ in hanc verborum Syntaxin, vt sunt: *Antiptosis, hoc est, quando casus pro casu ponitur. Et Enallage, quando modus pro modo, aut aliud accidens pro alio vsurpatur.*

ANTIPTOSIS.

Antiptosis peculiariter fit, cum contra analogiam antecedens imitatur casum relatiui, * vt:

* Linacer in 6. Donatum secutus Syllepsin per casus vocat.

Virgil. [Aeneid. 1.] Vrbem quam statuo vestra est, subducite naues.
Et: Terent. [in Prol. And.] Populo vt placerent quas fecisset fabulas.
Item: [in Eunuch. act. 4. sc. 1.] Eunuchum quem dedisti nobis quas turbas dedit? & similia.

Sed tamen & alij casus pro alijs positi inueniuntur Græca consuetudine, veluti:

Nominatiuus pro Accusatiuo, † vt:

† Valla lib. 3. cap. 23. Linac. lib. 6. de Hellenismo.

Catull. [de Faselo, epig. 3.] Faselus iste quem videtis hospites, ait fuisse nauium celerrimus, &c.
Lucanus, [lib. 9.] Tutumq; putauit Iam bonus esse socer.

Ouid. [lib. 2. Trist. in princip.]

Acceptum refero versibus esse nocens.

Sic & Terent. [in And. act. 4. sc. 6.] Quæ sese optauit inhoneste parare hic diuitias potius, quàm in patria honestè pauper viuere, &c.

ET:

Nominatiuus pro Vocatiuo, vt:

Virgilius, [eclog. 7.]

Muscosi fontes & somno mollior herba,
Et quæ vos rara viridis tegit arbutus vmbra,
Solstitium pecori defendite, &c. pro, & arbute quæ tegis eos rara vmbra.

Item apud Persium, [sat. 1.]

Vos ô patricius sanguis, quos viuere fas est
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ, pro ô patricie sanguis. Tametsi posterius hoc quidam etiam κατ' ἔλλειψιν exponant, vt sit integrum: O vos, qui estis patricius sanguis. Sed nihil attinet hîc ἀκριβολογεῖν.

ENALLAGE.

Enallage, mutatio est sine vlla ratione, concinnitatis tantum caussa vsurpata: *Quia delectat interdum varietas.* *

* Eras. lib. 1. de cop. verb. cap. 13.

Sunt autem pene infinitæ Enallagæ, ex quibus nos has potissimum recensendas existimauimus.

I. Frequens Enallage est, cum in narrando, In-

do, Infinitiuo pro imperfecto Indicatiui vtimur, vt:

Terent. [in And. act. 1. scen. 1.] Facile omnes perferre ac pati, &c. pro perferebat ac patiebatur. Item, [in Eunuch, act. 3. scen. 1.] Inuidere omnes mihi, mordere clanculum, ego non flocci pendere, &c. Et passiua voce: *Mihi sacra parari. Aeneid. 2. pro, parabantur. Hanc figuram Seruius [eodem loco]* historicam *vocat. Priscianus autem* ἔλλειψιν *facit.* † *Exponit enim: Inuidere mihi, pro cœperunt inuidere. Mordere clanculum, pro, cœperunt mordere, &c.*

† Priscianus li. 18. de ordinat. verb. Idem sentit Fabius lib. 9. cap. 13.

II. Est & illa Enallage, cum verbum substantiuum contra rationem in numero conuenit cum posteriore Nominatiuo, vt:

Terent. [in And. act. 3. scen. 3.] Amantium iræ amoris redintegratio est. Nam ratio poscebat dici: Amantium iræ sunt redintegratio amoris, &c. Quia verbum conuenire debet cum præcedente Nominatiuo. *Sed de hac re etiam infra paulo dicemus.*

REGVLA II.

Vocatiui secundæ personę & Imperatiuis præponuntur: Aut sine verbo ornatus vel affectus caussa, orationi inseruntur, vt:

Cum Imperatiuo: [*Virg. 2. Aeneid.*]

Eripe nate fugam finemq; impone labori.

Et: [*6. Aeneid.*]

Tu regere imperio populos Romane memento.

Sine verbo, vt: [*5. Aeneid.*]

Nate dea, quo fata trahunt retrahuntq; sequamur.

Et apud Cic. [*lib. 4. ep. 6.*] *Ego vero Serui vellem, vt scribis, in meo grauissimo casu affuisses, &c.*

Notentur autem etiam illa hoc loco, in quibus vocatiui non expresse, sed καθ' ὑπόνοιαν, siue vt vocant, implicite ponuntur, vt:

Virg. [*1. Aeneid.*]

Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Item: [*4. Aeneid.*]

Ferte citi flammas, date vela, impellite remos, & similia.

Atq; hactenus de casibus quae verbum antecedunt.

NOMINATIVVS POST VERBVM.

PRIMA REGVLA.

Verba substantiua praecedunt & sequuntur Nominatiui, vt:

[*Horat. lib. 1. ep. 2.*] *Ira furor breuis est, &c.*

Et: [*Plautus in Asinar.*]

Manus nostrae oculatae sunt, credunt quod vident.

Item: [*Gell. lib. 5. cap. 2.*] *Equus Alexandri*

& capite & nomine Bucephalus fuit.

Huc pertinent & illa, in quibus Infinitiuus, aut tota oratio Infinitiua pro Nominatiuo ponitur, vt: [*Terent. in Adelph. act. 3. sc. 3.*] *Istuc est sapere, &c.* Et:

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima
Stultitia caruisse, &c. apud Horat. [*lib. 1. ep. 1.*]

Et quæ per Syllepsin dicuntur, vt:

[*Virgil. Aeneid. 10.*] *Hoc virtutis opus.* Deest enim est.

Et apud Iuuen. [*sat. 13.*] *Rari quippe boni,* scilicet, Sunt.

Item: [*Virg. 3. eclog.*] *Triste lupus stabulis.*
Dulce satis humor, &c. Intelligitur enim, *Lupus est triste, siue tristis res stabulis. Et: Humor est dulce, seu res dulcis sementi.*

Dicuntur autem Substantiua: *Sum, Fio, Forem & Existo*, quod ea substantiam significent, *hoc est, rem per se subsistere, non agere aut pati aliquid.*

REGVLA II.

Etiam nuncupandi verba, & quæ similem vim habent, vtrinq; Nominatiuum asciscunt, vt:

Princeps Saxoniæ vocatur præfectus prætorij.
Aristæus inuentor oliuæ dicitur.
Balbus tuba belli ciuilis appellatus est. Item:

Ille

Ille saltatur doctor.
Carolus designatus est Imperator.
Themistocles cum recusasset lyram, habitus est indoctior. [Cic. in 1. Tusc. Quæst.]
Cicero pro Rosc. Is propter me honestissimus inter suos numeratur.
Idem de clar. orat. Non acutus orator, sed tamen orator numeratus est, &c.

Græcum est: *Hic cupit audire Theologus, pro dici, &c.*

Obseruent autem hic pueri nominandi formulas. *Dicunt enim Latini varie, vt: Est mihi nomen Pomponius, qua forma Terentius vsus est,* [*in Prolog. Hec.*] *Hecyra est huic nomen fabulæ.* *Et:*
*Est mihi nomen Pomponij, cuius exemplum apud Plautum * reperies.*

* In Amphit. Nomen Mercurii est mihi.

Est mihi nomen Pomponio, qua formula maxime delectantur eruditi. †

† Virgil. 1. Aeneid. Cui nunc cognomen Iulo. Liuius lib. 6. decad. 4. Scipio cui Africano fuit cognomen.

Vetus est, *quod Liuius dixit,* [*lib.1. ab V. C.*] *Cui Ascanium parentes dixerunt nomen.* *

* L. Piso in Annal. 2. L. Tarquinium collegam suum, quia Tarquinium nomen esset, metuere. Gellius libro 15. cap. 29.

Illud quoq;, tametsi leue ac puerile, postremo loco hic addendum videtur, quod

cum

cum verbum ſubſtantiuum, ſiue ſolum ſiue cum participio aliquo eorum verborum, quæ vtrinque Nominatiuum recipiunt, inter ſubſtantiua diuerſorum generum aut numerorum ponitur, cum præcedente analogice, ac regulariter conuenire debet, vt: [*Ioan.* 1.] *Verbum caro factum eſt, non facta. Bonoſus imperator, cum vitam laqueo finiſſet, dictus eſt amphora pendens,* * *non dicta.* * Flauius Vopiſcus in vita illius.

Tametſi autores interdum in his Enallage ſiue commutatione quadam, vt ſupra † quoque monuimus, vtuntur, vt: *Terent.* [*in And. act.* 3. *ſc.* 3.] *Amantium iræ amoris redintegratio eſt, pro, ſunt. Et Ouidius,* [*lib.* 2. *eleg.* 4.] *Vror, & inſidiæ ſunt pudor ille meæ, pro eſt, &c.*

† Pag. 403.

REGVLA III.

Cætera quoque verba ſequitur aliquando Nominatiuus, ſed qui ſtatum aut geſtum aliquem rei ſignificet, vt:

Dormit ſecurus. *Bibit ieiunus.*
Incedit ſordidatus. *It cubitum incœnatus.*

Virg. [*Aen.* 1.] *Pronuſq; magiſter Voluitur in caput, & c.*

Idem, [10. *Aeneid.*] *Eiectoq; incumbit cernuus armo, & c.*

Huc

Huc pertinent & illa, in quibus nomina pro Aduerbijs, Græcorum more * vſurpantur, vt: [8. *Aen.*]

* Hom. Ιλ. β. Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Nec minus Aeneas ſe matutinus agebat, id eſt, *mane.* Et: [*Georg.* 3.]

Non lupus inſidias explorat ouilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat, pro *noctu.*

Item: [1. *Georg.*] *Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur*, pro κατὰ τὴν ἠῶ, hoc eſt, *circa auroram, ſiue exortum ſolis, &c.* Atque in hunc modum Nominatiuus cum verbo conſtruitur.

GENITIVVS CVM VERBO.

PRIMA REGVLA

Genitiuum poſt ſe habent, quæ poſſeſsionem aut proprietatem ſignificant, vt:

Hæc veſtis eſt patris.
Hæc imago eſt Cæſaris.
Hic enſis fuit Euandri.

Qui Genitiui cum in nomina vel pronomina poſſeſsiua vertuntur, in tertiam regulam ſupra cadunt, vt: *Hic enſis fuit Euandrius. Hæc veſtis mea, tua, veſtra, &c. eſt.*

Pertinent huc & illa in quibus verbum eſſe, idem quod facere, ſeu pertinere ſignificat,

ficat, vt apud Liuium, lib. 5. Turbare volunt concordiam ordinum, quam dissoluendæ maxime tribunicie potestatis rentur esse, hoc est, ad dissoluendam tribunitiam potestatem facere seu pertinere. Sic & Salustius : [de coniur. Catil.] Post vbi imperium regium, quod initio conseruandæ libertatis, atque augendæ Reipub. fuerat, in superbiam dominationemq; se conuertit, &c.

REGVLA II.

Verba memoriæ & obliuionis promiscue Genitiuum asciscunt vel Accusatiuum, vt:

Memini huius rei & hanc rem.

Obliuiscor nominis tui, & nomen tuum. Virgilius, [4. Aeneid.]

Et oblitus famæ melioris amantes. Idem : [2. Aeneid.] Hinc iam obliuiscere Graios.

Sic & Ouidius, [1. Trist. eleg. 6.] Ocia delectent, admoneantq; mei. Et Cicero, [lib. 9. epist. 11. ad Attic.] Illud me præclare admones, &c.

Huc pertinet, *& Venit in mentem, Dicimus enim, Venit mihi in mentem eius rei.* † *Et : [lib. 12. ep. 7. ad Attic.] Venit mihi in mentem ea res. Item cum Ablatiuo : Venit mihi in mentem de hac re, apud Ciceronem,*

† Cicero in 5. de Finib. Venit mihi Platonis in mentem. Linacer in his ἐλλείψει facit, vt subaudiatur nomen

ceronem, [*Cic. de petit. consul.*] *Et cum Infinitiuo.* [*Cicero, de clar. Orat.*] *Venit mihi in mentem vereri.* recordatio : in libro 6.

Quanquam & ex superioribus cum Ablatiuo quædam construuntur, vt: *Meminit de te, id est, mentionem fecit. Et: Putaui ea de re te admonendum esse. Cicero,* [*lib. 4. ep. 10.*] *Nam si recordari volueritis de nouis hominibus, &c. Idem in Rullum.*

REGVLA III.

Accusandi verba, Damnandi, & Absoluendi, * Genitiuum asciscunt, qui speciem facti significet, aut Ablatiuum qui genus, vt:

* Eras. lib. 1. de cop. verb. cap. 75. Vall. lib. 3. cap 3.

Furti se astringit, Plaut. [*in Pænulo, act. 1. scena 4.*] *Hic se furti alligat. Terent.* [*in Eunuch. act. 4. sc. 7.*] *Dolobellam repetundarum postulauit. Suetonius,* [*in Iulio, cap. 4.*] *Cum capitis acquisissent. Liuius,* [*lib. 2. ab V. C.*] *Sceleris condemnat generum suum.* [*Cic. lib. ep. 14. ep. 14.*] *Et: Inuenimus Egnatij vxorem cum vinum bibisset è dolio, fuste interfectam à marito, eumq; cædis à Romulo absolutum. Plinius,* [*lib. 14. cap. 13.*]

Item: *Condemnabo eodem ego te crimine.* [*Cicero,*

[*Cicero, libro secundo, epist. 1.*]
Qui Gabinij literas insigni quadam nota & ignominia condemnastis. Idem de prou. cons. Item: Atque hunc ille vir summus, scelere solutum periculo liberauit. Pro Milone.

Huc pertinent & illa:

Mulctauit eum pecunia.
Affecit reos supplicio, & similia.

Sed tamen inuenias quædam etiam ex superioribus cum Ablatiuo iuncta, sed intercedente fere præpositione, vt:
Postulatus de repetundis. [*Cic. lib. 8. ep. 8.*] *Et: Qui de perduellione anquirerent. Liuius,* [*lib. 6.*]

Et sine Præpositione, vt:

Multos ex ijs, quos capite condemnauerat, postero die & in consilium, & ad aleæ lusum admoueri iussit. Sueton. in Claud. [*cap. 39.*] *Quo pacto & Virgilius dixit,* [*Eclog. 5.*] *Damnabis tu quoque votis, hoc est, reos exoluendi voti facies.* Quare sunt, qui putant nomina huiusmodi cum in Genitiuo casu ponuntur, ἐλλειπτικῶς poni, * *vt sit, Damnare furti, &c. pro damnare crimine furti, &c. dictum.*

* Linac. lib. 4.

Cicero autem etiam inuerso ordine dixit: *Inertiam accusas adolescentum, pro, Adolescentes accusas inertiæ.*

Singulare est, *Expostulauit mecum de non [illegible].*

REGVLA IIII.

Asciscunt & æstimandi verba * Genitiuum vel Ablatiuum pleraque, sed Genitiuum frequentius, vt:

* Valla lib. 3. capit. 1. Eras. lib. 1. de cop. verb. cap. 71.

Tu fortasse quid me fiat, parui pendis. Terentius, [*in Heautont. act. 4. scen. 3.*] *Omnes vnius æstimemus assis.* Catullus, [*ad Lesbiam epig. 5.*]

Respicio vos nihili meam gratiam facere. Plautus, [*in Curcul.*] *Item: huius non faciam. Et:* [*in Eunuch. act. 3. scen. 1.*] *Omnes inuidere mihi, ego non flocci pendere.*

Cum Ablatiuo autem, vt:

Gloriosa sapientia non magno æstimanda est. Cicero. *Et: Data magno æstimas, accepta paruo.* Seneca. *Sed hæc rariora, vt diximus.*

Huc pertinent & illa:

Aequi boniq; facere. Et:

Aequi boniq; consulere. Nam & hæc reputandi significationem habent. †

† Budæus in posterioribus annotat. in П.

REGVLA V.

Quæ copiam * & contra significant, modo Genitiuum, modo Ablatiuum recipiunt, vt:

* Eras. lib. 1. de cop. cap. 169.

Egét

Eget æris Cappadocum rex. [*Horat. lib.* 1. *ep.* 6.] *Et:* *Non eget Mauri iaculis, nec arcu.* *Horat.* [*lib.* 1. *carm. Od.* 22.]

Sic & Indigeo, Terent. [*in And. act.* 5. *sc.* 3.] *Quasi tu huius indigeas patris.* *Et Cic. in epist.* [*lib.* 12. *ep.* 11.] *Nunc te cohortatione non puto indigere.* *Impleo, Virgilius,* [1. *Aeneid.*] *Implentur veteris Bacchi. Cicero,* [*Philip.* 2.] *Is vomens frustis esculentis totum tribunal impleuit, &c. Compleo, Plaut.* [*in Amphit.*] *Erroris ambo ego illos & dementiæ complebo. Et: Virg.* 2. *Aen.*] *Uterumq; armato milite complent, &c.*

Saturo. Terent. [*in Heaut. act.* 4. *sc.* 8.] *Næ tu propediem istius obsaturabere.* *Et Cicero,* [2. *de natura deor.*] *Saturnus appellatus, quod saturetur annis, & similia alia.*

Careo quoque cum Genitiuo posuit. *Terent.* [*in Heaut. act.* 2. *sc.* 4.] *vt: Omnes mihi labores fuere, quos cœpi, leues, præterquam tui carendum quod erat.* Sed vsitatius tamen cum Ablatiuo iungitur, vt: *Venter caret auribus. Et: Morte carent animæ.* [*Ouid.* 15. *Metamorph.*] Quemadmodum & *Repleo, Expleo, Abundo, Effluo, Vaco,* & cætera pleraq;.

REGVLA VI.

Recipiunt & Genitiuos vel Ablatiuos promiscue, quæ curam aut perturbatio-

 nem

nem animi aliquam significant, vt:
Discrutior animi. Terent. [*in Adelph. act. 4. sc. 4.*] *Et: Discrutior animo.*
Animiq; sese angebat. Terent. [*in princ. Heaut.*] *Et: Angor animo, apud Ciceronem,* [*de claris Orat.*] *&c.*
Sic & pendeo animi, alibi inuenies. [*Cic. l. 8. ep 5.*] *Et: Pendemus animis.* [*1. Tuscul.*] *Et: Territus animi quod Liuius dixit lib. 7. dec. 1.*
Misereor autem Genitiuo tantum, apud idoneos autores iunctum reperitur, vt:
Nil nostri miserere, mori me deniq; cogis. Virgilius, [*eclog. 2.*] *& Plautus* [*in Captiuis.*] *Neminis misereri certum est, quando mei nemo miseret.*

At *miseror, aris, primæ coniugationis,* quod idem quod deploro proprie significat, Accusatiuum asciscit, *vt apud Cæsarem,* [*lib. 1. de bell. Gall.*] *Abditi in tabernaculis, aut suum fatum querebantur, aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur, &c. Poëtæ tamen etiam pro Misereor vtuntur, vt Virgilius,* [*6. Aeneid.*]
Phœbe graues Troiæ semper miserate labores.

Pertinet ad hanc regulam *& Satago, vt apud Terent.* [*in Heautont. act. 2. scen. 1.*] *Etsi is suarum rerum satagit, &c. hoc est, anxius & solicitus est de rebus suis.*

Illa vero apud Virgilium, [*in 11. Aeneid.*]
Iussi-

Iusticiæne prius mirer, belline laborum. Et: *Nec memini veterum, lætorue laborum,* & similia, Græcorum more dicuntur. *Eodem enim modo & illi dicunt,* θαυμάζομαι τῆς δικαιοσύνης, τῶν πολεμῶν, *&c.* κατ' ἔλλειψιν τοῦ ἕνεκα. *Hoc est, vt intelligas particulam caussa, vel Gratia.*

REGVLA VII.

Substantiuo item verbo subijcimus Genitiuum vel Ablatiuum, cum formam aut qualitatem alicuius describimus, vt:
Terent. [in And act. 5. sc. 2.] Cum faciem videas, videtur esse quantiuis precij. *

* Lin. in lib. 4. in hoc vult subaudiri appellatiuum homo vel res.

Idem, [in And. act. 3. scen. 5.] Quandoquidem tam iners, tam nulli consilij sum.
Et Columella [lib. 6. cap. 37.] Ab aspectu non aliter probari debet, quam vt sit amplissimi corporis, ceruice valida, &c.
Item Cæsar: [lib. 5. de bell. Gall.] Cicero erat tenuissima valetudine.
Suetonius, [in Iulio, cap. 2.] Reliqua militia secundiore fama fuit.
Cicero, [lib. 2. de Orat.] Annibalis nomen magna apud omnes gloria fuit.
Et ad Atticum idem, [lib. 2. ep. 7.] Mira sum alacritate, &c. Sic &:

Esse animo vacuo, [*Cicero de clar. orat.*] *magno,* [*lib. 1. ep. 2. ad Q. Frat.*] *læto, bono, &c.* dicimus: Est enim vsitatior Ablatiuus.

Sed tamen etiam hic interdum accedit præpositio, vt: *Magna in mœsticia sum. Cicero in Philip. 2. Et: Esse in eadem voluntate,* [*lib. 11. ep. 13. sententia, opinione,* [*Cicero lib. 8. ad Attic. ep. 15. scelere,* [*pro Syll.*] *infamia,* [*lib. 2. ad Attic. ep. 12.*] *&c. apud eundem passim.*

Atque hactenus de Genitiuo.

DATIVVS CVM VERBO.

PRIMA REGVLA.

Quodlibet verbum admittit Datiuum personæ aut rei, cui qualicunque modo aliquid acquiritur vel adimitur, vt:

Tribuo illi eruditionem. [*de clar. orat. Cic.*]

Gero tibi morem. [*Cic. 2. de natur. deor.*]

Dat veniam coruis vexat censura columbas. Iuuenalis, [*sat. 2*] Sic & absoluta pleraque, vt:

Benedico tibi. Maledico illi.

Cic. [*2. de Orat.*] *Si quis alteri maledicit, petulans videtur.*

Idem, [*lib. 2. ep. 14.*] *Cæsari honestissime cupio, pro faueo. Et:*

Terent. [*in Adelph. act. 5. sc. 7.*] *Dij tibi benefaciant, cum te video nostræ familiæ tam ex animo*

factum

factum velle, &c. Item:
Obsequor patri. *Assentior Catoni.*
Glycyrrhiza medetur tussi, & similia.

Sed tamen inuenies multa quæ pro Datiuo etiam alios casus recipiunt, vt:
Studeo huic rei, & Studeo hanc rem. Quintil. [*lib. 7. cap. 3.*] *Abdicatus medicinæ studuit.*
Et Terent. [*in And. act. 1. scen. 1.*] *Horum ille nihil egregie præter cætera studebat.*
Antecello omnibus. *Et: Antecello omnes.*
Sic & Præcello. Antecedo huic. Vt: Si huic rei illa antecedit. Cicero, [*in Topicis.*] *Et: Antecedo hunc, vt: Paulum Gracchum ætate antecedens. Idem de clar. Orat.*
Anteeo omnibus. *

* Cicero in 5. de finibus, Præstantia animi omnibus bonis corporis anteit.

Et: Anteeo cæteros. *Idem:* [*2. Offic.*]
Præcurrere cognitioni. [*1. lib. Academ. q.*] *Et: Præcurrere rationem.* *Idem,* [*1. Offic.*] *Item: Moderari iræ. Et: Moderari iram, &c. Item: Sum dicto audiens tibi.* [*2. de diuinat.*] *Et: Sum dicto audiens prætoris, cum Genitiuo.* [*in Verrin. 6.*] *Cælius,* [*lib. 8. ep. 4.*] *Omnes oportere senatus dicto audientes esse.*
Consulo tibi. *Et:*
Consulo in te. Terent. [*in Heaut. act. 3. sc. 1.*] *Pessime istuc in te atque illum consulis.*
Incumbo huic negocio. † *Et:*

† Valla libro 3. cap. 44.

Incumbo in hoc negocium. * Valla libro 5. cap. 85.

Vaco huic rei. * *Et:*

Vaco in hanc rem. Ouidius, [*lib. 3. de pont. eleg. 3.*]

In nullum mea mens grande vacabat opus.

Incessit regibus discordia, apud Virgilium, [*4. Georg.*] *Et:*

Noua isthæc incessit te religio. Terentius, [*in And. act. 4. scen. 3.*] † † Valla libro 3. cap. 45.

Cuius generis & hæc videntur :

Allatum est nobis. [*Cic. de Clar. Orat.*] *Et:*

Allatum est ad nos. [*Cic. lib. 3. ep. 10.*]

Retulit ille mihi. * * Valla libro 3. cap. 38.

Retulit ad senatum, &c.

Item :

Dono tibi librum. † *Et:* † Valla libro 5. cap. 43.

Dono te libro.

Aspersit tibi labem. * *Et:* * Cicero in Vatin. Clarissimo viro labeculam aspergis. Idem pro Plancio. Vitæ splendorem maculis aspergis.

Aspersit te labe.

Impertit tibi pecuniam. *Et:*

Impertit te salute. † † Linac. lib. 4. Aliaque complura quæ vsus & diligens lectio autorum docebit.

Caueo autem tibi. *Et : Caueo te, vel à te.*

Metuo tibi. *Et : Metuo te, vel à te.*

Consulo tibi. Et : Consulo te. Vall. lib. 5. cap. 40.

Ausculto

Auscu'to tibi. Et: Ausculto te. Vall. lib. 3 c.42.

Prospicio tibi, & Prospicio ventura, & similia alia, significatione differunt, *quemadmodum & Præsto tibi, & Præsto te, vt: Homo homini quid præstat? Terent. [in Eunuch. act. 2. sc. 2.]*

Et Virg. [Aeneid. 11.] Ibo animis contra, vel magnum præstet Achillem, &c. Item:

Medicor tibi, pro Medicinam adhibeo. † *Et:*

† Virgil. 2. Georg. Senibus medicantur anhelis.

Medicor morbum, pro, curo, & id genus alia.

Pertinent autem ad hanc regulam pleraque composita verba, præsertim quæ cum his præpositionibus, *Ad, Ante, Post, Inter, Ob, In, Sub, Præ, De, Con, & Re,* componuntur. *Quorum omnium exempla vel ipse congeras licet, vel ab alijs petas. Nimis enim longum foret, singula hic recensere. Et qui regulæ sensum satis tenet, is pluribus hic opus non habet.*

REGVLA II.

Verbo est, habendi significatione cum Datiuo vtimur, vt:

Est mihi namq; domi pater, est iniusta nouerca.
[Virg. eclog 3.] Et: [Persius sat. 5.]
Tecum habita & noris, quam sit tibi curta supellex.
Item: [Ouid. in ep. Heroid. Helen. ad Par.]

An nescis longas regibus esse manus.

REGVLA III.

Quibusdam verbis gemini Datiui addun tur, quorum alter personam, alter commodum aut incommodum significat, vt: *

* In his Datiuum pro Nominatiuo positum existimat. Linac. libro quarto.

Est mihi lucro. Est mihi odio.

Sunt exitio Rebuspublicis intestinæ dissensiones.

Horat. [lib. 1. serm. sat. 6.]

Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim.

Et Terent. [in Adelph. act. 3. sc. 3.] Vtrum studione id sibi habet, an laudi putat fore.

Ex quibus tamen & hic varie quædam efferuntur, vt:

Noxæ esse, [Liuius lib. 10. ab V. C.] Et: Esse in noxa. [Ibidem, lib. 2. decad. 4.]

Moræ esse, Et: Esse in mora, [Cicero, lib. 10. ep. 31.] &c.

REGVLA IIII.

Sunt & quibus figurate Datiuus adijcitur Accusatiui loco vel Ablatiui.

Accusatiui, vt:

It clamor cœlo. † *Virgilius [Aeneid. 5.] pro ad cœlum. Et: [Aeneid. 7.]*

† Hunc datiuum octauum casum esse Seruius ait.

Belloq;

Belloq; animos accendit agrestes, pro, ad bellum.

Ablatiui, vt:

Neque cernitur vlli * [*Aeneid.* 1.] *pro, ab vllo, quæ forma frequens adeo est apud Poëtas.*

* Linacer ad Hellenismum refert in 6. quod in his dictio non ei casui iungitur, quem Latina proprietas exigit, sed Græca.

Item : [*eclog.* 5.] *Solus tibi certat Amyntas, pro, tecum. Et :* [3. *Georg.*] *Arcebis grauido pecori, pro, à pecore. Et :* [*eclog.* 7.] *Solstitium pecori defendite, &c.* In quo exemplo etiam Hypallage est, *pro defendite pecus à Solstitio.*

Atque huc pertinent etiam illa, de quibus supra † inter nomina diximus, *vt apud Liuium,* [*lib.* 4. *ab V. C.*] *Sitne aliquis plebeius ferendo magno honori. Et apud eundem,* [*lib.* 8. *decad.* 3. *Rempublicam esse gratiæ referendæ. Item, Esui esse,* [*Macrob. lib.* 3. *cap.* 19.] *Soluendo non esse,* [*Cic.* 2. *de Offic.*] *& similia.*

† Pagina 382.

In quibus adiectiuum par vel idoneum, vel simile aliquid desiderari volunt.

ACCVSATIVVS CVM VERBO.

PRIMA REGVLA

Actiua verba omnia Accusatiuos asciscunt, vt :

[*Afra-*

[Afranius in Stella apud Gell. lib. 13. cap. 8.] Vsus me genuit, mater me peperit Memoria. Sophiam vocant me Graij, vos sapientiam. Item : [Eras. chil. 1. Cent. 3. adag. 67.] Auriculas asini Mida rex habet. Et : Eras. [chil. 1. cent. 8. pro. 96.] Virum malum vel mus mordeat, &c. Estq; hic proprius actiuorum casus, qui personam vel rem significat, in quam transit actio.

Actiua autem intellige non tantum quæ generis actiui sunt, sed quæcunque significationem actiuam habent, siue deponentia, siue communia eadem fuerint, vt : *Vereor hominem. Sequor illum. Largior pecuniam. Amplector virtutem, &c.*

Porro sunt hic admonendi pueri non omnium nominum Accusatiuos promiscue omnibus actiuis subijci posse, sed habendam esse rationem φράσεως. * *Interest enim inter hæc : Feci damnum*, † *& Dedi damnum, [Terent. in And.] Facere modum, [Cicero de leg.] &, Habere modum vitæ, apud Terent. [in And. act. 1. scen. 1.] Habeo orationem, rectum est. Facio orationem, rectum non est. [Vall. lib. 5. cap. 97.]*

* Id est, elocutionis. Vide Fabium, lib. 8. cap. 1. Eras. lib. 1. de cop. Vall. lib. 3. cap. 5. † Cic. de clar. Orat.

Rectum est, Facio verba. Non rectum, Habeo verba. Differt item : Do verba. Et :

Capio

Capio voluptatem, rectius est, quam Cepit me voluptas. Et:
Cepi dolorem, & accepi dolorem, vsitata sunt, non autem, Cepit me dolor, &c.
Contra, Cepit me obliuio, recte dicitur, non autem, Obliuione captus sum. [Valla lib. 6. cap. 3.]

Quædam etiam bifariam dicuntur, vt:
Intueri imaginem, & : Intueri in speciem rerum. *

* Valla lib. 3. cap. 69.

Mereri laudem, & : Mereri bene de aliquo, &c.

Sed hæ figuræ in quotidiana lectione autorum deprehenduntur: *Quas nos his præceptionibus inserere noluimus, ne onerarentur infirma ingenia, nimia commentarij prolixitate. Et congesserunt Valla & Hadrianus Cardinalis, non contemnendum numerum huiusmodi formularum, qui proponendi sunt pueris, vbi prima elementa Grammaticæ perceperunt. Est enim his qui pure loqui student, opera danda, vt in promtu habeant magnam supellectilem, non modo bonorum verborum, sed & formularum sermonis, quæ in vsu veterum fuerunt. Nam ita demum redolebit sermo Latinam phrasin, & perspicuus erit, cum in compositione verborum, veterum exempla & consuetudinem imitabitur. Sed redeo ad regulas.*

REGVLA II.

Asciscunt & neutra quædam Accusatiuos,

uos, sed cognatæ significationis, vt:
Aro terram. *Bibo vinum.*
Saltat fabulam. *Dormit somnum Epimenideum,*
[*Eras. chil.* 1, *Cent.* 9. *prouerb.* 64.]
Item: Pastillos Rufinus olet, Gorgonius hircum.
* *Horat.* [1. *serm. sat.* 2.] * Eras. chil. 2. centur. 9. prouerb. 48.
Et:
Vineta crepat mera. Idem, [*lib.* 1. *ep.* 7.]
Et quæ Græcorum exemplo dicuntur.
Gaudeo gaudium. λιρῶ λῆρους.
Quæ verba αὐτοενεργητικὰ, *vt supra diximus, vocantur, quod absolute, & quasi intra se actionem significent.*

Vertitur tamen hic Accusatiuus in Ablatiuum aliquando, vt: *Diu videor vita viuere, pro, vitam. Plaut. in Mil. Et: Morte obijt repentina, pro, mortem. Suet.* [*in Augusto, cap.* 4.] *Non licet recta ire via, pro, viam, Seneca, &c.*

Nam alias neutra sine Accusatiuis absoluunt sententiam, ideoq; Absoluta verba vocauit ea Priscianus, * vt: [*Iuuenal. sat.* 14.]
* Lib. 8. cap. de signific. verborum.
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

REGVLA III.

Construuntur cum Accusatiuo & composita quædam, vi præpositionis, cum qua componuntur, vt:

Villam

villam prætereo sciens. Terent. [in Eunuch. act. 4. scen. 2.] Transiliit metam.
Præteruecti sumus scopulos. [5. Aeneid. Virgil.]

REGVLA IIII.

Quæ mensuram aut spacium significant, Accusatiuo casu vel Ablatiuo cum verbis iunguntur.

Accusatiuo, vt:

Cum abessem ab Amano iter vnius diei, &c. Cic. [lib. 15. ep. 4.] Hercyniæ siluæ latitudo nouem dierum iter expedito patet. [Cæsar, lib. 6. de bell. Gall.] Sic Plinius de Mausoleo [lib. 36. cap. 5.] Patet ab Austro & Septentrione sexagenos ternos pedes. Et Virgil. [Eclog. 3.] Treis pateat cœli spacium non amplius vlnas.

Ablatiuo, vt:

Nec longis inter se passibus absunt. Idem [11. Aeneid.] Et: Iugeribusq; nouem summus qui distat ab imo. Ouid. [in Ibin.]

Aliquando etiam præpositionem addunt vtrique casui, vt:

Murrhino capaci ad sextarios tres. Plin. [lib. 37. cap. 2.] Et: Cum à mille fere passibus castra posuisset. Liuius, lib. 4. decad. 3.

REGVLA V.

Certa

Certa quædam actiua sunt, quæ duos Accusatiuos asciscunt, vt:

Doceo te literas. * *Celo te culpam.*

Iudico te beatum. *Facio te apud illum Deum.* [*Eras. chil.* 1. *Cent.* 5. *prou.* 99.] *Ouidius.* [1. *Metam.*] *Petit hanc Saturnia munus.*

Virg. [11. *Aeneid.*] *Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.*

* Cicero in Pisonem.

Hæc vocant Grammatici διαβατικὰ, hoc est, Transitiua, *eo quod transmigret in duos Accusatiuos eorum actio, alterum qui personam significat, & alterum qui rem, quæ agitur.*

Sunt autem fere verba Docendi, Monendi, Vocandi, Rogandi, Postulandi, Vestiendi, Præstandi, Faciendi, & id genus alia. *Quorum quæ communiora sunt, fere his versiculis comprehenduntur:*

Flagito, Posco, Peto, Moneo, Rogo, Postulo, & Oro,
Exoro, Admoneoq; , Interrogo, Vestio, Cingo,
Induo cum Doceo, cumq; Exuo, Calceo, Celo.

Sed ex ijs tamen quædam pro altero Accusatiuo, interdum Ablatiuum recipiunt cum præpositione, vt: *Interrogo te hanc rem, & de hac re. Doceo te aduentum meum, & de aduentu meo.* † *Celo te has res, & de his rebus. Cicero in epist.* [*libro* 5. *ep.* 3.]

† Cæs. in ... de bell. Gall.

Existi-

Existimare debes te maximis de rebus à fratre esse celatum. Item:
Precor te veniam, &c, Precor abs te veniam.
Peto te hanc rem, &c, Peto abs te hanc rem, quæ vsitatiora sunt.

Quædam etiam trifariam dicuntur, vt: *Induo te vestem, Græce: Induo tibi vestem.* Et: *Induo te veste.* Sic & *Exuo.*

Porro transitiuorum constructionem & alia interim verba sequuntur, vt:
Dedit filiam suam Pamphilo vxorem.
Sumsit te iudicem, [Cic. ad Brut. ep. 6.] *testem, &c.* In quibus tamen præpositio In, subintelligi videtur, *pro, in vxorem, in iudicem, in testem, &c.*

SYNECDOCHE.

Est & vbi figuratè Accusatiuus adijcitur verbis passiuis & absolutis, Græca consuetudine, vt:

Lucanus, [lib. 9.]
Pluribus ille notis variatam tingitur aluum.
Expleri mentem nequit, ardescitq; tuendo.
Virg. [1. *Aen.*] *Et :* [2. *Aen.*] *Implicat, & miseros morsu depascitur artus.* Item: [3. Georg.]
Micat auribus & tremit artus. Idem, [Ibid.]
Tollentemq; minas, & sibila colla tumentem.
Sic dicimus: Doleo caput. Rubet capillos, &c.

Grammatici [illegible] vocant, quod cum

cum verbum Nominatiuo totius respondeat, per Accusatiuum mox ad partem restringatur: *Est enim proprie συνεκδοχὴ siue comprehensio, quando pars pro toto, aut species pro genere ponitur, vt:* [2. *Aeneid.*]

Patrio te limine sistam, id est, domo. Et: [*eod. loco.*] *Mucrone corusco, pro gladio, et id genus alia.*

ABLATIVVS CVM VERBO.

PRIMA REGVLA.

Passiuorum proprius casus est Ablatiuus, cum præpositione A vel Ab, vt: *Laudatur ab his, culpatur ab illis.* Horat. [1. *serm. sat.* 2.] *Et:*

Ego quoq; à meis me amari, & magnipendi postulo. Terent. [*in Adelph. act.* 5. *scen.* 4.]

Fit autem hic Ablatiuus ex Nominatiuo actiui, quemadmodum rursum Accusatiuus, qui proprius actiuorum est, in Nominatiuum vertitur, * vt:

Ego lego Virgilium.
Virgilius à me legitur.
Clodius proscripsit Ciceronem. *Et:*
Cicero à Clodio proscriptus fuit.

* Vide Vall. libro 3. cap. 39.

Inuenias tamen apud Poëtas, † vbi Datiuus pro Ablatiuo figurate ponitur, vt: per Enallagen vel Antiptosin

† Seruius Græcam antiptosin in his esse censet.

[1. Ae-

[1. *Aeneid.*] *Visus mihi, pro à me.* *Et:*
[11. *Aeneid.*] *Nulli exaudita deorum*
*Vota precesq; meæ, &c. pro à nullo. Sed de hac figura etiam supra * meminimus.* * Pag. 421.

Quod autem supra de actiuis monuimus, idem hic de passiuis intelligendum, vt pro passiuis accipias, quæcunque patiendi significationem habent, vt:

Mundus per se, & à se patitur, & facit omnia. Cic. [*de vniuersi.*]
Anima quæ in pulmones ducitur, calescit ab ipso spiritu. Idem de nat. deor. [*lib. 2.*] *Item:* [*Fab. Quintil. lib 12. cap. 1.*] *Fabricius respondet se à ciue spoliari malle, quàm ab hoste venire, pro, vendi.*

REGVLA II.

Ablatiuo casu efferuntur, quæ caussam, instrumentum, aut modum actionis significant.

Caussam, vt:

Oderunt peccare boni virtutis amore. Horat. [*lib. 1. ep. 17.*] *Et:*
Luxuriant animi rebus plerunq; secundis. Ouid. [*in 2. de arte.*] *Item:*
Pudore prohibitus. Furto lætatus inani, [*Virg. 6. Aeneid.*] *& similia.*

Instrumentum, vt:

Obsequio retinetur amor, &c.
Ferit illum gladio.
Percutio hunc pugno, &c.

Modum, vt:

Res magna dexteritate acta.
Punica religione seruata fides. Liuius, [lib. 2 decad. 3.] *Et:*
Non facile est æqua commoda mente pati, Ouidius, [2. de arte.]

Huc pertinent & illa:

Conflictari graui pestilentia.
Laborare febri, morbo, [Cic. 1. de finibus.] &c.
Laborare capite, pedibus, intestinis, &c. Et, quæ cum verbis Afficio & Prosequor efferuntur, vt:
Afficior magna voluptate. [Cic. in 3. de finibus.] honore, [Idem, pro Sex. Rosc.] &c.
Prosequuntur me summa beneuolentia, amore, etc.

Nam & hæc quodammodo instrumentum vel caussam significant.

Aliquando tamen & *Præpositio* additur in quibusdam, vt:

Laborat ex pedibus. [Cic. lib. 9. ep. 23.]
Et: Rem cum summa modestia peregit, & similia, præsertim vbi modi significatio aliqua est.

REGVLA III.

Mercandi quoque verba, & quæ eius generis

neris ſunt, Ablatiuum aſciſcunt, qui precium ſignificet, vt:

Vendidit hic auro patriam. *Et:*

Fixit leges precio atq; refixit. *Virg. [6. Aen.]*

Item: Nihil carius conſtat, quam quod precibus emitur. *Et: [Virg. 10. Aen.]*

Haud illi ſtabunt Aeneia paruo
Hoſpitia, &c. *Et:*

Paruo cum precio diu liceret. *Martial. [lib. 6. epig. 65.]* Vbi illud obiter quoq; notandum:

Licere actiua voce, idem eſſe quod proſtare, & quaſi æſtimatum dari, feyl ſein.

Liceri autem & Licitari, precium deferre certum venditori, feylſchen, darauff bieten, vt apud Perſium, [ſat. 5.]

Et centum Græcos curto centuſſe licetur.

Valeo, cum accuſatiuo & ablatiuo reperitur, vt Denarij, quod denos æris valebant, quinarij, quod quinos, &c. dicti. Varro, [lib. 4. de ling. Lat.] Et: Scrupulum valebat ſeſtercijs vicenis, Plinius, [lib. 33. cap. 3.] Quæ poſterior forma frequentior eſt.

Excipiuntur, *Tanti, Quanti, Pluris, Minoris*, quæ Genitiuo caſu cum verbis mercandi ponuntur, vt:

Magis illa iuuant, quæ pluris emuntur. Iuuenal. [ſat. 11.] Et: Non vendo pluris quam alij, fortaſſe etiam minoris: Sed tamen hi Genitiui, cum adduntur ſubſtantiuis, in Ablatiuos vertuntur, vt: *Quanto metiris precio. Iuuenal. [ſat. 9.] &c.*

REGVLA IIII.

Quæ prohibendi ſignificationem habent, item auferendi, abſtinendi, aut diſtandi, ablatiuos aſciſcunt, ſed aliâs cum præpoſitione, aliâs ſine præpoſitione, vt

Virg. [4. *Georg.*]
Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.
Idem : [*eodem loco.*]
Inſtabiles animos ludo prohibebis inani.
Lucanus, [*lib.* 4.] *A trepido vix abſtinet ira* magiſtro.* *Ouid.* [*in ep. Helen. ad Par.*]

* Ora, legit Aldus.

Eſt virtus, placitis abſtinuiſſe bonis. Quod verbum etiam actiue interdum ponitur cum Accuſatiuo, *vt apud Liuium :* †

† Liuius lib. 1. dec. 3. Ab vno eo ferrum ignemque & vim omnem hoſtium abſtineri iuſſit

Abſtinere vim, ignem, &c. *Et :*
Abſtinere manus ab alienis pecunijs. [*in Verrin.* 7.]

Superioribus autem ſimilia ſunt :
Abſtulit à me pecuniam. *Et :*
Abs quouis homine, cum eſt opus, beneficium accipere gaudeas. Terent. [*in Adelph. act.* 2. *ſc.* 3.] *Cedere de dignitate, fortuna, repub.* [*Cic. ad eq. Ro. anteq. ir. in ex*] *&c. Et : Cedere via, curia, templis.* [*Cicer ad Octauium, &c.* Sine præpoſitione. *Exulo domo,* [*Terent. in Eunuch. act.* 2. *ſc.* 5.] *patria*

5.] *patria*, [*Cic. Tusc.* 3.] *&c. exulat à conuiuijs*, *apud Macrobium*, [*lib.* 7. *Satur. cap.* 1.] *Superse-deo labore*, pro, *abstineo*, sine præpositione, *vt apud Ciceronem in Epist.* [*lib.* 4. *ep.*2.] *Supersedeas hoc labore itineris.*

Abest à Roma. Distat ab vrbe, &c. cum præpositione. *Ouidius*: [4. *Trist. eleg.* 10.]

Millia qui nouies distat ab vrbe decem.

Et quæ bifariam dicuntur.

Abhorret à literis. *Et:*

Sæuaq; abhorrebas prisci præcepta parentis, *apud Catullum*, [*epig.* 60.]

Interdixit eis igni & aqua. [*Cic. lib.*11. *ep.*1.] *Et: Interdixit histrionibus scenam. Sueton.* [*in Domit. cap.* 7.] *Differt ab illo.* [*Cic. pro Cecinna.*] *Et: Differunt inter se.* [*Cic. in Orat.*] *&c.* Sed & hoc verbum aliquando actiue vsurpatur, *vt cum dicimus, Differre diem*, [*Cic. pro Deiot.*] *tempus*, [*Cic. de prou. consul.*] *vadimonium*, [*Cic. pro Quintio.*] *&c.*

REGVLA V.

Ablatiuos asciscunt & hæc deponentia,
Vtor, Fruor, Fungor, *
Potior, & Vescor, vt:

* Valla lib. 5. cap. 5. lib. 3. cap. 34. lib. 4. cap. 53.

Vtor vino.

Fruor studijs meis.

Fungor officio. [*Cic. pro Cælio.*]

Potitus sum imperio.
Vescor lacte, caseo, carne, &c. [5. *Tusc.*]

Sed ex his, Vtor, Fungor, & Potior, apud vetustissimos cum Accusatiuo quoque posita reperiuntur, vt:

In Prologis scribendis operam abutitur. Terent. [*in Prolog. And.*] Et: [*Adelp. act. 3. sc. 4.*] *Neq; boni, neq; liberalis functus est officium viri.* Idem: [*in Adelph. act. 3. sc. 5.*] *Et: Patria potitur commoda.* Idem: [*in Adelph. act. 5. scen. 4.*]

Postremum autem hoc, cum vincere atque imperare significat, etiam Genitiuo construitur, vt: *Rerum potiri putant.* Cicero, [*in Catil. 2.*] Et: *Si eius oppidi potitus foret.* Salust. [*in Iugurtha.*]

REGVLA VI.

Præpositio quoque omissa, vel per compositionem addita, facit interdum vt verbis ablatiuus recte addatur, vt:

Ouid. [2. *Metam.*]
Medio tutissimus ibis, pro, in medio.
Eiecit eum sedibus suis, pro, è sedibus.
Pedem porta non extulit. Suet. [*in Tiber. cap. 38.*] *pro extra portam.*

Sic, Quanta spe decidi. Terent. [*in Heaut. act. 2. sc. 3.*] Et: *Magnis tamen excidit ausis.* Ouidius, [2. *Metamorph.*]

Figurata

Figurata sunt:

Parce metu Cytherea. [*Aeneid.* 1.] *Et : Venatu inuigilant pueri.* [9. *Aeneid.*] *&c. pro metui & venatui.*

NOMINA TEMPORIS.

Omnino Ablatiuus circumstantiarum casus est, *proinde & temporum nomina & locorum, eodem plerunque efferuntur. Tametsi eadem illa etiam aliis casibus interdum secundum diuersitatem significandi vsurpantur. De quibus accipe has regulas.*

PRIMA REGVLA.

Ablatiuo nomina temporis efferuntur, cum speciem magis quam durationem * significamus, vt:

* Et hæc respondentur ad quæstionem factam per quando, Vall. lib. 3. cap. 53.

Superioribus diebus veni in Cumanum, Cicero.
Puncto temporis maximarum rerum momenta vertuntur, Liuius, [*lib.* 3. *ab V. C.*]
Omnia plenilunio maria purgantur, Plin. [*lib.* 2. *cap.* 98.]

Sic dicimus: *Adulta ætate profectus est.* [*Liuius, lib.* 3. *ab V. C.*] *Exacto mense rediit. Longo post tempore veni.* [1. *eclog.*] & similia.

Non enim recte dicitur : Superiores dies veni in Cumanum. Neque secutus est analogiam Terentius, cum dixit : [*in And. act.* 1. *sc.* 1.]
Interea mulier quædam ab hinc triennium,
Ex Andro commigrauit huic viciniæ, &c.
Nam triennium hic non significat durationem, sed factum, quod semel accidit ante triennium. Duo itaque Græcismi sunt : Triennium, pro, triennio, & Huic viciniæ, pro in hanc viciniam.

Hoc loco & illa notanda sunt.

Id ætatis, * *pro, ea ætate.*

*Liu. lib. 10. ab V.C. Qui se id ætatis sollicitassent.

Illud horæ, pro ea hora, & similia. Nam & hæc Græcorum more dicuntur.

Terent. [*in Heaut. act.* 1. *scen.* 1.] *Ego istuc ætatis non amori operam dabam.*

Sueton. in Nerone, [*cap.* 26.] *Quare nunquam se publico illud horæ sine tribunis commisit, &c.*

REGVLA II.

Accusatiuus frequentior est ijs, quæ durationem † seu tempus continuum significant, vt :

† Hæc redduntur ad interrogatiuum quam diu.

[1. *Aen.*] *Vna cum gente tot annos bella gero.*
Et : [*Ibidem.*]
Hic iam tercentum totos regnabitur annos.
Et : Noctes atq; dies patet atri ianua Ditis. *Virgil.*

gil. [*6. Aeneid.*] *Item : Tertium iam annum & vicesimum regnat.* *Biduum abfuit.*

*Non plus triduum, * vel triduo. Cicero,* [*pro Sex. Roscio,*] *&c.*

* Terent. in Eunuch. act. 1. sce. 2. Non plus biduum.

Vtrisque autem casibus interdum & præpositiones accedunt, vt:

Annos ad quinquaginta natus. [*Cic. pro Cluent.*]
Tribunitiam potestatem in quinquennium accepit.
Accidit in paucis diebus. Ter in And. act. 1. sc. 1.
Et : Paucis diebus.
De die epulari. [*Liuius, libro 3. dec. 3.*] *Et : Die.*
Horatius, [*lib. 1. ep. 2.*]
Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones.
Terent. [*in Adel. act. 5. sc. 3.*] *Caeterum rus cum prima luce ibo hinc. Item : Venit tertio calendas, & ad tertium calendas, & tertio calendarum.*

Huc pertinent & illæ formæ :

Est in diem quod minitare, auff borg. [*in Eunuch. act. 5. scen. 7.*] *Et : In diem viuere.* [*Cicero, 5. Tusc. q.*] *pro, non cogitare de crastino.*
In horam, [*Cic. in Philip. 5.*]
In posterum, [*Idem pro Murena.*]
In reliquum, [*contra Rull.*]
In aliud tempus, auff ein ander zeit, &c.

LOCORVM NOMINA.

Nominibus regionum præpositiones, sicut

ſicut & appellatiuis adduntur, ſiue verbis in loco, ſiue de loco, ſiue ad locum ſignificantibus, adijciantur. *Vt: Fronſpergius duxit exercitum in Italiam. Gallus in Italia dominari cupit. Gallus ex Italia profectus eſt.* Sicut: *Venio in vrbem. Sum in vrbe. Proficiſcor ex vrbe, &c.* [*ad Attic. lib.* 15.*ep.*5.]

Figuratum itaq; eſt apud Virg. [1. *Aen.*]
Italiam fato profugus, Lauinaq; venit
Littora, &c. *Vt &*: [*Eclog.* 1.]
At nos hinc alij ſitientes ibimus Afros.
Et: [1. *&* 6. *Aeneid.*] *Deuenere locos, &c.* Et id genus alia, quæ per Ellipſin à Poëtis dicuntur.

Et ſuo quodam modo dixit in Phormione Terentius, [*act.* 5. *ſc.* 8.] *Cuius vir vxorem Lemni habebat aliam, pro, in Lemno.* Eſt enim eadem ratio inſularum, quæ & regionum.

At recte dixeris:

Arceo hoſtem Italia, quemadmodum &:
Arceo hoſtem vrbe.
Excluſit venientem Gallia, vt:
Excluſit venientem foribus, &c. De quibus ſupra dictum eſt. * Pag. 382.

Propria autem vrbium, abſque præpoſitionibus † cum verbis iunguntur, idq; in hunc modum.

† Præpoſition. enim adiectione ſolœciſmus committitur. Fabius libro ſecundo, capite 9.

PRI-

PRIMA REGVLA.

Vrbium propria primæ vel ſecundæ declinationis, in loco eſſe ſignificant, Genitiuo caſu ſingulari: Tertiæ autem declinationis & pluralia tantum Ablatiuo, vt:
[Gellius lib. 10. cap. 12.] Tarenti degit Archita, qui ligneam columbam volatilem fecit.
Cicero in epiſt. lib. 13. ep. 22. Commendo tibi domum eius, quæ eſt Sicyone.

Horatius, [lib. 1. ep. ep. 8.]
Romæ Tibur amem ventoſus, Tibure Romam.
Item: Delphis Apollo oracula reddebat. Et
Tacitis regnauit Amyclis. Virg. [10. Aen.]

Quibuſdam tamen & Datiuus placet in tertia declinatione. *Dicunt enim:*
Sum Carthagine, [Virg. 4. Aeneid.] & ſum Carthagini, [Cic. ad Att. lib. 16. ep. 3.]

REGVLA II.

Ad locum ſignificat Accuſatiuus cuiuſcunq; numeri, aut declinationis nomina ipſa fuerint, vt:
Noctuas Athenas. [Eraſ. chil. 1. cent. 2. prou. 2.] Proficiſcor Romam.
Confero me Vitebergam.
Carthaginem redyt Regulus, &c. Gellius, [lib. 6. cap. 4.]

Regula

REGVLA III.

De loco autem & per locum ſignificantes, Ablatiuo vtimur, vt :
Carthagine rediјt Scipio.
Roma profectus eſt cum exercitu. [*Liuius libro 5. dec. 3.*] *Et : Athenis habuit iter Paulus.*

Inuenias tamen ſemel atq; iterum etiam ciuitatum nominibus præpoſitiones additas, vt * : *Venit ad Meſſanam, Cicero,* [*Verrin. 7.*] Quod idem fere fit cum proprijs adiectiua, aut alias appellatiua iunguntur, vt : *Sum in vrbe Roma. Et : Propert.* [*lib. 3. ep. 21.*] *Magnum iter ad doctas proficiſci cogor Athenas. Tametſi Ouidius etiam abſque præpoſitione dixerit,* [*in Heroid. Phyll. Demoph.*] *Atque aliquis doctas iam nunc eat, inquit, Athenas.*

* Per Pleonaſmum, vt Linacer putat in 6. Hoc autem fit, quod plura nomina & regionem & vrbem ſignificent.

REGVLA IIII.

Propria ciuitatum imitantur & hæc appellatiua, Domus, Rus, Humus & Militia.

Dicimus enim :

Sum domi. † *Eo domum.* *Venio domo.*

† Valla libro 3. cap. 15.

Et ad

Et additis adiectiuis, *Meæ, Tuæ, Suæ, Nostræ, Vestræ, & Alienæ domi, vt:*
Malo esse cum timore domi meæ, quàm cum periculo domi alienæ. Cicero, [1. Offi] *Item:* *Diodorus multos annos nostræ domi vixit.* *Idem* [*in Tuscul. q. 5.*] *Et:*
Balbus recta à porta domum meam venit. In ep. [*lib. 9. ep. 19.*]

Item cum Genitiuo possessoris, vt: *apud eundem de diuina.* [*lib. 1.*] *Quæ ipsa domi Phalaridis consecrauisset. & ad Attic.* [*lib. 1. epist.* 8] *Clodius deprehensus domi Cæsaris.*
Et ad Varr. [*lib. 9. epist.3.*] *Sed quid ego hæc ad te, cuius domi nascuntur?*
Ouidius autem & plurali numero dixit, [*in ep. Laodam. Prothes.*]

Quo ruitis? vestras quisque redite domos.
Sic dicimus: Sum ruri. [*Cic. pro Cluent.*]
Eo rus. [*Terent. act.4 sc.2. in Eunuch.*]
Et: Redeo rure, &c. Et: Ruri educatus est.
Et apud Terent. [*in Hecyr. act. 1. scen.2.*] *Senex rus abdidit sese. Item: Video rure redeuntem senem, apud eundem,* [*in Eunuch. act. 5, sc.5. Et: iacet humi,* * *Et: Tollitur humo.*

*Virgil. 5. Aen. Procumbit humi bos. Idem, 3. Georg. Qua me quoque possim tollere humo.

Non autem labitur humum. Nam Accusatiuo in hac forma non vtimur. *Virgilius tamen*

men pro Accusatiuo Genitiuo huius nominis significatione ad locum vsus videtur, vt:

Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi, &c. [1. *Aeneid.*]

Militiæ autem solo Genitiuo localiter & absolute vsi sunt autores. Vt: Terent. [*in Adelph. act. 3. sc. 4.*] *Vnà semper militiæ & domi fuimus. Et Salust.* [*con. Catilin.*] *Igitur domi, militiæq; boni mores colebantur.*

DE NVMERALIBVS.

Quoniam autem omnium fere circumstantiarum casus & constructionem hactenus persecuti sumus, non alienum putaui hoc loco & de numeralium vsu aliquid adÿcere.

Sunt autem varia ea nomina.

Quædam enim simpliciter numerum significant, quæ vulgo Cardinalia vocantur, vt: *Vnus, Duo, Tres, Quatuor, &c. & horum interrogatio Quot.*

Alia ordinem significant, * *vt: Primus, Secundus, Tertius, &c. & horum interrogatio Quotus.*

Alia Distributionem, † *vt: Singuli, Bini, Terni, Quaterni, Quini, Seni, Septeni, Octoni, Noueni, Deni,*

* Hæc enim vltimum eius numeri significant, vnde denominantur. Valla lib. 3. cap. 5.

† Hæc singulis multorum eundem numerum distribuunt. Linac. libro 1. & 3.

Vicenn

Viceni, Triceni, Quadrageni, Quinquageni, Sexageni, Septuageni, Octogeni, Nonageni, Centeni, Milleni, &c. Significant enim Bini, ye zween, Terni, ye drey, &c.

Ac ſimplicia quidem numeralia, à cæteris adiectiuis conſtructione nihil differunt, niſi quod & partitiuorum more cum Genitiuo plurali iunguntur, vt: *Mille hominum occidit. Centum ſenatorum proſcripſit, &c. De qua re & ſupra meminimus.* Diſtributiua autem & Ordinalia, peculiarem in quibuſdam vſum habent.

PRIMA REGVLA.

Diſtributiuis vtimur, cum diſtributione facta ſuum cuique parti numerum aſsignamus, vt:

Virgilius, [*Aeneid.* 5.]

Bina boum nobis Troia generatus Aceſtes
Dat numero capita in naues, id eſt, duos boues in ſingulas naues.

Quæ locutiones trifariam efferuntur:

Aut enim Diſtributiuis ſolis vtimur rei acceptæ vel impenſæ, vt: *Conſules binas legiones ſcribere iuſſi. Liuius,* [*lib.* 1. *dec.* 4.] *Et: Binos æris in modios populo diuiſerunt. Idem,* [*eod. loco.*]

aut perſonæ vel rei, cui aliquid acce-

 ptum

ptum vel impensum refertur, nomen singuli adijcimus,& pro Distributiuis, Cardinalibus vtimur, *vt apud eundem,* [*lib. 3. decad. 4.*] *In singulos pedites dati octingenti æris. Et apud Cæsar. lib. 1. Comment. Ad denarios quinquaginta in singulos modios annona peruenerat.*

Aut etiam cum Distributiuis vtimur, nomen singuli adijcimus, vt : *Bini senatores singulis cohortibus præpositi Liuius,* [*lib. 3. ab V. C.*] *& Quina denaria data in singulos pedites. Idem, lib. 5. decad. 4.*

Ergo hoc interest inter Binos, Quinos, Denos, &c. Et inter Duos, Quinq;, Decem, &c. aureos: Quod cum dicis : Deni aurei militibus dati sunt, significas singulos decem accepisse. At cum dicis: Decem aurei militibus dati sunt, significas totam legionem decem tantum accepisse. Atque in hunc modum distributiuis vtuntur autores.

Poëtæ tamen his aliquando abutuntur pro numeralibus simplicibus. *Sic Lucanus, lib. 8. dixit, Septeno gurgite, pro septem gurgitibus. Et : Virg. [1.Georg.] Per duodena regit mundi sol aureus astra, pro, per duodecim astra.*

REGVLA II.

Adduntur & Distributiua numeralia nominibus, quæ pluraliter tantum dicuntur, vt :

[Cic.

[*Cic. in ep. lib.* 10. *ep.* 5.] *Binas literas abs te accepi eodem exemplo.*
Ex vnis nuptijs geminas mihi conficies. [*Terent. in And. act.* 4. *scen.* 1.] *Liuius tamen dixit lib.* 3. *ab vrb. cond. Tribus liberis, quorum nemo Cæsoni cedebat, pro ternis, quod huic quidem voci tanquam peculiare est.* Quanquam & alia huiusmodi contra regulam vsurpata passim inuenias.

REGVLA III.

Ordinis nominibus perinde vt cæteris adiectiuis vtimur, addita tamen fere particula Quisque, * vt:
Tertio quoq; die venire solet, † *ye am dritten tag.*

Liuius, [*lib.* 2. *ab V. C.*] *Decimum quenque militem ad supplicium legit, ye den zehenden.*

* Valla libro 1. cap. 14.

† Cicero pro Rabirio: Tertio queque verbo excitabantur.

Construuntur & cum Genitiuo plurali ordinalia, partitiuorum more, vt:
Quartus quisq; annorum bisextilis est. [*Sueton. in Iulio, cap.* 40] *Vltimus regum Romanorum fuit Superbus,* [*Florus lib.* 1. *cap.* 7.] *Iuuenalis*, [*sat.* 3.] *Pars quota fecis Achææ.*

Quod idem & Cardinalib. familiare est, vt: *Viginti equitum in primo conflictu cecidere.*

Sed de hac constructione etiam supra meminimus.

Cæterum & illud quoque hoc loco monendum videtur, veteres Latinos, qui pure atque emendate locuti sunt, in efferendis numeris, qui summam centum millium excederent, plerunque aduerbijs vsos esse. *Nam apud antiquos, vt inquit Plinius,* [*lib.* 33. *cap.* 10.] *non erat numerus vltra centum millia. Macrob. lib.* 1. *de som. Scip. Duplicatis igitur illis, quadragies octies centenis millibus, erit integra diametros cœlestis circuli; nonagies sexies centena millia stadiorum. Quod vulgo loquentes dicunt, Nouies millies mille & sexcenta millia stadiorum, &c.*

Plin. [*lib.* 2. *cap.* 108.] *Ab India ad Herculis columnas Gadibus sacratas, octuagies quinquies centena septuaginta octo millia passuum.*

Idem alio loco minima computatione, millies centena millia sestertium annis omnibus India & Seres, peninsulaq; illa imperio nostro ademit, pro, Centies millies mille H-S.

In qua tamen forma, quoties nomen *Sestertij adijcitur, numerus centenorum millium omitti fere solet. Suet. in Calig.* [*cap.* 37.] *Totumq; illud Tiberij Cæsaris vicies ac septies millies sestertiûm non toto vertente anno absumsit, pro, vicies ac septies millies centena millia sestertiorum. Sic dicimus : Decies sestertiûm, pro, Decies*

ties centena millia sestertiorum. Centies *sesterti-* 10,000,000
úm, pro, centies centena millia sestertiorum, quo precio æstimatus fuit vnio Cleopatræ. * *Hæc eo pluribus hic adieci, quod sciam has formas in scholis vulgo negligi.* Refert autem inprimis recte loquendi figuras tenere. *Deinde & turpe est, id quod primum fere omnium discitur, latine effari non posse.*

* Plin. lib. 9. capit. 35.

DE INFINITIVIS.

Hactenus indicatiui constructionem persecuti sumus. Eosdem autem casus post se recipiunt & cæteri modi finiti. *Nam vt dicimus: Lego Virgilium, ita &, lege Virgilium, vtinam legerem Virgilium, Si legam Virgilium, &c. recte dixeris.* Necq; alia cõstructio thematis verbi est, quam cæterorum temporum atq; personarum, quæ ab eodem themate descendũt.

Infinitiui autem modi paulo alia constructio est: *Nam & ante se casum alium recipit, quam superiores modi, & ab altero plerunq; verbo dependet, quoties videlicet duo vel plura verba absq; coniunctione sequuntur.*

PRIMA REGVLA.

Accusatiuus proprius casus infinitiuo-

rum est, præcedens infinitiuum, perinde vt nominatiuus verbum finitum, vt:

[*Versus Ennij apud Cic. in 2. de diuin.*]

Aio, te Aeacida, Romanos vincere posse, Et: *Metiri se quemq; suo modulo ac pede verum est.* *Horatius*, [*lib. 1. ep. 6.*]

Exponitur autem per Nominatiuum, mutato verbi modo, & adiecta particula Quod vel Vt, aut similia. *Vt: Aiunt probos adolescentes deprauari consuetudine malorum, id est, Aiunt, quod probi adolescentes deprauentur malorum consuetudine. Item:* [*in And. act. 4. sc. 6.*] *Optauit se inhoneste hic parare diuitias potius, quam in patria honeste pauper viuere, hoc est, vt pararet diuitias potius, quam honeste pauper viueret.*

REGVLA II.

Infinitiui adduntur verbis significantibus qualemcunque voluntatem, aut sensum, aut facultatem.

Voluntatem, vt:

Cupit te videre, alloqui, &c.

In animo habet nauem conscendere.

Propert. [*lib. 3. eleg. 21.*]

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas.

Quæ verba Græcis προαιρετικὰ dicuntur. quod προαίρεσιν, hoc est, consilium siue propositum

ſitum, aut voluntatem aliquam ſignificent. *Qualia ſunt: Volo, Nolo, Malo, Paro, Cogito, Inſtituo, Incipio, Audeo, Debeo, Iubeo, Veto, &c.*

Senſum, vt:

Saluum te aduenire gaudeo.

[*Terent. in Eunuch. act. 5. ſc. 6.*] *Quid triſtem te incedere video?*

Virgilius, [*Eclog. 9.*]

Cantando longos memini * *me condere ſoles.*

* Valla libro 3. cap. 58.

Quo pacto & Memini me videre. [*Terent. in Andr. act. 2. ſcen. 5.*] *dicere*, [*Cic. Verrin. 6.*] *& ſimilia dicuntur.*

Huc pertinent verba affectuum. *Item: Verba opinandi, dicendi, & quæcunq; ſenſum aliquem videndi, audiendi, cognoſcendi, aut reminiſcendi ſignificant.*

Facultatem, vt:

Nec tecum poſſum viuere, nec ſine te. Catull.

Nequeo mearum rerum initium vllum inuenire idoneum. Terent. [*in Hecyra, act. 3. ſc. 3.*] *Et: Docuit me fidibus canere, ludere, ſaltare, &c.*

Atque huc pertinent etiam Impersonalia pleraq;, vt: *Licet, Expedit, Contingit, Refert, &c. vt:* *Licet dicere*, [*Plaut. in Caſin.*] *Eſt videre.* † *Expedit facere.* *Contingit adire*, [*Horat. lib. 1. ep. 18.*]

† Virgil. 6. Aeneid. Cernere erat, &c.

Refert scire, &c.

Exponitur autem Infinitiuus, cum verbis voluntatem, aut facultatem significantibus τελικῶς, vt Græci dicunt, hoc est, per particulam Vt, vt:

Cupio te videre. [*Plaut. Trucul.*] *hoc est, Cupio vt videam te.*

Doceo te canere, id est, Doceo te vt canas.

Explicat enim τέλος, *hoc est, caussam finalem voluntatis aut actionis.*

Cum verbis autem sensuum exponitur εἰδικῶς, hoc est, per particulam Quod, vt:

Memini me dicere. [*Cic. Verrin. 6.*] *hoc est, quod dicebam. Nam hic euentum seu speciem actionis exponit.*

REGVLA III.

Casus sequens Infinitiuum Esse, & quæ similis constructionis sunt, conuenit cum proximo casu præcedente, vt:

Terent. [*in And act. 2. sc. 3.*] *Caue te tristem esse sentiat. Idem,* [*eod. loco.*] *Ipsus sibi esse iniurius videatur.* Sic &:

Illi conuenit esse probo. Et: [*Martialis lib. 9. epig. 12.*] *Nobis non licet esse tam disertis.* *

* Linacer arbitratur esse Enallagen Grecam. Rectũ autem fore per Accusatiuum.

Item: Tu cupis dici strenuus.

Ille

Ille vult videri pius.
Parmenonem incedere tristem video, [*Terent. in Eunuch. act.* 2. *scen.* 2.] *&c.* Nam eandem constructionem verba nuncupandi, & verba gestuum, cum verbis Substantiuis habent, vt supra † dictum est.

* Pagin. 406.

Græcum est: *Ille vult audire Theologus, pro, dici Theologus.*

Quemadmodum & inusitatum * *Lucani illud* [*in lib.* 9.]

* Valla libro 3. cap. 23.

Tutumq; putauit
Iam bonus esse socer. Nam Latina consuetudine dicendum fuerat, Tutumq; putauit, Iam socerum esse bonum & clementem, &c. Sed hoc inter figurata referunt, *vt supra* † *monuimus.*

† Pag. 401.

REGVLA IIII.

Græcismi sunt, cum Infinitiui adduntur nominibus facultatem significantibus, aut alias pro Gerundijs vsurpantur, vt:
Nunc est tempus dicere quæ sentias, * *pro, tempus dicendi.*

* Similis forma apud Cic. in 2. de Orat. Tempus esset iam de ordine argumentorum aliquid dicere.

Terent. [*in And. act.* 1. *sc.* 1.] *Quod pleriq; omnes*

faciunt adolescentuli, vt animum ad aliquod studium applicent, aut equos alere, aut canes ad venandum, &c. pro, ad studium alendi equos, aut canes, &c.

Sic Virgilius dixit : [Eclog. 10.]
Soli cantare periti, pro cantandi, & : [10. Aen.]
Nescia mens hominum fati sortisq; futuræ,
Et seruare modum rebus sublata secundis, pro nescia seruandi.

Quibus similia & illa sunt : †

† Fabius & Donatus in his Enallagen faciunt verbi pro participio. Vide Linac. in *6.*

Magnum dat ferre talentum. [5. Aeneid.] pro, ad ferendum, siue vt ferat. Et : Horat. [lib. 1. carm. Od. 3.]
Audax omnia perpeti.
Gens humana ruit per vetitum nefas, pro, audax ad perpetiendum omnia. Item : [Virgilius, 7. eclog.] Et cantare pares, & respondere parati, pro, pares cantando, & parati ad respondendum. Cuiusmodi formæ à Poëtis fere vsurpantur Græcorum imitatione, apud quos cum Gerundia nulla sint, Infinitiui pro Gerundijs ponuntur.

DE GERVNDIIS.

PRIMA REGVLA.

Geniti-

Genitiui casus Gerundia, sequuntur nomina, facultatem aut voluntatem significantia, vt:

Occasio emergendi.
Locus ignoscendi. [*Terent. Heaut. act. 2. scen. 1.*]
Gratia discendi Athenas missus. [*Iustin. lib. 17.*]
&c. *Ouidius*, [*1. Fastor.*]
Tempore creuit amor, qui nunc est summus, habendi. *Iuuenal.* [*sat. 7.*]
Tenet insatiabile multos
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit.

Huc pertinent & illa, quæ per adiectiua dicuntur, vt:

Cupidus videndi, [*Terent. in Hec. act. 3. sce. 3.*]
Studiosus dicendi, [*Cic. 1. de Orat.*]
Certus eundi, apud Virg. [*4. Aen.*] *& similia.*

REGVLA II.

Accusatiui casus Gerundia præpositione annectuntur verbis, vt:

Mitto illum ad speculandum arcem.
Virg. [*Eclog. 9*] *Et inter agendum*
Occursare capro, cornu ferit ille, caueto.
Idem: [*3. Georg.*] *Namq; ante domandum,*
Ingentes tollent animos.

REGVLA III.

Cum

Cum necessitatem significant in DVM Gerundia, Impersonalium modo ponuntur, & vel Datiuum iuxta se habent, vel casum omnino nullum, vt:

Vigilandum est nobis.

Sperandum est viuis. [*Eras. chil. 2. Cent. 4. prou. 12.*] *Surgendum est.*

Eundum est.

Utendum est ætate, &c. [*Ouid. 3. de arte.*]

Horat. [*lib. 1. carm. Od. 37.*] *Nunc est bibendum, nunc pede libero pulsanda tellus, &c.*

REGVLA IIII.

In DO Gerundia sequuntur verbum vel cum præpositione, vel sine præpositione.

Sine præpositione, vt:

Omnia conando docilis solertia vincit, [*Manilius.*]

Et [*Virg. eclog. 8.*]

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Item, [*12. Aeneid.*] *Simul aptat habendo,*

Ensemq;, clypeumq;, & rubræ cornua cristæ,

pro, ad habendum.

Et apud Plinium, [*lib. 11. cap. 2.*] *Telum spiculauit perfodiendo tergori, pro, ad perfodiendum,* aliaqꝫ id genus, quæ tamen, quia Datiui significationem magis, quam Ablatiui præ se ferunt, absque præpositione veluti iure suo efferuntur.

Cum

Cum præpositione autem, vt:
Ratio recte scribendi cum loquendo iuncta est, Fabius, [*lib. 1. cap. 4.*]
Heus senex pro vapulando hercle ego abs te mercedem petam. Plautus in Aulularia.

Significant autem hæc alias actiue, vt: *Homines nihil agendo, male agere discunt, hoc est, dum nihil agunt.*

Alias passiue, *vt apud Virgilium, 3. Georg.*
Carpit enim vires paulatim, vritq; videndo Fœmina: hoc est, dum videtur. Et alibi. [*eodem lib.*]
Alitur vicium, viuitq; tegendo, id est, dum tegitur.

Cicero 3. epist. 8. de quo Vall. lib. 1. cap. 27.

Non sum soluendo, pro eo, quod est, Non possum soluere, siue non sum par soluendo, figuratum est, *vt supra* † *monuimus.*

† Pagina 431.

Asciscunt autem Gerundia casus verborum suorum analogicôs, perinde vt & cæteri modi, cæteraq; tempora. *Ter.*] *in Heau. act. 2. sc. 3.*] *Ea res tum dedit existimandi copiam, Quotidianæ vitæ consuetudinem, Quæ cuiusq; ingenium vt sit, declarat maxime.*
Cicero: Hos accusando, illos occidendo ciuitatem labefactasti.
Liuius, [*lib. 8. dec. 4.*] *In frugibus pecudibusq; non tantum semina ad seruandum indolem valent, quantum terræ proprietas, cœliq; sub quo aluntur mutatio.*

Sic

Sic & cum impersonalium modo vsurpantur, *vt apud Lucretium*, [*lib.* 1.]

Aeternas quoniam pœnas in morte timendum.

Et Virg. [*Aeneid.* II.] *Alia arma Latinis Quærenda, aut pacem Troiano à rege petendum.* *Sic enim & Donatus & Seruius legunt.* Tametsi huiusmodi formæ Græcismis potius annumerandæ videntur. *Nam Græcis hoc modo loqui familiare est. Xenoph. in Hercule:* Ἀλλ' εἴτε τοὺς θεοὺς ἵλεως εἶναί σοι βούλῃ, θεραπευτέον τοὺς θεούς, εἴτε ὑπὸ φίλων ἐθέλεις ἀγαπᾶσθαι, τοὺς φίλους εὐεργετητέον, *&c. hoc est, Siue deos propitios esse tibi vis, colendum est deos, siue ab amicis diligi cupis, demerendum est amicos. Et Isocrates in Archidamo:* Ἀλλ' ἂν μὴ ᾖ πρὸς τὸ καλῶς σώζεσθαι, θάνατον ἡμῖν αἱρετέον, *hoc est, Vbi non licet honeste viuere, ibi mortem nobis eligendum est.* Quas formas Latini per participium vsitate efferunt, vt: *Colendus est Deus. Demerendi sunt amici. Eligenda est mors, &c.*

Quanquam & superiores formas Latini eadem sententia, per participium eodem casu cum nomine positum, efferre crebro solent, vt:

Gratia salutandorum amicorum domum redij.

Et: Ad speculandam arcem missus est equus. Pro, salutandi amicos, Et: Ad speculandum arcem. Sic Salustius, [*con. Catil. in princ.*] *Magisq; dandis quam accipiendis beneficijs amicitias parabant.*

Et Li-

Et Liuius [*lib. 8. dec. 4.*] *Nolite existimare, belluas tantum recens captas feritatem illam siluestrem primo seruare, deinde cum diu manibus humanis alantur, mitescere, in hominum feritate mulcenda, non eandem naturam esse.*

Atque hic rixantur Grammatici, vtrum Gerundia recipiant casus, & an Gerundium sit, *Salutandorum*, cum dico: *Gratia salutandorum amicorum domum venio.* Rectius autem est meo iudicio, & ad captum puerilem accommodatius, docere, quod Gerundia fiant participia, quando non regunt casus suorum verborum, *vt cum dico, Salutandi amicos, Salutandi hic Gerundium est, significationis actiuæ, quia regit casum verbi actiui. Sicut, Saluto amicos.* Aut cum dico, *Salutandorum amicorum*, Salutandorum participium est, passiuæ significationis, *sicut si dicas: vt salutentur amici.*

Singulari quodam modo dixit *Terentius:* [*in Prolog. Heaut.*] *Date crescendi copiam*
Nouarum, qui spectandi faciunt copiam, &c.

Et Plautus, [*in Captiuis, act. 4. scen. 1.*] *Nominandi istorum magis, quam edendi copia est, pro spectandarum nouarum. Et: Nominandorum istorum.* Habetq; figura hæc propemodum Græcum quiddam.

DE SVPINIS.

PRIMA REGVLA.

Supina priora, caſum verbi ſui aſciſcunt, & cum verbis ſignificantibus motum ad locum iunguntur, vt:
Venio ſalutatum amicos.
Ouidius, [1. *de arte.*]
Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur vt ipſæ.
Plautus, in Aulular.
Coctum ego, non vapulatum dudum conductus ſum.

Significatio eadem, quæ Infinitiui actiui eſt. * *Significat enim, venio ſalutatum amicos, idem quod venio ſalutare amicos, &, Venio ad ſalutandum amicos.*

* Valł. lib. 1. cap. 28. Curius Lancilot. lib. 4. cap. 4.

REGVLA II.

Poſteriora Supina conſtruuntur, vel cum adiectiuis facultatem, aut modum aliquem ſignificantibus, vel cum verbis ſignificantibus motum de loco.

Cum adiectiuis, vt:
Virg. [3. *Aeneid.*] *Nec viſu facilis, nec dictu affabilis vlli.* Et *Ouid.* [2. *de Pont. eleg.* 3.]
Turpe quidem dictu, ſed ſi modo vera fatemur,

Vulgus

Vulgus amicitias vtilitate probat. Pro, turpe dici, siue vt dicatur. Significant enim passiue hæc, vt supra † docuimus. † Pagina 240.

Cum verbis, vt:

Obsonatu redeo, Plaut. [*in Menæch.* *Et: Cato de re rust.* [*cap.* 5.] *Primus cubitu surgat, postremus cubitum eat.*

Nullus autem his casus præponitur, vnde etiam nomen accepisse videntur: * *Atque hactenus de personalibus.* * Curius Lancilot. lib. 6. cap. 19.

DE IMPERSONALIBVS.

Supra † docuimus † Pagina 310. duplicia esse Impersonalia. Pasiuæ vocis alia, alia actiuæ. Pasiuæ, vt: *Amatur, Statur, Luditur, Legitur, &c.* Actiuæ, vt: *Decet, Oportet, Libet, Licet, &c.* *Ac passiuæ vocis Impersonalia ab omnibus verbis, tam actiuis quam neutris cadunt.* Sed constructio fere imitatur regulam pasiuorum, præterquam quod nullus Nominatiuus præcedit. *Nam ideo dicuntur Impersonalia: Principio igitur de iis, quæ passiuæ vocis sunt, mox de reliquis dicemus.*

REGVLA.

Impersonalia passiuæ vocis, ante se casum non habent, post se autem plerosque eos, quos recipit verbum passiuum, vt: *Factum est à vobis duriter.* [*Terent. in Adel. act. 4. sc. 5.*] *Occurritur nobis, & quidem à doctis,* [*Cic. 2 Offi.*] *Viuitur ex rapto.* [*Ouid. 1. Meta.*] *Viuitur in diem.*
Viuitur ingenio, cætera mortis erunt. Sic & : Luditur tibi. Et : Luditur de tuo corio. [*Vide prou. de alieno ludis corio, Eras. chil. 2. cent. 2. prou. 86.*]
Benefit multis à principe.
Pugnatur cominus armis, [*Virgilius 7. Aeneid.*] *& similia.*

Aliquando nec ante, nec post se casum habent, vt: *Quid agitur? Statur.* [*Terent. in Eunuch. act. 2. sc. 2.*]
Pugnatur fortiter.
Egetur acriter. Plautus, [*in Pseudolo.*] *Et: Quasi, cum caletur, cocleæ in occulto latent.* [*Idem in Captiuis.*]

Accusatiui autem actiuorum Impersonalibus subjici non possunt. *Non enim recte dixeris: Legitur Virgilium. Sed pro eo Latini dicunt: Legitur Virgilius,* mutato accusatiuo in nominatiuum, & impersonali verbo in personale passiuum.

Actiuæ vocis Impersonalia, certa ac numerata quædam sunt, diuersamque à superioribus constructionem habent. *Nam & ante*

se casus

se casus recipiunt, & alia alios asciscunt. Quanquam autem persona in his videatur incerta, quia desunt Nominatiui, tamen obliqui personam definiunt. Quare haec ordiuntur sententiam, perinde atq; personalia, v. si dicas: Principem oportet potius consulere publicæ saluti, quàm priuatis affectibus morem gerere. Hic Accusatiuus cum verbo perinde inchoat sententiam, certamq; designat personam, vt si per Nominatiuum & verbum dicas: Princeps debet potius consulere publicæ saluti, quàm priuatis affectibus morem gerere. Pleraq; autem verba alioqui personalia, constructione in Impersonalia degenerant.

PRIMA REGVLA.

Est, Interest & Refert, personam Genitiuo designant, à se autem Infinitiuum recipiunt, vel coniunctiuum cum particulis Vt, An, Ne, & similibus, vt:

Boni pastoris est, tondere pecus, non deglubere; [*Sueton. in Tiberio, cap.* 32.]

Non est sapientis dicere, non putaram. [*Cicero* 1. *Offic.*] *Interest omnium recte facere. Idem,* [2. *de finib.*] *Reipublicæ refert, conseruari literas.* * *Et:*

Vt conseruentur literæ.

Item:

An conseruentur literæ. *Et:*

* Vide Cic. in princ. 2. de diuinatione.

 Ne in-

Ne intercidant literæ, &c.

EXCEPTIO.

Pronomina poſſeſsiua, cum verbis Intereſt & Refert, Ablatiuo * caſu genere fœminino, Cum verbo autem Eſt, genere Neutro, caſu Nominatiuo iunguntur.

* Valla libro 2. cap. 1.

Saluſt. [*in Iugurtha.*] *Faciendum aliquid, quod illorum magis, quàm ſua retuliſſe videretur. Cicero pro Murena: Cædes crimini potiſſimum datur ei, cuia interfuit, non ei, cuia nihil interfuit. Terent.* [*in Hecyra, act. 5. ſc. 3.*] *Tua quod nihil refert, percontari deſinas. Idem:* [*in And. act. 4. ſc. 1.*] *Tuum eſt, ſi quid præter ſpem euenit mihi ignoſcere.*

*Grammatici * ridiculam quandam rationem affingunt, cur poſſeſſiuorum ablatiuis vtamur. Nam cum verba hæc ſignificent pertinere, rectè dici putant: Mea intereſt, quaſi in re mea eſt. Et: Tua refert, quaſi tua res fert, &c.*

* Curius Lancilot. libro 6. capite nono.

Porro adduntur his & Genitiui, *Tanti, Quanti, Parui, Magni,* † *&c.*

† Vallà libro 3. cap. 3.

Cicero, [*lib. 8. ad Attic. ep. 6.*] *Quanti Reipub. inter-*

interſit, omnes copias in vnum locum conuenire.
Idem ad Atticum: [*lib.* 2. *ep.* 23.] *Permagni noſtra intereſt, te eſſe Romæ.*
Terent. [*in Phorm. act.* 4. *ſc.* 3] *Parui retulit non ſuſcepiſſe, inuenta eſt, quæ dotem petat.*

Et vltra hos etiam Accuſatiui cum præpoſitione, vt:

Magni intereſt ad decus, & ad laudem huius ciuitatis, ita fieri. Cicero, [*de Nat. lib.* 1.]
Idem in Epiſt. [*lib.* 2. *ep.* 18.] *Magni enim videbatur intereſſe ad eam neceſſitudinem, quam nobis ſors tribuiſſet.*

Aliquando autem & Nominatiuus tanquam perſonali verbo præponitur, manentibus reliquis caſibus.

Idem ad Attic. [*lib.* 11. *ep.* 22.] *Illud mea magni intereſt, te vt videam. Et in Epiſt. famil.* [*lib.* 2. *ep.* 18.] *Quod mea & Reipublicæ intereſt.*

Et verbum Refert, eſt quando abſolute ſine caſu ponitur. *Vt apud Virgilium,* [2. *Georg.*] *Nec numeros comprendere refert. Sed de his ſatis.*

REGVLA II.

Quatuor his verbis, Decet, Delectat, Iuuat, Oportet, Accuſatiui perſonam addunt, ſequentibus mox Infinitiuis, vt:

Omnes homines ſumma ope niti decet, ne vitam

silentio transigant, veluti pecora, Saluſt. [in con. Catil.] *Inprimiſ.; me delectauit, tantum ſtudium bonorum in me extitiſſe,* Cic. in ep. *Te animo ilari eſſe valde me iuuat.* Idem, [ad Q. Fr. lib. 2. ep. 11.] Et: [Eraſ. chil. 2. cent. 3. prou. 74.] *Oportet mendacem eſſe memorem, &c.*

Sed ex his priora tria etiam perſonaliter vſurpantur, * vt Cic. in Offic. [lib. 1.] *Id enim maxime quenq; decet, quod eſt cuiuſque ſuum maxime.* Idem, [ad Q. Frat. lib. 2. ep. 12.] *Literæ tuæ me incredibiliter delectauerunt.* Et Iuuenalis, [ſat. 11.] *Magis illa iuuant, quæ pluris emuntur.*

* Valla libro 3. cap. 41.

Decet autem etiam cum Datiuo poſitum inuenies antique, vt apud Ciceronem de Orat. *Quandoque id deceat prudentiæ tuæ.* Et apud Terentium, [in Adelph. act. 3. ſcen. 4.] abſolute, vt: *Vobis decet*, quod à Græcis tranſlatum videtur, apud quos eodem modo dicitur, οὕτω πρέπει ὑμῖν, &c.

REGVLA III.

Pathetica Imperſonalium præcedunt Accuſatiui, ſequuntur Genitiui vel Infinitiui, vt:

Suæ quenq; fortunæ pœnitet, Cicero, [lib. 6. ep. 1.] Et: *Nec te pœniteat calamo triuiſſe labellum.* Vir-gil.

gil. in Bucol. [ecl. g. 2.] Significat autem pœnitere, * vt hoc quoque addamus, non tantum dolorem capere ob factum, vel rem præteritam, sed & parum siue non satis videri, *vt apud Terent.* [*in Eunuch. act. 5. sc. 7.*] *An pœnitebat flagitij te autore quod fecisset adolescens, ni miserum insuper etiam patri indicares? Pro, An paruum tibi videbatur flagitium? &c.* Cicero: *Sunt homines, quos libidinis infamiæq; suæ neque pudeat, neq; tædeat.*

* Valla libro 4. cap. 18. Gellius, lib. 17. cap. 1.

Terent. [*in Adelph. act. 3. sc. 3.*] *Fratris me quidem piget pudetq; Idem: Nonne te miseret mei? Et:* [*in Heautont. act. 5. sc. 4.*] *Inopis nunc te miserescat mei, &c.*

Sunt autem παθητικὰ, hoc est, quæ animi affectum, aut perturbationem aliquam significant, *hæc fere, Pœnitet, Piget, Pudet, Tædet, & Miseret,* & quæ ab ijsdem veniunt, vt: *Pertæsum est, Miserescit, &c.*

Inuenias tamen & ex his quibusdam nominatiuam præponi, personalium more, *vt in Adelph.* [*act. 4. sc. 7.*] *Hei mihi, non te hæc pudent? Et apud Plaut. in Captiuis: Nemini miserier certum est, quia mei nemo miseret.*

Singulare est, & Atticæ cuiusdam figuræ, quod *Terentius dixit in Heaut.* [*act. 4. sc. 5.*] *Ita me dij amabunt, vt Menedemi vicem miseret me.*

REGVLA IIII.

Cætera actiuæ vocis Impersonalia, pleraq; datiuum, qui personam significet, & post se Infinitiuum habent, vt:

Non cuiuis homini contingit adire Corinthum, Horatius, [lib. 1. ep. 18.] *Per virtutem præstat emori, quam vitam per dedecus amittere.* Salust. [con. Catil.] Item: *Vobis expedit esse bonas.* [Ter. Heaut. act. 2. scen. 4.] *Nobis non licet esse tam disertis, &c.* [Martialis, lib. 9. ep. 12.]

Sunt autem quæ ad hanc regulam pertinent, *Accidit, Euenit, Conuenit, Constat, Contingit, Conducit, Expedit, Libet, Licet, Liquet, Nocet, Obest, Prodest, Placet, Patet, Præstat, Restat, Vacat, Sufficit, & similia quædam.* Quorum tametsi personalia multa sunt, migrant tamen in hunc ordinem constructione.

Additur autem in regula, pleraq;, quod ex his inuenias non pauca, quæ absolute interim, hoc est, nullo ante se casu ponuntur, *vt apud Terentium, in Andria,* [act. 5. scen. 6.]

More hominum euenit, vt quid sim nactus mali,
Prius resciseeres tu, quàm ego, quod tibi euenit boni.

Et Iuuenalis, [sat. 2.]

Vltra Sauromatas fugere hinc libet & glacialem Ocea-

Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt, &c.

Quod idem & superioribus interdum accidit, *vt cum dicimus:*

Itane fieri oportet? [*Terent. Heaut. act. 3. sc. 3.*]
Et: Iuuat ire per altum, &c.

Quædam etiam pro Infinitiuo coniunctiuum habent, cum particula caussali, * vel dubitatiua. *Cicero, in epist.* [*lib. 13. ep. 1.*] *Etsi non satis mihi constiterat, cum aliquane animi mei molestia, an potius libenter te Athenis visurus essem.*

* Hæc sæpius eleganter omittitur, vt Cicero libro 1. de Orat. Ex rerum cognitione efflorescat oportet oratio, &c.

Sic in sacris legitur, [*Matth. 18.*] *Expedit illi, vt mola asinaria suspendatur de collo eius, &c. pro, molam suspendi.*

Constat autem & Conuenit, etiam alios casus admittunt.

Cicero in Orat. Vt inter omnes constat antiquos. Idem ad Atticum, Mihi cum illo conuenit. Et Iuuenalis, [*sat. 16.*] *Sæuis inter se conuenit vrsis. Sed hæc vsus docebit.*

REGVLA V.

Impersonalibus annumerantur & cætera verba, quoties absolute, sine Nomina-

tiuo ponuntur, ſequente mox Infinitiuo, vt ſunt: *Debet, Cœpit, Solet, Poteſt, Certum eſt, Apparet, Stat, Eſt, pro Licet, & ſimilia*, vt:
Debet adoleſcentiam pœnitere peccati.
Tædere ſolet auaros impendij.
Quintil. *Vbi primum cœperat tum conueniri quæſtio oriebatur.*
Cicero, [libro 1. de finibus.] Non poteſt iucunde viui, niſi cum virtute viuatur.
Virg. [10 eclog.] Certum eſt in ſiluis inter ſpelæa ferarum malle pati, &c.
Terent. [in Eunuch. act. 3. ſc. 2.] Apparet hunc ſeruum eſſe domini pauperis. Item:
[2. Aeneid.] Stat caſus renouare omnes. Et:
[6. Aeneid.] Cernere erat, &c.

Etiam *Aiunt, Dicunt, Ferunt*, & ſimilia, ſine perſonis efferuntur, quæ tamen inter imperſonalia nolim numerari. *Nam omiſſio perſonæ figurata eſt, ſicut in verbis Pluit, Tonat, &c. Vbi κατὰ ἔλλειψιν diſſimulatur Nominatiuus, vt: Aër tonat, pluit. Sic & homines aiunt, ſolent, &c. Atque hæc de verborum Syntaxi tradidiſſe ſufficiat.*

DE

DE PARTICIPIIS.

PRIMA REGVLA

PARTICIPIA imitantur verborum suorum constructionem, vt:
Legens Virgilium.
Legendus à Virgilio.
Obsecutus parenti.
Potitus imperio, &c. *
Sic &, [*Ouid. 1. Metam.*]
Tædas exosa iugales. Et:
Pertæsus ignauiam suam, apud Suetonium, [*cap. 7. in Iulio.*] † Habent enim & hæc significationem actiuam, tametsi terminationem præ se ferant passiuorum.

* Virgil. 5. Aeneid. Sceptrisque potitum, &c.

† Idem in Tiberio, cap. 66.

Item, quæ figurate dicuntur, vt:
Res audita mihi. Et: [*11. Aeneid.*]
Nulli exaudita deorum vota, precesq; meæ, &c.

Degenerant enim in nomina, cum verborum suorum casus amittunt participia, quemadmodum & supra monuimus, * vt:
Amans pecuniæ. Fugitans litium, [*Terent. Phorm. act. 4. scen. 3.*] *Patiens operum.*

* Regula 6. de adiectiuis.

rum. [*Virgilius, 2. Georg.*] *&c.*

REGVLA II.

Vſurpantur Participia etiam pro verbis Infinitiuis, * vt:

Opus eſt facto, pro facere, ſeu fieri.

Opus eſt maturato, † *pro maturare.*

Terent. [*in Hecyra, act. 3. ſcen. 4.*] *In arcem tranſcurſo opus eſt. Saluſt.* [*con. Catil.*] *Priuſquam incipias conſulto, vbi conſulueris, mature facto opus eſt.*

* Hæ formæ ex Græcis Aoriſtis natæ videntur.

† Liuius 1. ab V. C. Ardeamque ad virum mittit, vt cum ſingulis fidelibus amicis veniant: ita facto maturato que opus eſſe, &c.

Huc referant pueri & illa, quæ per periphraſin cum verbis do, Volo, Reddo, Curo, &c. efferuntur.

Dabo tibi hoc effectum. [*Terent. in Eunuch. act. 2. ſcen. 1.*] *id eſt, efficiam.*

Rogatum te volo, [*Plautus in Caſina. in Prolog.*] *id eſt, Rogo te.*

Sic Terent. [*in And. act. 4. ſc. 2.*] *Iam vbi vbi erit, inuentum tibi curabo, & mecum adductum tuum Pamphilum.*

DE ABLATIVIS ABSOLVTIS.

Faciunt hoc loco mentionem Grammatici & de Ablati-

Ablatiuis absolutis, quod fere necesse sit, alterum eorum esse Participij. Vocant autem absolutos, quod à nullo verbo regantur, sed per se orationis comma, siue partem constituant.

REGVLA.

Duo Ablatiui * consequentiam designantes, absolute iunguntur, sed alter Nominis, alter Participij, vt:

† Græci hoc duobus Genitiuis efferunt.

Imperante Maximiliano, Veneti grauiter afflicti sunt.

Oppressa libertate patriæ, nihil est quod amplius speremus, Cicero, &c.

Explicantur per particulas, Cum, Dum, Postquam, & similes, vt: *Imperante Maximiliano, id est, cum vel dum imperaret Maximilianus, &c. Oppressa libertate, id est, postquam oppressa fuerit libertas, &c.*

Est autem designare consequentiam (*vt hoc puerorum gratia addamus*) ita in oratione poni, vt nihil plenum aut integrum intelligatur, sed ad perfectionem sententiæ amplius aliquid expectetur.

Interdum tamen dissimulatur participium, ad hunc modum:

Im-

Imperatore Carolo, Galli magna pugna victi sunt ad Ticinum.

Cicero [*in Salust.*] *O fortunatam natam me consule Romam.*

Et Plautus: Me suasore atq; impulsore factum est.

Item Horat. [*lib. 1. carm. od. 7.*]

Nil desperandum Teucro duce & auspice.

Nam in his & similibus participium subintelligi volunt, quale fuerit: Existente, aut simile aliquod, vt sit dictum: Teucro duce, pro, Teucro existente duce, &c.

Interdum etiam Nomen vel Pronomen omittitur, & solum Participium ponitur genere neutro, *vt Liuius,* [*lib. 4. dec. 4.*] *Permisso vt seu dicere prius, seu audire mallet. Et Salustius,* [*5. Histor.*] *Audito regem in Ciliciam tendere.* Quæ & ipsa Elliptica videntur. Intelligitur enim ablatiuus Eo, vel similis, vt sit: *Permisso eo, Audito eo,* idem quod, *postquam id permissum esset, Postquam id auditum esset, &c.*

DE ADVERBIIS.

PRIMA REGVLA.

De immobilium partium Oratio-

ADVERBIA subijciuntur verbis & eorum

eorum participijs, ad explicandas actionum circumſtantias, vt : nis proprietate & connexione quædam annotauit Ioachimus Cam. in 1. Tuſcul. quæſt. cap. de imitatione.

Feſtina lente. [*Symbolum Auguſti. Eraſ. chil.* 2. *cent.* 1. *prouerb.* 1.]

Quid ita properas?

Quod cito fit, cito perit.

Item : Cicero, [1. *de Orat.*] *Suo iudicio valde ſapiens.* Et :

Mea ſententia non omnino delirans.

Cæterum degenerant & nomina in Aduerbia apud Latinos quidem ſingulari numero, genere neutro, vt : *Horrendum clamat. Toruum videt. Indomitum furit, &c.*

Apud Græcos autem etiam plurali, idq; Latini imitati ſunt, vt : *Virgil.* 8. *Aeneid.*] *Incluſumq; cauo ſaxo, atq; inſueta rudentem, pro, inſueto modo.* Et eodem libro :

At feſſi tandem ciues, infanda furentem,

Armati circumſiſtunt. Et in *Georg.* [*lib.* 4.]

Nec ſera comantem Narciſſum, pro, ſero comantem ſeu florentem. Narciſſus enim poſtremus omnium florum, circiter menſem Septembrem primum floret, vt ſcribit Theophraſtus, [*lib.* 6. *cap.* 6. *de hiſtor. plant.*] *Vnde & à Germanis Zeitloß vocatur.*

REGV-

REGVLA II.

Adijciuntur & nominibus Adiectiuis, aut Adiectiue vsurpatis, aduerbia intendendi, vel minuendi gratia.

Cicero, [in Philip. 3.] Quis rex vnquam fuit tam insigniter impudens?

Virgilius [eclog. 3.]

Infelix ò semper oues pecus, &c. *Terentius: [in Phorm. act. 3. sc. 2.] Eia ne parum sis leno.*

Sic dicimus: Mulier admodum anus.

Homo nimis quàm Philosophus, & similia.

REGVLA III.

Aduerbia deriuata, pleraque primitiuorum constructionem sequuntur, vt:

Obuiam illi processimus, [Cic. Philip. 2.]

Similiter huic vestitus erat.

Propinquius tibi habitat.

Proxime vrbem castra mouit, &c.

REGVLA IIII.

Quæ comparatiui aut superlatiui gradus sunt, nominum eorundem graduum constructionem imitantur, vt:

Melius illo cecinit.

Expeditius cæteris loquitur.

Pulcer-

Pulcerrime omnium fecit, &c.

REGVLA V.

Genitiuum fere asciscunt aduerbia, quæ copiam, penuriam aut partitionem significant, vt:

*Satis eloquentiæ, * sapientiæ parum.* [*Salust. con. Cat.*

* Vide Gell. libro 1. cap. 15.

Virg. [*7. Aen.*] *Terrorum & fraudis abunde est.*

Sueton. in Cæsar. [*cap. 86.*] *Se iam pridem potentiæ, gloriæq; abunde adeptum.*

Terent. [*in Prolog. Hec.*] *Partim sum earum exactus, partim vix steti, &c.*

Huc pertinent & Atticismi illi:

Quoad eius fieri potest. [*Cic. lib. 5. ep. 8.*]

Eo insolentiæ processit. [*Plin. in Paneg.*]

Huc dementiæ peruenit.

Eo discordiæ, &c. Nam & hic intentio, & quasi quædam copia rei significatur. *Est autem eo discordiæ, idem quod ad id discordiæ. Huc dementiæ, idem quod, ad hoc dementiæ, quæ figura Atticorum est, vt supra † de nomine monuimus.*

† Pagin. 375.

REGVLA VI.

Sunt & loci quædam, & temporis Aduerbia, quibus familiariter Genitiui ad-

duntur, quibusdam etiam Accusatiui, vt:
Nusquam gentium, [*Teren. in Adel. act. 4. sc. 2*]
Vbicunq; terrarum, [*Cic. Verrin. 6.*]
Interea loci. [*Terent. in Eunuch. act. 1. sc. 2.*]
Pridie eius diei. [*Cicero, lib. 1. epist. 4.*] Et:
*Pridie * compitalia* [*ad Attic lib. 2. ep. 3.*]
Postridie nonarum. Et:
Postridie nonas. [*Cic. lib. 3. epist. 4.*]
Versus Massiliam. Et per Anastrophen:
Massiliam versus. [*Cæsar. 2. de bell. ciuil.*]

* In his vel Enallagen esse vel Eclipsin præpositionum ante & post putant. Valla libro 2. cap. 10. & 33. Linac. libro 5.

Quæ alij quoties casum à tergo recipiunt, inter præpositiones referre malunt. *Negant enim aduerbia vi sua casus asciscere, nisi si qua deriuata originem suam sequuntur, aut comparationis ratione casus certos asciscunt. Nam & superiora illa quantitatem & partitionem significantia, non alio, quam originum suarum exemplo Genitiuos admittere videntur. Nam vt modicum pecuniæ, ita & parum pecuniæ dicimus. Et vt pars earum exacta est, ita & partim earum exactus sum, dici videtur. Sed hæc περιεργότερα.*

REGVLA VII.

En & Ecce † alias nominatiuum, alias Accusatiuum asciscunt, vt:

† Valla libro 1. cap. 15.

[*Virg.*

[Virgilius, 4. Aeneid.] En dextra fidesq;.
Et: [5. Eclog.] En quatuor aras.
Cicero, [Verrin. 6.] Ecce autem noua turba & rixa.
Idem de finib. [lib. 2.] Ecce miserum hominem.

Accedit interim & Datiuus.

Idem pro Cluent. Ecce tibi eiusmodi sortitio, &c.
Et in officijs, [lib. 3.] Ecce tibi, qui rex populi Romani esse concupierit.

Quo pacto & *Hem* vsurpatur, cum demonstrandi vim habet. *Vt apud Terent. in And. [act. 5. scen. 2.] Hem Dauum tibi.*

Instar * nomen magis quam aduerbium videtur, qua ratione Genitiuum admittit, & nunc appositiue, nunc simpliciter, vt cæteri casus vsurpatur.

* Proinde & præpositionem etiam interdum admittit. Vide Pontanum circa Accii Dialogi initia. Et Vallam libr. 6. capit. 18.

Virg. [2. Aeneid.]
Instar montis equum diuina Palladis arte
Aedificant, &c.
Idem, [6. Aeneid.] Quantum instar in ipso?
Cicero, [in Tuscul. lib. 1.] Terra ad vniuersi cœli complexum quasi puncti instar obtinet.
Idem 7. Verrin. Nauis quæ vrbis instar habere inter alias videretur.

DE CONIVNCTIONE.

PRIMA REGVLA

CONIVNCTIO aut similes casus coniungit, aut orationem nouam superiori attexit, vt:

Ouidius, [1. *amor. eleg.* 6]

Nox & amor, vinumq; nihil moderabile suadent.

Et: [*Idem,* 6. *Fastor.*]

Tempora labuntur, tacitisq; senescimus annis:

Et fugiunt freno non remorante dies.

Nam in priori exemplo, verba inter se copulantur modo: In posteriori autem etiam membra orationis alia aliis attexuntur.

Notantur possessiua, * quæ cum Genitiuis substantiuorum, diuerso interdum casu iunguntur, vt:

* Valla libro 1. cap. 1.

Tuis precibus & illius adductus.

Meo præsidio atq; hospitis. Terent. [*in And. act.* 5. *scen.* 2] Nam in his & similibus exemplis possessiua necesse est eo casu poni, quem verbum, à quo reguntur, requirit: *Substantiuum autem, quoniam alteri substantiuo iungitur, genitiuo casu ponitur.*

Notan-

Notantur & Elliptica, in quibus diuersa substantiua, vel verba eodem casu, absq; coniunctione coaceruantur. *Vt apud Sal.* [*C.Cat.*] *Animi imperio, corporis seruitio magis vtimur. Deest enim sed vel autem. Ibidem :* [*Ibidem.*] *Genus, ætas, eloquentia, prope paria fuerunt. Et:* [*eod. loco. Quæ homines arant, nauigant, ædificant omnia virtuti parent. In his enim copulatiua deest.*

Ἀσυνδετα vel διάλυτα.

Quemadmodum contra & πολυσύνδετα quædam sunt, in quibus coniunctiones abundant, *vt apud Poëtam :* [II. *Aen.*]

Cloreaq; , Sibarimq; , Daretaq; , Tersilochumq;.

Et : [9. *Aeneid.*]

Alcandrũq;, Haliumq;, Noëmonaq;, Prytanimq;.

Est autem Coniunctionum natura diligenter obseruanda. Quia enim colligant veluti articuli orationem, magnum vicium est, aliqua voce in connectendo abuti. *Nam obscura & monstrosa fit oratio, si confundantur hæ particulæ, vt monstrosum corpus erit, si iugulus in tergo collocetur, aut scapulæ in pectore.*

REGVLA II.

Vt caussalis, & quæ similem vim habent coniunctiuum asciscunt, vt:

[*Terent. in And.* 4. *sc.* 2.] *Orare iussit hera, si se ames, ad se vt venias. Et :*

[Ibidem, act. 3. sc. 4.] *Veritus sum, ne idem faceres, quod vulgus seruorum solet.*
Item : [Ibidem, act. 1. sc. 2.] Non dubium est, quin vxorem nolit filius, &c.

Quo loco & illud notandum, si præsens verbum præcedat, & coniunctiuum præsentis temporis esse solere, vt: *Iubeo vt facias.*

Sin præteritum verbum præcesserit, coniunctiuum in præterito imperfecto poni, vt: *Iussi vt faceres.*

Nonnunquam tamen per Ellipsin omittitur coniunctio, † vt:

† Hoc fit præcipue post verba, volo, nolo, malo, precor, rogo, & post impersonalia oportet, necesse est, licet. Linacer libro 6.

Velim cogites, pro, velim vt cogites.
Sine videam, pro, sine vt videam.
Caue dixeris, pro, caue ne dixeris, &c.

Ac diligenter obseruent pueri, quomodo autores vsi sint particulis, *Vt & Quod.* Fit enim non raro, *vt Quod, pro Ut, & contra, Ut, pro Quod* inepte ponatur, *verbi gratia : Non recte dicitur, Rogo te, quod venias, sed vt venias.* Nam quod plerunque de euentu & re gesta dicitur, *& significat Quia, vt :*

* Vt τελικὸν & perfectiuum, Quod αἰτιὸν quærit de efficiente caussa. Valla lib. 2. cap. 37.

Quod

Quod conualuisti, gaudeo.
Quod nos inuisis, gratum facit, &c.

Vt vero de caussa finali, vt:
Hortaris, vt diligenter discam. Et:
Quantum accepit, vt taceret, &c.

Proinde post verba iubendi, metuendi, faciendi,* & similia, vbique fere sequitur Vt, *hoc modo:* *Iubes vt faciam.*

* Vall lib. 3. cap. 27. & lib 2. cap. 38.

Metuo, vt substet hospes. Terent. [*And. act. 5. sc. 4.*]
Fac, vt intromittar, &c. [*Eunuch. act. 2. sc. 2.*]

Similiter post voces, *Talis, Tantus, Tam, Adeo, Sic, Ita,* † & id genus alia, vt:

† Hoc est Vt ἀποστατικὸν pro ὥστε. Linac. in 5.

Talis est, vt verbis describi satis nequeat.
Tanta pertuli, vt iures nunquam maiora posse.
Plinius, [*lib. 8 cap. 22.*] *Nullum tam impudens mendacium est, vt teste careat.*
Cicero in Caton. Senectus plerisq; sic odiosa est, vt onus Aetna grauius dicant se in humeris portare, &c.

Est autem πολύσημος * hæc particula, significat enim aliquando & tempus, vt: [*Virg. 8. eclog.*] *Vt vidi, vt perij, pro, postquam vidi. Quod Græce Theocritus,* [*εἰδύλλ. 6.*] *sic dicit,* ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην, ὡς μοῦ περὶ θυμὸς ἰάφθη.

* Valla libro 2. cap. 28.

Significat & Quomodo, vt: [2. *Aeneid.*]

Troianas vt opes & lamentabile regnum
Eruerint Danai.

Significat & Quam, vt : [*Ouid. in Heroid. Canac. Machar.*] *Ut ferus est, pro, quam ferus est.*

Et quamuis, vt : [*Idem lib. 3. de pont. eleg. 4.*] *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.*

Designat & similitudinem, vt : [*Eras. chil. 2. Cent. 4. prouerb. 30.*] *Ut mores sunt, ita fortuna respondet.*

E superlatiuo cognata est, vt : [*Eras. chil. 2. Cent. 1. prou. 12.*] *Ut quicque pulcerrimum, ita factu difficilimum.* Et Imprecatiuum est, vt : [*Terent. in Eunuch. act. 2. sc. 3.*]
Ut illum dij, deæq; omnes perdant, &c.

Porro in Coniunctionibus etiam illæ diligenter obseruentur, quæ circumductiones efficiunt, hoc est, quæ duo cola coniungunt, ceu sunt, *Si, Etsi, Cum, Quanquam,* & id genus aliæ, vt :
Quanquam multis nominibus prædicandus mihi es ; illo tamen vno excellis maxime, &c.

DE PRAEPOSITIONIBVS.

PRAEPOSITIONES circumstantiam verbis annectunt tanquam articuli, idque

quæ aliæ Accuſatiuo, aliæ Ablatiuo, quædam etiam vtroque caſu.

De harum natura & vſu, in Etymologia † ſatis diximus, niſi quod propoſiti gratia, quædam hoc loco repetenda ſunt. † Pagina 321.

PRIMA REGVLA.

Accuſatiuo caſui ſeruiunt:
Ad, Apud, Ante, Aduerſum, Cis, Citra, Circum, Circa, Circiter, Contra, Erga, Extra, Inter, Intra, Infra, Iuxta, Ob, Penes, Per, Poſt, Præter, Propter, Prope, Secundum, Supra, Trans, Vltra, vt:
Ad generum Cereris, ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt reges, &c. Iuuenalis, [*ſat.* 10.]

*Reliquarum exempla ſupra * habes.* * Pagina 333.

REGVLA II.

Ablatiuo ſeruiunt:
A, Ab, Abs, Abſq;, Cum, Coram, Clam, De, E, Ex, Pro, Præ, Palam, Sine, Tenus, vt:
Procul à Ioue & à fulmine. Sed & harum exempla omnia in Etymologia poſuimus.

Inuenias tamen ex his *Clam*, cum Accuſatiuo quoque poni, vt:

Clam patrem * *quod Terentius in Hec.* [*act. 3. scen. 3.*]

* Apud Plaut. in Merc.

Tenus autem etiam cum Genitiuo plurali Græcorum imitatione, *vt apud Virgilium,* [*3. Georg.*]

Et crurum tenus à mento palearia pendent.

Item apud Cicer. in Epist. [*lib. 8. ep. 1.*]

Illi rumores de comitijs Cumarum tenus caluerunt. Dicunt enim Græci: Μέχρι ποδῶν, ἄχρι δακτύλων, *id est, vsque ad pedes, vsque ad digitos, &c.*

REGVLA III.

Quatuor hæ præpositiones, In, Sub, Super, & Subter, Accusatiuo seruiunt, cum motum ad rem significant, Ablatiuo, cum in re versari, vt:

[1. *Aeneid*] *In freta dum fluuij current, &c.*

Et : [3. *Aeneid.*] *Stans celsa in puppi.*

Sic, [*Cic. de Vniuer.*] *Sub oculos cadere.*

Et : [*Horat. lib. 3. carm. Od. 2.*] *Sub dio iacere.*

Item : Super arborem collocare.

Et : [6. *Aeneid.*] *Super arbore sedere.*

Quanquam hæc cum situm in loco significant, tam Accusatiuo, quam Ablatiuo constructa reperitur, *cuius rei exempla supra* † *vide.*

† Pagin. 337.

Illud hoc loco addendum, quod præpositiones

sitiones interdum mutant constructionem verborum. *Addunt enim verbis suum casum, hoc est: Verba aliquando cum Accusatiuo vel Ablatiuo construuntur, vi præpositionis, cum qua sunt composita, vt: Adeo patrem, pro, eo ad patrem. Nam eo patrem non dicitur. Sic Virgilius,* [1. *Aeneid.*]

Quas vento accesserat oras.

Et: [*eod. loco.*] *Tyriam qui adueneris vrbem.*

Idem: [*eod. loco.*] *Detrudunt naues scopulo.*

Quomodo & illa dicuntur:

Adire magistratum.

Abire magistratu, [*in ep. fam. lib.* 5. *epist.* 2.]

Exire domo. [*lib.* 1. *ep.* 9.]

Emigrare vrbe, † *& similia, de quibus supra* * *quoque meminimus.*

† Cicero. Verr. 4. Domo eius emigrat.

* Pagina 454.

Quanquam Latini interim repetunt præpositionem, *Vt Terentius,* [*in Andria act.* 1. *scen.* 1.] *Accedo ad pedissequas. Et Cicero,* [*pro Sex. Rosc.*] *Qui in fortunas huius inuaserat, &c.*

Sunt autem huius generis verba, præcipue quæ cum his præpositionibus componuntur: *A, Ab, Ad, De, E, Ex, In, Per & Trans.*

Neque illud prætereundum. † quod Com-

† Valla libro 2. cap. 12.

paratiui

paratiui & Superlatiui à præpositionibus facti, nonnunquam ipsarum præpositionum Syntaxin sequuntur, vt:
Propius vrbem castra mouit. [*Cic. ad Octau. & Philip. 6.*] *Quod illi simile videtur.* [*Virgilius, 2. Aeneid.*] *Iustissimus vnus,*
Qui fuit in Teucris, & seruantissimus æqui.

*Nam de eo, quod cum suos casus amittunt præpositiones, inter Aduerbia referantur, supra * in Etymologia dictum est, vt apud Virgilium,* [*1. Eclog.*] *Ante leues ergo pascentur in æthere cerui.* *Et:* [*eodem loco.*] *Longo post tempore venit, &c.*

* Pagina 338.

ANASTROPHE.

Sunt & figuratæ locutiones, in quibus ordo constructionis inuertitur, contra naturam præpositionis κατ' ἀναστροφήν.

Vocant autem Anastrophen, cum præpositio casui suo postponitur, vt:
Italiam contra, &c. [*1. Aeneid.*]
Et: [*eod. loco.*] *His accensa super.*
Item, [*3. Georg.*] *Te sine nil altum mens incoat.*

DE

DE INTERIECTIONIBVS.

INTERIECTIONVM aliæ caſus certos aſſciſcunt, aliæ ſine caſibus inſeruntur orationi.

Heu & Væ Datiuum aſſciſcunt, vt: * Valla libro 3. cap. 11.

Heu mihi qualis erat. *Virgilius*, [2. *Aeneid.*] *Et*:

Væ capiti tuo. *Plaut.* [*Amphit.*]

Heu Accuſatiuum aſſciſcit aut Nominatiuum, vt:

Heu ſtirpem inuiſam. [7. *Aeneid.*]

Et: [6. *Aeneid.*] *Heu pietas, heu priſca fides.*

O, exclamandi particula † & Proh, modo Nominatiuum, modo Vocatiuum, modo Accuſatiuum aſſciſcunt, vt: † Valla libro 2. cap. 13.

O vir fortis atq; amicus. [*Ter. Phor. act.* 2. *ſc.* 2.]

O Daue, itane contemnor abs te? [*And. act.* 3. *ſcen.* 2.] *Et*:

O ingentem confidentiam. [*And. act.* 5. *ſcen.* 3.]

Sic: [*And. act.* 1. *ſce.* 5.] *Proh Deûm atq; hominum fidem.*

Proh Iupiter, tu homo adiges me ad inſaniam. [*in Adelph. act.* 1. *ſc.* 2.] *Et*:

Proh

Proh sancte Iupiter, quid video? apud Plaut.

Hem quoque aliquando Nominatiuum aut Vocatiuum, aliquando Accusatiuum post se habet.

Cic. [*lib.* 14. *ep.* 2.] *Hem mea lux, meum desiderium.*

Terent. [*And. act.* 4 *sce.* 2.] *Hem Pamphile.*

Et: Hem astutias, [*in And. act.* 3. *sce.* 4.] *&c.*

Ah & Obe item, est quando cum Vocatiuo iunguntur, vt:

[*Virg. eclog.* 6.] *Ah virgo infelix, &c.* *Et:*

Obe, iam satis est, obe libelle. Martialis, [*lib.* 4 *epig.* 46.]

Vah cum Nominatiuo iunctum reperitur, vt:

Vah homo impudens. Plaut. ***Et:***

Vah callidum consilium. Ter. [*And. act.* 3. *sc.* 4.]

Cæteræ interiectiones pleræque sine casibus in oratione ponuntur, vt:

Hui totiesne me literas dedisse Romam, cum ad te nullas darem? [*Cic. lib.* 5. *ad Attic. ep.* 11.]

Et: Eheu quam pingui macer est mihi taurus in aruo. Virg. in Bucol. [*eclog.* 3.]

Porro, Interiectionum vicem & aliæ partes interdum sustinent, vt:

Nauibus (infandum) amissis, vnius ob iram Prodimur. [1. *Aeneid.*] *Et:*

Quid (malum) bone vir mihi narras? equidem perij. Terent. in Adelp. [*act.* 4. *scen.* 2.]

Sunt

Sunt autem & Ellipticæ quædam locutiones, in quibus interiectio subintelligenda est, vt: *Me miserum,* [*in And. act. 5. sc. 3.*] *Hominem infelicem, &c. Intelligitur enim O vel heu me miserum. O vel heu hominem infelicem.* Atque harum vſus in remiſsioribus affectibus fere eſt.

Exclamationes item, & indignandi formulæ, ellipticôs per Infinitiuum & Accuſatiuum efferuntur, vt:

Adeone infelicem aut inuenuſtum quenquam eſſe vt ego ſum? Terent. [*And. act. 1. sc. 5.*]

Et: [*eod. loco.*] *Ah tantamne rem tam negligenter agere?* *Item* [*Virgil. 1. Aeneid.*]

Mene incœpto deſiſtere victam? &c

In quibus plerunq; verbum oportet vel Decet, vel ſimile aliquod intelligendum.

Ad hunc modum & quærelæ & epiphonemata, per Infinitiuos & Accuſatiuos ſæpe efferuntur, *vt apud Virgilium,* [*1. Georg.*]

Sic omnia fatis
In peius ruere, & retro ſublapſa referri.

Quas orationes pueri in interpretando reſoluere in Indicatiuas debeat, hoc pacto:

Sic omnia ruunt fatis in peius, & retro ſublapſa referuntur. Addit autem infinitiuus affectum quendam quaſi dicas: Miſerabile aut indignum eſt ſic omnia ruere in peius, &c.

DE PE-

DE PERIODIS.

INTER ALIAS pestes rei literariæ, plane comperi præcipuam esse, quod in ludis literarijs rari admodum Grammaticas præceptiones docent. Idq; fieri video alias inertia præceptorum, quos laboris piget: Nam quia subasperæ sunt præceptiones, non sine negocio ad eas discendas pueri perpelluntur: alios pudet in re, quæ nihil habet ostentationis, versari. Ita fit, vt vix vnquam neglectis his primis literarum elementis, pueri ad frugem perueniant. Sed enim egregiam operam nauare mihi videntur, qui ad præceptiones addiscendas diligenter accurateq; pueros assuefaciunt. Neque enim aliter aut recte intelligent aliena scripta, aut tuto loqui audebunt ipsi. Et in Syntaxi prodest exigere, vt non modo discant, quid cui cohæreat, sed numerent etiam ordine vocabula, quæ ad perfectam sententiam efferendam requiruntur.

Vide de Periodis Sturmium in 2. dialog. Partit. Orat. Cic. & Ludouicum Strebæum de electione & collocatione verborum & Valentinum Erythræum.

Orditur sententiam Nominatiuus, aut quod vice Nominatiui fungitur. Hunc proxime sequitur verbum finitum: deinde adijcitur obliquus, alicubi & aduer-

Ordo & progressio verborum naturalis.

aduerbia : & attexunt ſæpe plura nomina præpoſitiones , ſæpe aut integra commata aut verba ſingula coniunctiones. *Hunc ordinem verborum in interpretando vtile eſt à pueris exigere , vt animaduertant , quod voces ſententiam abſoluant , quomodo ſingulis nominibus , ſingula verba reſpondeant. Sed has nugas fortaſſe pædagogus aliquis faſtidiens , me delirare clamitabit , qui hanc ſuperſtitioſam diligentiam flagitem, præſertim cum ſermo ſit liberior , nec huiuſmodi collationem vocum requirat. Ego vero in ſermone non requiro hanc puerilem ſtructuram , in quo veterum conſuetudinem imitari compoſitio debet : Sed in interpretando cenſeo adiuuari infirma puerorum ingenia , ſi ad hunc modum , quem præſcripſi , vocabula ſingillatim enumerentur. Vix enim fieri poteſt , vt puer peruideat ſententiam longiuſculæ periodi , niſi velut per ſcalarum gradus , ordine per ſingulas partes periodi ad extremum progrediatur. Sæpe in oratione ἀνανταπόδοτα quædam relinquuntur , & mutila , ſæpe etiam hyperbata quædam , & tranſpoſita , quæ omnia deprehendentur hac ratione facilime. Vt verbi gratia hi verſus :* [*Virg.* I. *Aeneid.*]

Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus aras,
Dorſum immane mari ſummo , &c.

Rectius intelligentur , ſi hoc modo recenſeantur ſingulæ partes orationis : Quæ ſaxa in mediis fluctibus , Itali vocant aras. Et cohæret appoſitione,

k aras

aras dorſum immane ſummo mari, Id eſt, quæ eminent in ſummo mari velut dorſum.

Continuatio.

Sunt autem ſtatim etiam docendi pueri, ex quibus partibus integra periodus conſtet, *quia enim veteribus placuiſſe videmus, ſententiarum membra* περιοδικῶς *contexere, non eſt ea ratio à nobis negligenda. Ea diligentia ſæpe ad copiam ſermonis conducit. Nam cum circumductionibus vtimur, ſæpe cauſſam præponimus, ſæpe antitheſin facimus, ſæpe comparationem, quæ ornamenta reddunt ſermonem vberiorem. Sic comparatione facta eſt periodus à Cicerone, pro domo ſua:*

Cum multa pontifices, à maioribus noſtris diuinitus inuenta atq; inſtituta ſunt, tum nihil præclarius, quam quod eoſdem & religionibus deorum immortalium, & ſummæ Reipub. præeſſe voluerunt. Deinde adiecit cauſſam:

Vt ampliſſimi ciues Rempublicam bene gerendo, Pontifices religiones ſapienter interpretando, Rempub. conſeruarent.

Fit autem Periodus ex commatis & colis.

Commata Cicero (in Orat.) vocat inciſa, ſunt enim imperfectæ orationes.

Cola membra ſunt, & in longa circumductione pene perfectæ orationes, vt κῶ-

eſt:

Cum

Cum multa Pontifices à maioribus nostris diuinitus inuenta atq; instituta sunt:

Aliud κῶλον.

Tum nihil præclarius, quam quod vos eosdem & religionibus deorum immortalium, & summæ Reipublicæ præesse voluerunt:

Tertium κῶλον.

Ut amplissimi ciues Rempublicam bene gerendo, Pontifices religiones sapienter interpretando, Rempub. conseruarent.

Sed partes colorum, commata sunt, vt:

Inuenta atq; instituta sunt,

Et religionibus deorum immortalium,

Et summæ Reipublicæ præesse.

Poterat enim simpliciter dicere Cicero:

Bene institutum est, vt ijdem præsint religionibus, & summæ Reipub. Sed sonus orationis grauior fit, cum accedit collatio, item in fine caussa.

Sequitur in eadem oratione alia periodus, ex collatione facta:

Quod si vllo tempore magna caussa in sacerdotum populi Romani iudicio ac potestate versata: Id est primum κῶλον.

Hæc profectò tanta est, vt omnis Reipublicæ dignitas, omnium ciuium salus, vita, libertas, aræ, foci, dij penates, bona fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, fidei, potestatiq; commissa, creditaq; esse videantur. Id secundum κῶλον. Κόμματα sunt:

Omnis Reipublicæ dignitas,
Omnium ciuium salus, vita, libertas, &c

DE DISTINCTIONIBVS.

RETVLERIT *fortassis & de Distinctionibus, siue posituris, vt vocant Græci,* * *aliquid hoc loco addere. Pertinet enim hoc quoque ad perspicuitatem & lucem orationis, si membra, siue partes periodorum apte ac suis locis à se mutuo distinguantur. Et sæpius videmus, totam sententiam obscuriorem, aut etiam ambiguam reddi, neglecta distinguendi ratione.*

* Hæ sunt θέσεις & στιγμαί.

Περὶ τῆς διαστολῆς ἢ θέσεως.

Vide Theodorũ Gazam, in fin. lib. 4. & Valentinum Erythræum.

Sunt igitur tres distinctionum species: Subdistinctio, Græce ὑποστιγμή. Media distinctio siue mora, Grece μέση στιγμή, & quæ proprie distinctio vocatur, Græci τελεία στιγμή.

Subdistinctio est, quæ puncto caudato, & sinistrorsum leuiter inflexo, ad imum literæ hodie notatur. *Hac vtimur*

ὑποδιαστολὴ καὶ ῥάβδος, id est, virgula.

vtimur in fine commatum, aut cum articulos sententiarum à se mutuo discernimus, neque structura orationis, neque sententia adhuc perfecta.

Media distinctio est, quæ duobus plerunque punctis hodie notatur, altero ad summum, altero ad imum literæ posito, aut vno ad summum posito tantum. *Nam id quoq; reperitur. Hac vtimur, cum structura quidem verborum perfecta est, sententia autem adhuc pendet. Vt in fine membrorum siue κώλων, cum vel redditiones vel adaptationes, vel similia in periodis expectantur.*

Distinctio finalis est, quæ puncto simplici atque integro ad imum literæ hodie notatur. *Hac vtimur in fine periodi, aut cuiuscunque sententiæ completæ. Vt in hoc exemplo,* [*Cicero, lib. 6. ep. 14.*] *Etsi tali tuo tempore, me aut consolandi, aut iuuandi tui caussa scribere ad te aliquid pro nostra amicitia oportebat: tamen adhuc id non feci, quia neq; lenire videbar oratione, neque leuare posse dolorem tuum.*

*Vides hic post singula commata positam subdistinctionem, in medio autem periodi, ante redditionem videlicet quæ ab aduersatiua particula, Tamen, incipit, moram, siue mediam distinctionem: in fine autem periodi, distinctionem finalem. Atq; hæc distinguendi ratio hodie à plerisq; seruatur. Veteres * autem vnica nota siue puncto ad omnes distinctio-*

* καὶ στίζειν δὲ γράφοντας κατὰ τὰς

ſtinctiones vtebantur, ita vt ſubdiſtinguerent, ad imum literæ puncto notato: finaliter diſtinguerent, ad ſummum literæ puncto poſito. Moram autem notarent, poſito puncto ad literæ dorſum ſiue medium. Id quod ex Seruio Donato & Diomede † animaduertere licet.

εἰρημένας διαφοράς· τὸ μὲν τέλειον ἐφεξῆς ἐν τῷ μέσῳ, τὸ δ᾽ ἀτελὲς παρεγκλίνοντας πρὸς τὸ κάτω, τὸ δὲ μέσον παρεγκλίνοντας πρὸς τὸ ἄνω.

Hæc Theodorus in 4.

† Diomed. lib. 2. cap. de dictione.

PROSODIA.

*SVPRA * DIXIMVS Proſodiam eſſe, quæ ſyllabarum accentus docet. Accentus autem diuidi in Tonos, Acutum, Grauem, & Circumflexum. Sed quia Tonorum ratio abſque ſyllabarum quantitate cognoſci non poteſt, conſulto eius rei tractationem ad finem huc diſtulimus, vt ſimul de temporibus ſyllabarum, & de Tonorum ratione hoc loco ageremus.*

† Pagin. 2.

De re metrica extant eruditiſſimi & conſummatiſſimi libri tres Iacobi Micylli.

DE TONIS.

Toni igitur tres ſunt, vt diximus: Acutus, quo ſyllaba pronunciando attollitur.

tollitur. Huius sedes sunt: Vltima, Penultima & antepenultima syllaba. Vltima, vt: Scrobs, Frons, Stirps. *Nam omnes monosyllabæ dictiones inter vltimas syllabas numerantur, id quod & deinceps, cum de temporibus siue quantitatibus dicemus, pueri meminisse debent.* Penultima, vt: *Lupus, Agnus, Curro, Volo, &c.* Antepenultima, vt: *Dominus, Cicero, Telemachus, Neoptolemus, &c.*

Grauis, quo syllaba grauiter, hoc est, absque aliqua vocis eleuatione, aut mora enunciatur. *Hic in omnibus syllabis seruatur, quæ non acuuntur aut circumflectuntur. Vt in Dominus, Do, acuta est, cæteræ graues omnes. Sic in Homerus, me circumflectitur, cateræ grauantur.*

Circumflexus, ex Acuto & graui compositus est, & vtriusque naturam seruat, hoc est, cum mora quadam effertur. *Atque hæc propria huius toni vis est. Sed vt hodie pronunciamus, nihil inter acutum & circumflexum interesse videas. Eodem enim tono, Sacerdôs & Homerus efferuntur, quorum alterum mediam natura acutam, alterum circumflexam habet. Sed de hac re etiam supra * meminimus.*

* Pagina 13.

Huius sedes sunt, Vltima & penultima. Vltima, *vt in Rôs, Môs, Dôs, Aliâs, Ergô, & similibus.* Penultima, *vt in Pîra, Lêna, Sperâre, Amâre, &c.*

Habet autem quælibet dictio vnum tantum accentum, qui notetur, hoc est, vnam tantum syllabam acutam vel circumflexam, cæteræ omnes grauantur, præterquam si quæ ἐγκλιτικαὶ acuuntur, *de quibus postea dicetur.*

Ac quod ad monosyllabas & dissyllabas voces attinet, non ita difficilis tonorum ratio est. Nam vt hodie pronunciamus, omnium earum vnus atque idem pronunciandi vsus est.

Nam quæ monosyllabæ sunt, in contextu graui tono vbiq; hodie efferuntur, siue eadem syllaba longa siue breuis sit. *Quod non lege aut ratione fit, sed consuetudine.* Nam ex regula omnes monosyllabæ natura, * non positione longæ circumflecti debebant. *Ut in exemplis supra positis apparet.* Cæteræ autem siue breues, siue longæ positione acuuntur. *Qui tamen acutus in contextu orationis in grauem conuertitur.*

* Natura longam eam dicimus, quæ aut diphthongum aut vocalem longam habet.

Quæ vero dissyllaba sunt, priore syllaba eleuata fere proferuntur, vt: *Lupus, Annus, Panis, &c. Quod ipsum quoque consuetudine magis fit, quàm ratione.* Nam in ijs, quæ priorem natura longam, sequenti breui habent, eadem circumflecti ex lege debebant. *Sed vt supra * mo-*

Pag. 497.

nui,

nui, quoniam circumflexi pronunciatio & acuti apud nos confunditur, vnus vtrobiq; tonus seruatur.

Atq; in his veritas quidem cognosci, sed exprimi non potest, sinceritate pronunciandi amissa. Quod autem placuit quibusdam, abolere legem veteris sermonis, vt ait Fabius, & acuere aut circumflectere vltimas syllabas earum vocum Latinarum, quæ vnam syllabam excedunt, vt: Ponè, Penè, Intró, Ergô, Illíc, Istíc, Circúm, Profectò: & similium, id quia curiositatis est non necessariæ, sequendum fortasse non sit: Cum plane dicat Fabius, neq; acutam neq; flexam syllabam, claudere vocem Latinam, Id est, dissyllaba & polysyllaba nunquam acui, aut circumflecti in fine.

Polysyllabarum alia paulo ratio est, eaque tota ex penultimæ quantitate apud Latinos pendet. *Nam perinde vt illa longa vel breuis fuerit, ita in eadem, vel in antepenultima tonus erit.*

Acuunt igitur antepenultimam, quæcunque penultimam breuem habent, vt: *Dominus, Similis, Optimus, Pessimus, &c.*

In peregrinis potest retineri tonus proprius linguæ, vt: *Helias, Esaias, Maria.* Græca autem cum literas scripturamq; retinent, ne tonum quidem mutant, vt: *Philosophia, Geometria, Astrologia, Geographia, Theologia.* Quæ non retinent, tonis etiam variant,

ant, vt: *Comœdia, Tragœdia, Purpura quæ eſt* πορφύρα. *Burrus, qui eſt* πυῤῥός. *Huc addatur & Hiſtoria & Eccleſia. Ergo Paracletus & Idolum & ſimilia, tonum in penultima habebunt. Quidam tamen mutare in his quantitatem etiam auſi fuerunt, de quo iam alia eſſet diſputatio. Nam Academia, Alexandria, Antiochia, Muſeum, tonum habent in penultima, quia hæc eſt longa. Quam ſi corripias, vt Plautus, Seleuciam, fiet hoc figurate, & tonus erit in tertia à fine.*

Quæ vero longam penultimam habent, ſiquidem natura longam habent, ſequente breui, eandem circumflectunt, vt: *Homerus, Amarus, Serenus, &c.* Sin poſitione longam habent, aut natura longam, longa altera ſequitur, eandem acuunt, vt: *Sacerdos, Mecœnas, Auernus, Externus, & ſimilia. Quanquam vt iam aliquoties monui, ita nunc vulgo pronunciamus, vt inter acutum & circumflexum nullam differentiam agnoſcas, eademq; eleuatio vtrobiq; ſeruetur.*

Excipiuntur autem & hinc, quæ per ſyncopen dicuntur, in quibus idem tonus, qui in integris fuit, manet, vt: *Pecuni, pro, Pecunij. Tuguri, pro, Tugurij. Mercuri, pro, Mercurij. Valeri, pro, Valerij, & ſimilia.*

Quo pacto & vocatiuos eorundem nominum Priſc. [*lib. 7. de vocatiuo ſecundæ decli.*]

pro-

pronunciat, nam & hi, vt ipſe ait, antiquitus ſyllaba vna longiores fuere. *Et pro iis, qui nunc ſunt: Mercuri, Valeri, &c. Mercurie, Valerie, &c. antiqui dixerunt.* *

* Liuius Andr. Neque enim te oblitus ſum Laertie noſter.

Sed & hoc Gelliano illi Nigidio, [*lib.* 13. *cap.* 24.] *non probabatur, qui huiuſmodi vocatiuos in I, dum breuem penultimam haberent, acuta antepenultima proferre ſolebat.*

Contra autem compoſita illa, quæcunq; ex præpoſitione & aduerbio, ſiue coniunctione conſtarent, *Priſc.* [*in lib. de accentibus in fine*] *& apud Gellium,* [*lib.* 7. *cap.* 7.] *Poëta Annianus* antepenultima acuta proferenda cenſebant, ſiue eandem penultimam breuem ſiue longam haberent. *Vt ſunt, admodum, affatim, affabre, aduerſum, exaduerſum, exinde, proinde, deinde, & ſimilia. In quibus tamen hodie paucos reperias, qui exemplum illorum ſequi velint.* Quare in his & ſimilibus tutiſſimum erit, temporum atq; doctorum hominum conſuetudinem obſeruare, verbiſque vt ille ait, * præſentibus loqui. *Nam perinde vt nummi, ſic etiam verba conſuetudine ac vſu valent: Ita tamen, ne pro veris atque legitimis, adulterinis & nothis vtamur. Nam vt conſuetudinem*

* Phauorinus apud Gellium lib. 1. cap. 10.

nem consensus facit, Ita rursus tamen non omnium, sed doctorum consensus in his locum habere debet. †

† Quintilianus lib. 1. cap. 11.

Sunt autem & voces quædam * ἐγκλιτικαὶ dictæ hoc est, quæ tonum suum in præcedentis verbi vltimam reijciunt, eamq; super se inclinant, videlicet, coniunctiones, *Que, Ne, Ve, vt:*

* ἐγκλίσεις, tonū mutant, necessitatis caussa, inquit Priscianus.

Virgil. [4. *Aeneid.*]
Vocemq; coloremq;, Et: [1. *Aeneid.*]
Molirìue moram. *Item:*
Hominèmue deùmue, &c.

In quibus omnibus duplex accentus est, alter proprius dictionis, alter enclisios ratione additus, & velut in tergum encliticæ reiectus.

Ad quod exemplum etiam vbiq; & pleraque vulgo acuta penultima proferuntur, *tametsi in his Que, separata non sit, neque etiam potestatem suam retineat.*

Quibus addidit Priscianus, [*lib. 5. cap. de figura Nominum, & lib. 14. in princ. fere.*] & *Vtraq;*, quod ipse tam Nominatiuo quam Ablatiuo casu penultima acuta dici ait. *Sed tamen in hoc Nominatiuus & Accusatiuus, prima acuta hodie efferuntur differentiæ caussa. Ob quam eandem & Vtique & Itaque, primam acutam habent.*

In vni-

In vniuerſum autem illud pueri admoneri debent, haudquaquam idem eſſe accentum & quantitatem, neque ſtatim ſyllabam eam longam eſſe, quæ accentu acuto profertur. *Vt prima in Dominus acuitur, non quia longa eſt, ſed ex regula tonorum, quoniam dictio ipſa polyſyllaba exiſtens, penultimam breuem habet. Quo pacto & de Græcis, ceu ſunt, Sophia, Theologia, & ſimilibus alijs iudicandum.*

DE TEMPORIBVS SEV QVANTITATE SYLLABARVM.

Syllabarum aliæ breues, aliæ longæ, aliæ ancipites ſunt.

Breues, vt: *Per ∪ In ∪ Es ∪. His tempus attribuitur, quod breue vocant ſiue ſimplex.*

Longæ, vt: *Stirps – Mos – Ros –. His attribuitur longum ſiue geminum.*

Ancipites, *vt priores in Atlas, Cygnus & ſimilibus, quæ nunc pro breuibus, nunc pro longis vſurpantur.*

Eſt autem tempus pronunciandi mora, vt ea, quæ minima atq; breuiſsima in ſcanſione metrorum ſentitur. *Cui ſimile nonnihil habet, & menſura muſicorum, quam vocant. Nam & illi vocibus alijs ſingulas, alijs binas, aut ternas menſuras tribuunt.* Cognoſcitur autem ſyllabarum quantitas, vel exemplis, vel regulis.

gulis. Exempla à *Poëtis sumuntur : Quorum collatione potissimum refert, eas syllabas cognoscere, quæ alias sub regulas generales non cadunt.* Regulæ *autem variæ ac multæ sunt, ex quibus nos, quæ communes ac generales potissimum sunt, ordine recensebimus.*

PRIMA REGVLA.

DE POSITIONE.

Positio omnis longa est. Est autem positio, cum sequuntur duæ consonantes vocalem, vt : *Ar-ma, Il-le.* Aut duplex, vt : *Axis, Gaza, &c.* *

* Item I atque V, si consonantium vim habuerint.

EXCEPTIO.

Liquida † cum muta coniuncta, syllabam ancipitem facit, vt : *Tenebræ, media producta.* * *Et Tene ᴗ bræ, media breui.* †

† Præcipue L & R, rarissime M & N.

* Vt lib. 5. Ae. Inhorruit vnda tenebris.

† Sil. lib. 12. Agnouit tenebris cœlestia bella Tiphœus.

Quod ita intelligendum, si vocalis syllabæ breuis sit, *vt in Atlas, Patres, & similibus.* Nam si vocalis longa sit, corripi propter liquidam syllabam nō potest, vt : *Simulacrum* * per-

* Vt 7. Aeneid. Multa modis simu-

petuo

petuo A longum habet. Est enim à Simulare, cuius A, natura longum est.

lacra videt volitantia miris.

SECVNDA.

Vocalis ante vocalem corripitur, vt: *Delitiæ, Italia, Pius, Reus, &c.*

EXCIPIVNTVR.

Aër. † *Virgilius,* [I. *Eclog.*

Nec gemere aëria cessabit turtur ab vlmo.

† Habet enim ē, a longum.

Fio, quod in dissyllabis longum est, vt: *Fiam -- Fies -- Fiet--.* At in polysyllabis fit breue, vt: *Fieri, Fierem, &c.*

* *Dius, a, um: Dia Camilla, apud Virgilium,* [II. *Aeneid.*] Et: *Dia Mosella, apud Auson.*

* Est enim δῖος, δῖ☉, vt: δῖ☉ ἀχιλλεύς.

Diana, quod primam indifferentem habet, vt: *Exercet Diana choros. Virgilius,* [I. *Aeneid.*] *Et:*

Ira pharetratæ fertur satiata Dianæ. Ouid. [3. *Metamorph.*]

Et Genitiui pronominum secundæ declinationis, quiq; illorum formam sequuntur, vt: *Illius, Istius, Ipsius, Vnius, Nullius, Solius, &c.* Quæ ipsa quoque penultimam

anci-

ancipitem habent, vt: [1. *Aeneid.*] *Uni-us ob iram Prodimur, &c.*

Et: [eodem loco.]

Uni us ob noxam & furias, &c.

Item Genitiui & Datiui quintæ, in quibus E, quod in penultima est, aliam ante se vocalem habet, vt:

Diei-- Aciei-- Progeniei--.

Lucret. [*lib.* 1.] *Non radij solis, neq; lucida tela diei.* Et Genitiui antiqui in AI, vt: *Aulai in medio libabant pocula Bacchi. Virgil.* [3. *Aeneid.*] *Præterea & Interiectiones quædam, vt: Eheu. Virgilius,* [*Eclog.* 2.] *Eheu quid volui? &c.*

Heu, duæ syllabæ, *vt apud Martial. lib.* 8. [*epig. penult.*] *Heu quam bene nunc Papyriane Annei faceret manus Sereni, &c.*

Et Obe, quod vtroque modo ponitur, *vt apud eundem:* [*lib.* 4. *epig. vlt.*] *Obe iam satis est, obe libelle. Et Iuuenal.* [*sat.* 7.] *Satur est, cum dicit Horatius obe.*

Græcorum est tanta varietas, vt certis regulis comprehendi non possit. Proinde ab exemplis illorum quantitas petenda erit.

Cæterum ea vis est huius regulæ, vt etiam longæ syllabæ in fine dictionum corripiantur, sequente vocali, *vt apud Virgilium,* [3. *Aeneid.*]

Insulæ

Insulæ Ionio in magno. Et : [Eclog. 8.]
Credimus, an qui * *amant, ipsi sibi somnia fingunt, &c.* Quod à Græcis sumtum, apud quos huiusmodi syllabæ, pro communibus habentur, vt :

* Sic Lucretius in 5. Pectora terrarum qui in orbi sancta tuetur.

[Ιλ. α] τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω, πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισι.
Et : ἡμετέρῳ ἐνὶ οἴκῳ ἐν Ἄργει τηλόθι πάτρης.

TERTIA.

Diphthongus omnis longa est, vt : [1. Aeneid.]
Aeolus, & clauso ventorum carcere regnet. Et :
Eurus ad auroram, Nabathæaq; regna recessit.
Ouid. [1. Metam.] Inuenias tamen etiam breuem in compositione, sequente vocali, vt : [7. Aeneid.] *Sudibusq; præustis.* *Vbi Græca imitatione correpta est.*

QVARTA.

Præterita dissyllaba, habent priores longas, vt : *Li - qui, Fu - gi, Fe - ci, Cu - di, Si - ui, etc.*

EXCIPE.

De ∪ di *Addi ∪ di.*
Tu ∪ li

Tu˘li,		*Attu˘li.*
Ste˘ti	Cum compo-	*Asti˘ti.*
Bi˘bi,	sitis, vt:	*Ebi˘bi.*
† *Sci˘di,*		*Resci˘di.*

† Veteres etiam Sciscidi dixerunt, vt inquit Prisc.

Fi˘di, *Diffi˘di,* &c.

Virgil. 9. *Aeneid. Liquefacto tempora plumbo Diffidit, & multa porrectum extendit arena.*

Excipe item, quæ duabus vocalibus finiunt, * vt: *Rui, Plui, Lui,* &c.

* Pertinent enim ad regulam de vocalibus.

Obseruabis etiam figuras, *Ii, ab Iui. Petii, pro, Petiui,* &c.

QVINTA.

Supina dissyllaba habent longas priores, vt: *Lu-sum, Cu-sum, Fu-sum, Cre-tum, Vi-sum,* &c.

EXCIPE.

Datum ˘˘	*Situm* ˘˘	*a Sino.*
Statum ˘˘	*Litum* ˘˘	*a Lino.*
Satum ˘˘	*Citum* ˘˘	*a Cieo.*
Ratum ˘˘	*Rutum* ˘˘	*a Ruo.*
Itum ˘˘	*Quitum* ˘˘	*a Queo.*

Et a Nosco composita, *Agnitum* & *Cognitum.*

à *Lutum* † autem composita, longas penultimas habent,

† à Luo.

habent, vt: *Elutum, Pollutum, Dilutum.*

Persius, satyra 3.

*Dilu-tas * queritur gemi- net quod fistula guttas.*

* Alias querimur.

SEXTA,

DE DERIVATIS.

Deriuatum sequitur naturam originis siue thematis sui, vt:

Le ∪ go, Le ∪ gerem, Le ∪ gam.
Le - gi, Le - gissem, Le - gero.
Sta - bam, Sta - bo, Sta - rem.
Ste ∪ ti, Ste ∪ tissem, Ste ∪ tero.

Sic & :

Do ∪ minus, Do ∪ mini, Do ∪ minor.
Po ∪ tis, Po ∪ tior, Po ∪ testas, Po ∪ tiri.

Sunt tamen quæ contra naturam primitiuorum corripiuntur vel producuntur, vt: †

Lu ∪ cerna, a Lu - ceo, * *Sta ∪ bilis, a Sta ∪ bam, Te- gula, a Te ∪ go,* † *Re - gula a Re ∪ go, & similia,* quæ vsu & exemplis comprehendere satis est.

† Mart. in apoph. Non norat parcos recta lucerna patres.

* Virgil. 1. Aeneid. Connugio iun gam stabili propriamque dicabo.

† Horatius satyra 3. Regula peccatis quæ pœnas irrogat æquas.

SEPTIMA.

DE COMPOSITIS.

Præpositiones in compositione magna ex parte ex regulis generalibus cognoscuntur.

Longæ sunt:

A, vt in verbis : A - mando, A - uerto.
E, vt : E - ligo, E - mitto.
De, vt : De - pono, De - ficio.
Di, vt : Di - luo, Di - duco. Præterquam in *Dirimo & Disertus.*
Præ, vt : Præ - pono. Sed hæc etiam diphthongo sua nota est.
Co, sequente consona, vt : *Co - go.*
Et Re, in dictione *Refert,* pro vtile est. * item quoties positione extenditur. *Vt in verbis Rettuli, Repperi, Relligio, Relliquiæ, & similibus.*

* Virgil. 2. Georg. Numero comprendere.

Pro, alias longa est, quando videlicet naturam præpositionis Latinæ retinet, vt: *Produco, Propono. Horat.* [*in arte.*] *Signatum præsente nota producere nomen.*

Alias breuis, vt quando habet significationem particulæ procul, vt : *in Profugus, Profundus, Profanus, Proficiscor, & quibusdam alijs. Propertius,* [*lib. 3. eleg. 21.*] *Ma-*

gnum

gnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas.

Corripiuntur tamen & *Pronepos, Proternus, Profari, & Profiteri*, in quibus significatio particulæ pro nul non ita manifesta est.

Et in verbis *Procuro, Profundo, Propello, & Propago*, tam longa quam breuis prima reperitur.

Propago autem nomen, cum significatione mutat & quantitatem. Nam pro vite † producitur, vt: [2. *Georg. in princ.*] *Flexos pro - paginis arcus.* Pro posteritate autem siue progenie, corripitur, vt: [1. *Aeneid.*] *Sit Romana potens Itala virtute pro ∪ pago.*

† Et tūc veteres P geminare sunt soliti, vt indicat Erythræus in indice Virgiliano.

Reliquæ Præpositiones fere corripiuntur, vt: *Ad, Ab, Ob, Sub, In, Con, Per, Inter, Super, &c.*

Item O, vt in verbo *Omitto. Horat.* [*in art.*] *Pleraq; differat, & præsens in tempus omittat.*

Composita à verbis secundæ coniugationis, in quibus prior compositi pars in E desinit, tam longa quam breui E leguntur, vt:

Thura liquefaciunt, indutaq; cornibus aurum
Victima vota facit. *Ouidius, 7. Met.* *Et:*
Et media aduersi liquefacto tempora plumbo,
Diffidit, &c. Virg. [*9. Aeneid.*]

Cætera quæ ex corruptis componuntur, aut ex corrupto & integro, si prior pars in E vel I desinat, syllabam eandem corripiunt, vt: *Huiuscemodi, Cuiuscemodi, apud Lucretium* * *Multiplico, Magnifico, Fatidicus, Caussidicus, &c.*

* Lucret. lib. 5. Et cuiuscemodi formarum vertere in ora.

Martialis, [lib. 5. ep. 34.]

Carpere caussidicus fertur mea carmina, &c.

Tolluntur tamen hinc quædam, vt: *Vene-ficus, Ne-quicquam, Tri-die, Postri-die,* Et quod vtroque modo vsurpatur *quotidie.* Item: *Meri-dies,* aliaq; nonnulla, quæ vsus docebit. *Atq; hæ regulæ generales de syllabarum quantitate traduntur.*

quinere liga ... in ...

Plurimæ autem syllabæ ex analogia † quoq; temporum, & casuum, & terminationum item, deprehendi possunt, quam diligens puer ex Etymologia petet. *Nam singillatim omnia repetere, quæ ad hanc rem pertinent, supra modum & institutum præsentis operis foret.*

† Micyl. libro secundo.

DE VLTIMIS SYLLABIS.

Vltimæ syllabæ fere ex declinationibus & coniugationibus cognoscuntur, vt: *Domini. Domino - Amas - Doces - Legis - Audis -, etc.*

Se:

Sed tamen & has ordine literarum, quantæ quæque sint, indicabimus.

A.

Nomina in A, primæ aut tertiæ declinationis, item pluralia Neutra, breuia sunt, vt: [*Virgil. 1. Aeneid.*] ***Arma ⏑ virumq; cano.*** *Et*: [*eod. loco*] *Musa ⏑ mihi caussas memora, etc.*

Cætera in A longa sunt, vt: *Infra - Supra - Vltra - Frustra - &c.*

Et Ablatiui primæ declinationis, vt: *Europa - atq; Asia - pulsus, &c.* [1. *Aeneid.*]

* Item: Numeralia **indeclinabilia, *vt sunt*:** *Triginta - Quadraginta ⏑, &c.*

* Aldus tamen & alii ambigua esse putant.

Verba ex suis coniugationibus cognosces.

E.

E, in fine corripitur, vt: *Cape ⏑ Cubile ⏑ Legere ⏑ Dicere ⏑ Dare ⏑, &c.*

EXCEPTIO.

I. Ablatiui quintæ declinationis in E longum desinunt, vt:
Fide - Specie - & quæ inde componuntur, vt:
Hodie - Pridie - Quare - vt:

Ouid. [1. de remed. amor.]
Qui non est hodie – cras minus aptus erit.
His adde & Fame – [Ouid. 8. Metam.]
Iamq; fame patrias, altiq; voragine ventris.
Attenuarat opes. Nam & hoc quintæ olim fuit. * Gellius lib. 9. cap. 14.

II. Desinunt & in E longum Imperatiui secundæ coniugationis, vt:
Doce – Tene – Sile – Tametsi inuenias quædam alicubi contra regulam correpta, vt: *Vale, apud Ouid. [1. Trist. eleg. 7.] vt:*
Idq; quod ignoti faciunt vale – dicere saltem.
Et Caue, apud Horat. [lib. 1. ep. 13.] vt:
Vade, vale, caue, – ne titubes, mandataq; frangas.

III. Aduerbia in E, facta ex Nominibus secundæ declinationis, producuntur, vt:
Belle – Pulcre – Docte – &c.
Sic & Fere & Ferme. Iuuenal. [sat. 13.]
Mobilis & varia est ferme na – – tura malorum.
*Et Obe, cuius exemplum supra * positum habes.* * Pagin. 515.

Tolluntur hinc *Bene & male*, quæ vltimam corripiunt, vt & cætera pleraq; siue à nominibus, siue aliunde facta, ceu sunt: *Sponte – Forte – Sæpe – Mane – Euge – Age – Rite – Virgilius, [3 Aeneid. in princip.] Rite se – cundarent visus, &c. Pene – Ouid. [3 Faster. in fine.] Pene si – mul periit, dum vult succurrere*

lapsæ. Pone ◡, *Impune* ◡, *vt:* [12. *Aen.*] *Immunem tanti belli, atque impune qui*-◡◡*etam*, &c. *Virgil.* *Item: Quippe* ◡ † *Nempe* ◡ & *similia.*

† Virg. Georg 2. Quippe solo natura subest.

IIII. Producuntur & monosyllaba pleraque in E, vt: *Me, Te, Se, Ne*, prohibendi particula, &c.

Exceptis Encliticis, *Que, Ne, Ve.* Item: syllabicis adiectionibus, *Pte, Ce, Te.*

Lucretius, [*lib.* I.]

Accipe præterea quæ corpora tute necesse est.
Confiteare, &c.

Græca ex vocalibus suis cognoscuntur, vt: εὐτέρπη, *Euterpe.*

I.

In I desinentia, producuntur, vt: *Legi - Dixi - Domini - Domui - Sorti* - &c.

Indifferentia sunt: *Mihi, Tibi, Sibi, Ubi, Ibi.*

Græca fere breuia sunt *Ouid.*

Nunc pari tu sapiens, & tu Menelaë fuisti.

O.

In O desinentia, indifferentia sunt, vt: *Leo, Virgo, Lego, Dico*, &c.

Datiui & Ablatiui producuntur, vt: *Domino - Lupo* -. *Sic & quæ ab iisdem casibus fiunt*,

fiunt, vt : Ideo - Adeo - Tanto - Quanto - Merito - Falsò -, &c.

EXCEPTIS.

Modo, quod fere corripitur.

Item : *Quomodo & Sero*, quæ alias corripiuntur, alias producuntur. *Catull.* [*de Varr. epig.* 10.] *Iam Bithynia quomodo se haberet : Hendecasyllabum est.*

Martial. [*lib.* 3. *epig.* 15.]

Cum sit tam pauper quomodo cæcus amat?

Sic *Tibull.* [*lib.* 1. *eleg.* 8.] *Heu, sero reuocatur amor.* Et : *Stat.* [1. *Theb.*] *Sero memor thalami, &c.*

Gerundia quoque indifferentia sunt.

Tibull. [*lib.* 3. *eleg.* 6.] *Aufer, & ipse meum pariter medicando dolorem.*

Græca ex vocalibus cognosci possunt, vt: *Σαπφὼ, Sappho.*

V.

V semper produc

V, Longum est, vt :

Cornu - Genu

B. d. T. corripe semper

B. D. T.

B, D, T, corripiuntur, vt :

Ab

Ab ∪ *Sub* ∪ *Ad* ∪ *Apud* ∪ *Caput* ∪ *Legit* ∪ *Dicit* ∪, *&c.*

C.

In C longa ſunt, vt :

Dic, *Duc*, Quæ à longis facta ſunt, per ἀποκοπὴν. *Fac autem à breui themate fit, ideo Eobanus Heſſus vir & Poëta optimus, breuem eſſe ſyllabam volebat.*

Hic, Pronomen indifferens eſt, aduerbium producitur. Breuia ſunt, *Lac*, * *Nec*, *Donec*. Grammatici excipiunt, ſed exemplum nullum adducunt, inquit Deſpauterius.

* Lac omnes

L.

In L deſinentia, breuia ſunt, vt,

Annibal, *Silius*, [*lib.* 2.]

Parte alia ſupplex infernis Annibal aris, &c.

Sic cætera. Præter † *Sol & Nil.* * Et peregrina in EL, *vt ſunt : Iſraël, Michaël*, *&c.* Quæ fere producuntur.

† Ouid. 2. Metam. Vlterius ſpacium medio ſol altus habebat.

* Quod contractum eſt.

M.

M breue eſt, vt :

Circum, quod in compoſitis cum interdum

dum manet, ante vocalem corripitur.

N.

In N, breuia sunt, vt:

Lumen ⏑ *Numen* ⏑ *Tamen* ⏑ *&c.*

Excipe, *Ren, Splen, Lien, Quin, Sin, En, Non.*

E, Græca pleraq;, vt: *Titan, Pæan, Siren, Troezen, Salamin, Delphin, Pandion, Actæon, & similia.*

Demtis Accusatiuis in O N & I N, vt: *Ilion* ⏑ *Procrin* ⏑ *Thetin* ⏑.

Et in A N, primæ declinationis, quæ à Nominatiuis in A veniunt. *Vt Ouidius in Fast.* [*lib.* 4.]

Maian & – ⏑ ⏑ *Electram, Taygetamq; Ioui.*

Nam quæ à Nominatiuis in A S veniunt, producuntur, vt: *Aenean. Cætera à Græcis pete.*

R.

R, in fine corripitur, quacunque vocali præcedente, vt: *Cæsar* ⏑, *Carcer* ⏑, *Vir* ⏑, *Leuir* ⏑, *Vultur* ⏑, *&c.*

Excipe, *Par* cum compositis, vt: *Compar, Impar.* Item: *Nar fluuij nomen, * Lar, Far, Cur, Fur, & Ver. Ouid.* [I. *Met.*] *Ver erat æternum, &c.*

* Virgilius, 7. Aeneid. Sulphurea Nar albus aqua.

Præ-

Præterea Græca in E R, tertiæ declinationis, vt sunt: *Aër, Aether, Stater, Crater, Character, & similia.*

AS.

In A S longa sunt, vt:

Bonitas –, Maiestas –, Aetas –, &c.

Excipiuntur accusatiui Græci tertiæ declinationis, vt: *Troadas, Arcadas, Rhetoras.*

Et Nominatiui fœminini eiusdem declinationis Græci, vt: *Pallas, Cyclas, Pleias.*

Ouid. [*lib. 1. de Pont. eleg 9.*]

Quatuor autumnos Pleias orta facit.

ES.

In E S, pleraque longa sunt, vt:

Fides –, Dies –, Fames –.

Breuia sunt Masculina, quibus Genitiui crescunt, vt: *Miles ◡, Hospes ◡, Sospes ◡.*

Virgil. [2. *Aeneid.*] *Et duri miles Vlyssi.*

Præter *Paries, Pes, Locuples,* & quæ inde fiunt.

Breuia item sunt, E S verbum, cum compositis. *Persius,* [*sat.* 1.] *Fur es, ait Pedio, &c.*

Et penes. Horat. [*in arte.*]

Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

Et

Et Græca in ES pluralia, tertiæ declinationis, & singularia neutra, vt: *Troades, Atlantides, Hippomanes, Cacoëthes,* & similia. Virg. [1. Georg.]

Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.

Iuuenal. [*sat.* 7.] *Tenet insanabile multos*
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit.

IS.

IS breue est, vt:

Ignis ◡, *Piscis* ◡, *Legis* ◡, *Ditis* ◡, *&c.*

Excipiuntur Datiui & Ablatiui plurales, vt:

Quis –, *Pro Quibus, Dominis* , *Bonis* –, *Nobis* –, *Vobis* –, *&c.*

Item nomina tertiæ declinationis, quæ ITIS vel IRIS Genitiuo faciunt, vt: *Lis* – *Glis* – *Samnis* –. *Et Vis, nam & huius plurale Vires, quidam faciunt. Ouidius.*

Tantaq; commoti vis est aquilonis &c.

Et verba secundæ personæ præsentis, quartæ coniugationis, aut coniunctiui modi, vt: *Audis, Possis. Et Vis,* cum compositis, vt: *Quamuis, Quiduis, &c.*

Coniunctiua futura alias corripiuntur, alias producuntur. *Iuuenalis,* [*sat.* 3.]

Si dixeris æstuo, sudat. *Horat.* [*in arte.*]
Dixeris egregie, &c. *Idem,* [*li.* 2. *serm. sat.* 2.]

sat. 2.] Miscueris elixa simul, &c. Et Ouidius, [1. *Fast.*] *Da mihi te placidum, dederis in carmina vires.*

Inde & longæ fiunt secundæ personæ plurales, vt: *Dederitis, penultima longa.* *

* Ouidius, 6. Metamorph. Accepisse simul, vitam dederitis in vndis.

Y S.

Etiam Græca in Y S, per ypsilon, breuia pleraque sunt, vt:

Tethys ˘ *Chelys* ˘ *Capys* ˘, *&c.*

O S.

In O S longum est, vt:

Bos –, *Ros* –, *Dos* –, *Os* –, *Oris* –, *&c.*

Ouid. [1. *Metam.*] *Os homini sublime dedit.*

Sic & Accusatiui plurales, *Dominos, Lupos.*

Breuia sunt: *Os Ossis, Compos & Impos.*

Et Græca pleraque neutri generis, aut secundæ declinationis simplicia, vt: *Chaos* ˘, *Melos* ˘, *Tenedos* ˘, *&c.*

Item, Genitiui tertiæ, vt: *Pallados* ˘, *Tethyos* ˘, & similia.

V S.

V S, breue est, vt:

Tempus

Tempus ᴗ, *Venus* ᴗ, *Legimus* ᴗ, *Dicimus* ᴗ, *&c.*

Excipiuntur monosyllaba, vt: *Pus*, *Rus*, *Plus*, *&c.* *Iuuenal.* [*sat.* 6.]

Plus aloës quam mellis habet, &c.

Et Fœminina, quæ crescunt Genitiuis, vt: *Tellus*, *Salus*, *&c.* *Breue tamen fecit Horatius*, [*in arte.*] *Palus*, *vt:*

Regis opus, sterilisq; diu palus, aptaq; remis.

Græca ex scriptura sua noscuntur. *Atque hactenus de syllabis.*

Fiunt autem ex complexione syllabarum pedes.

DE PEDIBVS.

† Pes est certa syllabarum constitutio, vt: *Pedum alij simplices, alij compositi sunt.*

† Sic definit Hephæstio: πούς ἐστι ποιῶν καὶ ποσῶν συλλαβῶν σύνθεσις εἰς ἀπερτὶς χῆμα.

Simplices, dissyllabi quatuor.

Pyrrhychius	ᴗᴗ	*vt Deus*
Spondeus	– –	*vt Fraudes.*
Trochæus	– ᴗ	*vt Annus.*
Iambus	ᴗ –	*vt Tenax.*

Trisyllabi octo:

Dactylus	– ᴗᴗ	*vt Commodus.*
Anapæstus	ᴗᴗ –	*vt Domini.*

Molossus

Moloſſus	– – –	*vt Complexi.*
Tribrachys	∪∪∪	*vt bibere.*
Amphibrachus, *qui &* Scolius *dicitur*	∪–∪	*vt relictus.*
Amphimacer, *qui &* Creticus	–∪–	*vt Caſtitas.*
Antibacchius	∪– –	*vt vereri.*
Bacchius	– –∪	*vt Cantare.*

Compoſiti tetraſyllabici ſedecim.

Proceleuſmaticus	∪∪∪∪	*vt Hominibus.*
Diſpondeus	– – – –	*vt Inconſtantes.*
Choriambus	–∪∪–	*vt Hiſtoriæ.*
Antiſpaſtus	∪– –∪	*vt Secundare.*
Dijambus	∪–∪–	*vt Seueritas.*
Ditrochæus	–∪–∪	*vt Comprobare.*
Ionicus à maiore	– –∪∪	*vt Cantabimus.*
Ionicus à minore	∪∪– –	*vt Venerantes.*
Epitritus primus	∪– – –	*vt Salutantes.*
Epitritus ſecundus	–∪– –	*vt Concitati.*
Epitritus tertius	– –∪–	*vt Communicant.*
Epitritus quartus	– – –∪	*vt Incantare.*
Pæon primus	–∪∪∪	*vt Conficere.*
Pæon ſecundus	∪–∪∪	*vt Reſoluere.*
Pæon tertius	∪∪–∪	*vt Sociare.*
Pæon quartus	∪∪∪–	*vt Temeritas.*

Ex his igitur inter ſe certa lege iunctis verſus omnis generis fiunt.

Eſt enim verſus, quod & metrum Græ-

m cis

cis dicitur, legitima pedum compoſitio. *Horum nos hic genera aliquot ſubijciemus, ea videlicet, quæ & communiora ſunt, & in vſu apud Poëtas frequentiori: Quo pueri & compoſitionem illorum videant, & hinc initium facientes, ipſi quoque eodem ſcribendi genere ſe exerceant.* Multas autem habet vtilitates conſuetudo ſcribendi carmen. Magnam enim copiam verborum & figurarum, & quandam etiam ſublimitatem, *vt Quintilianus* * *appellat*, orationi ſolutæ affert. *Neque poteſt fieri, vt omiſſa exercitatione ſcribendorum verſuum, tolerabiliter ſcribamus orationem ſolutam. Atque eius rei plures ſunt cauſſæ, quam vt hic recitari poſſint. Adigant igitur præceptores pueritiam ad hanc exercitationem ſumma cura. Statim enim pueri innumerabiles vtilitates ſentient ſe inde percipere.*

* Fabius lib. 10. cap. 1. A Poëtis & in rebus ſpiritus, & in verbis ſublimitas, & in affectibus motus omnis, & in perſonis decor petitur, &c.

DE HEROICO METRO.

Heroicum conſtat ſex regionibus ſeu pedibus: *Dixerunt autem Heroicum, quod eo genere, geſta & virtutes heroum, hoc eſt, regum ducumq; fortia facta conſcripta ſint.*

Vocant & ἑξάμετρον per excellentiam, &

ἔπος

ἔπος, vnde Epici Poëtæ dicti. Diomed. [lib. 3.]

Recipit.

I		Spondeum vel Dactylum, vt: Arma vi -◡◡
II	re-	Spondeum vel Dactylum, vt: rumq; ca -◡◡
III		Spond. vel Dactyl. vt: no Tro - -
IIII	gi-	Spond. vel Dactyl. vt: iæ qui - -
V	o-	Dactylum regulariter ſolum, vt: primus ab -◡◡
VI	ne,	Spond. ſolum vel Troch. Nam vltimæ ſyllabæ ſunt ſolutæ legibus, vt: oris - - .

Figuræ Hexametri.

Virgilius † *autem in prima regione etiam peregrino pede vſus eſt, Anapæſto ſcilicet, vt:* [1. Georg.] *Fluuio* ◡◡ - *rum rex Eridanus, campoſq; per omnes, &c.*

† Vide indicem Erithræi Virgilianum.

Vſi ſunt in eadem regione & Proceleuſmatico pede, vt: [5. Aeneid.] *Genua la* ◡◡◡◡ *bant. Et:* [12. Aeneid.] *Arietat* ◡◡◡◡ *in Canthum.* *

* Item 11. Aen. Arietat in portas.

Quo pede Virgilius etiam alia in regione vſus eſt, vt: [3. Eclog.] *Tityre paſcentes à flumine reÿce ca* ◡◡◡◡ *pellas. Sed vterq; locus etiam aliter excuſari poteſt.*

In quinta regione inuenias & Spondeum, vt: [Perſius, ſatyra 1.] *Sic coſtam longo ſubduximus*

mus Appen -- nino. *Et :* [1. *Aeneid.*]
Tune ille Aeneas quem Dardanio An -- chisæ.

Sed in hac figura velim in quarta regione dactylum esse.

In principio tertiæ regionis, prima syllaba tum in Hexametro, tum in Pentametro solet nonnunquam breuis esse, sed ita si sit finis dictionis, quod Grammatici vocant Cæsuram,* *vt Tibull.* [*libro* 1. *eleg.* 7.]

* Cæsurarum omnium exemplum est in hoc versu Virgilii eclog. 6. Ille latus niueum molli fultus Hyacintho.

Te canit agricola, magna cùm venerit vrbe. *Et :*
Et canis arente, torreat arua siti.

Idem fit & in principio secundæ regionis & quartæ, sed rarius, vt : [3. *Aeneid.*]
Liminaq; lau ∪ rusq; Dei. *Et :* [12. *Aeneid.*]
Et furijs agitatus amor, & ∪ - conscia virtus.

DE PENTAMETRO.

Pentametrum, quod & Elegiacum dicitur, quinque regionibus seu pedibus constat.

Huius constitutio hæc est :

Ouid. de pont. lib. 2. eleg. 3.

I regio *recipit Spondeum vel Dactylum* *vulgus a* - ∪ ∪
II *Spondeum vel Dact.* *miciti* - ∪ ∪

In III

In I I I	*Prima ſyllaba longa eſt.*	*as-*
	Poſtea ſubijcitur Dact.	*vtili* - ∪∪
I I I I	*recipit Dactylum.*	*tate pro* - ∪∪
V	*Vnica conſtat ſyllaba.*	*bat* ∪.

Quæ tamen cum ſuperiore ſyllaba tertiæ regionis computata, pedem integrum Spondeum vel Trochæum facit.

In hoc metro nihil variatur, ſed apud omnes vnius *formæ, & eiuſdem rationis componitur. Ab hoc & Elegiam, vocant, conſertum cum Hexametro Pentametrum ab* ἒ ἒ, *quod idem eſt, quod heu heu.* Nam elegia lugubre carmen olim ſignificabat, *vnde Horat. in arte Poëtica:*
Verſibus impariter iunctis querimonia primum,
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.

PHALAECIVM.

Phalæcium ab autore * appellatum tradunt. Eſt autem Pentametrum, hoc eſt, quinque pedibus conſtat.

* Eſt enim inuentum à Phalæco. Diomed. in 3.

Recipit.

Martialis libro 10. epig. 47.

I		*Spondeum*		*Vitam* - -
I I	regi-	*Dactylum*		*quæ faci-* ∪∪
I I I	one	*Trochæum*	*vt:*	*unt be* - ∪
I I I I		*Trochæum*		*ati* - ∪
V		*Troch. vel Spond.*		*orem* - ∪.

 Figuræ

FIGVRAE.

Iambo & Trochæo Catullus vſus eſt in prima regione, vt : [epig. 1.]
Meas ∪ – eſſe aliquid putare nugas. Et :
Ari – ∪ da modo pumice expolitum.

Græci aliter diſtinguunt hoc metrum, vt & ſequens Sapphicum, in tres videlicet regiones, referuntq; ad genus Antiſpaſticum. Sed de eo nihil attinet hic diſputare.

SAPPHICVM.

Sapphicum, à Sappho nomen habet. Conſtat regionibus ſeu pedibus quinq;.

Recipit.

I		*Trochæum*	*Inte* – ∪
II	regi-	*Spondeum*	*ger vi* – –
III	one	*Dactylum* *vt :*	*tæ ſcele* – ∪ ∪
IIII		*Trochæum*	*riſque* – ∪
V		*Troch. vel Spond.*	*purus* – ∪

Quomodo ſcribatur docent exempla. Solent enim tres verſiculi coniungi, & ſubijci adonicus, qui conſtat Dactylo & Spondeo, vt apud Horatium, [lib. 1. Carm. Od.22.]

Integer vitæ, ſceleriſq; purus,
Non eget Mauri iaculis nec arcu,
Nec venenatis grauida ſagittis
Fuſce Pharetra.

Iambi-

IAMBICVM.†

† De hoc genere vide præter cæteros Ioachimum Camerar. in prolegomenis editis ad Plautum.

Ἰαμβίζειν insectari est, ab ἰάπτω, vnde factum nomen generi carminis maledici. *Archilochus, siue huius autor fuerit, siue celebrator potius, tanta fuit acerbitate, vt ad laqueum adegerit Lycamben. Hinc Ouid.* [*in Ibin.*]

Tincta Lycambeo sanguine tela madent.

Nullius generis tam variæ formæ sunt. *Sed nos de Senario dicemus. Alij τρίμετρον vocant, quod bini pedes singula metra faciunt.*

Recipit pedes.

Creberrimum Iambum, præcipueq; locis paribus. Et quo plus Iamborum habet, eò venustior est versus.

Prima regio admittit Spondeum, Iambum, Dactylum, Anapæstum & Tribrachyn.

Secunda, Iambum, raro Anapæstum, rarius Spondeum.

Tertia, Spondeum, Dactylum, Tribrachyn, &c.

Quarta, Iambum admittit & reliquos, sed duriore compositione.

Quinta, Spondeum, Iambum, Dactylum, Tribrachyn.

Sexta, Iambum, videmus autem alicubi recepisse & alios pedes, sed raro Amphimacrum, aut Bacchios. Huius generis sunt:

Poë ∪ - ta cum ∪ - primum ani - ∪ ∪ mum ad scri - - bendum ap - - pulit ∪ ∪. In prolog. And.

Id sibi - ∪ ∪ nego ∪ - ci cre - - didit ∪ - solum - - dari ∪ -. Et:

Obsequi - ∪ ∪ um ami ∪ - cos ve - - ritas ∪ - odium ∪ ∪ - parit ∪ -. In And. act. 1. sc. 1.

Aman - ∪ tium i ∪ - ræ amoris in ∪ - tegra ∪ - tio est ∪ -. Ibidem act. 3. scen. 3.

Discor - - dia ∪ - sit ca - - rior ∪ - concor - - dia ∪ ∪.

Eadem Dimetri ratio quoque est, vt:

Veni - - redem ∪ - tor gen - - tium ∪ ∪.
Manum ∪ - que mise ∪ ∪ ∪ ris por - - rige ∪ -.

CHORIAMBICVM.
Asclepiadeum.

Asclepiadeum ab autore seu celebratore poëta nomen habet. Choriambicum autem à pede Choriambo dicitur, habet quatuor regiones seu pedes, *vt quidem à Latinis digeritur.*

Horatius 1. Carm. Od. 1.

I		*Spondeum*	*Mecæ - -*
II	Regio	*Choriambum*	*nas atauis - ∪ ∪ -*
III	admit-	*Choriambum vt:*	*edite re - ∪ ∪ -*
IIII	tit	*Iambum vel Pyrrhych.*	*gibus ∪ ∪.*

Vicinum Asclepiadeo, Glyconicum est, quod

quod tribus tantum pedibus constat, *Spondeo, Choriambo, & Iambo siue Pyrrhychio, vt:* [*Horat. 1. carm. Od. 3.*]
Sic te -- diua potens -∪∪- Cypri ∪-.

DE SCANSIONE.

Scansio est metiri versum, & enumerare pedes. *Obseruetur autem, quod alicubi quædam syllabæ eliduntur. Cuius rei Grammatici fecerunt duas species.*

Synalœphen vocant, cum vocalis in fine propter vocalem in initio dictionis sequentis dissimulatur, siue obliteratur, vt: [*lib. 2. de arte, Ouid.*]
Non facile est æqua commoda mente pati. Nam in scandendo facil' legendum est.

Eclipsin vocant, cum M in fine vnà cum vocali præcedente eliditur sequente vocali alia, vt: [*Tibull. lib. 1. eleg. 2.*]
Audendum est, fortes adiuuat ipsa Venus.
Legitur enim, Audend' est.
Sic: [*Horat. lib. 1. serm. sat. 3.*]
Omnibus hoc vicium est cantoribus inter amicos,
Vt nunquam inducant animum cantare rogati, etc.

In Epigrammate veteri: *Da Venus consilium. Et Lucilij, Vita illa dignus locoque. Et Manilius, Formosos Phœbus geminos, Cyllenius cancrum.*

crum. Quæ elisiones fiunt in diuersis dictionibus, & sine S illa enuncianda sunt, *vt Cyllenius cancrum. Sicut apud Plautum, Sanun' es, sanus ne es. Atque hæ syllabæ breues sunt natura.* Quod autem & longarum exempla de Virgilio & alijs adducuntur, videndum ne corrupta pro emendatis assumantur. *Nam in 12. Aeneid. omnino, vt Seneca etiam ostendit, legi oportet, (Inter se coiisse viros & cernere ferro) non decernere. Constat tamen veteres & in longis vocales sine vocalibus, vt ait Cicero in Oratore, contraxisse vt ita dicerent, Multimodis, Vasargenteis, pro multis modis, vasis argenteis, sed hæc postea vsurpari desierunt.*

Est autem & quando in eadem dictione vocalis alia ante aliam absorbetur.

Quam figuram communi nomine Synæresin vocamus. *Græci autem peculiariter* Synecphonesin & Synizesin *vocant, cuius exempla sunt: Stat sua cuiq; dies, pro cuiq;.* [*Virg. 10. Aeneid.*]

Et apud Ouid. [*6. Fastor.*]

Notus amor Phædræ, nota est iniuria Thesei, pro Thesei. Item:

Quiq; fluit multo non deerit vulnere sanguis.

Et: [*13. Metamorph.*]

Nos animo, quantumq; ratem qui temperat anteit.

*Sic & Aluearia quadrisyllabum apud Virgilium * legitur, aliaq; similia.*

* 4. Georg. Seu lento fuerint aluearia vimine texta.

Huic

Huic contraria Diæresis est, quæ & Dialysis vocatur, vt:

Tibullus, [lib. 1. eleg. 7.]

Stamina non vlli persoluenda Deo.

Et: [3. Aeneid.]

Aulai in medio libabant pocula Bacchi,

pro, Aulæ.

Alicubi tamen non eliduntur vocales, vt: [3. Eclog.]

Et succus pecori & lac subducitur agnis.

Et: [2. Eclog.]

Te Coridon, ô Alexi, trahit sua quenq; voluptas.

Item: [1. Aeneid.]

Posthabita coluisse Samo, hic illius arma.

Sed habet hic aspiratio propemodum consonantis naturam, *quemadmodum & aliâs sæpe distrahit vocales, vt in voce ahenum,* * *& similibus.*

* Horatius libro 1. ep. 1. Si recte facies, hic murus ahe neus esto.

Animaduertant pueri & genus versuum esse, quos ὑπερμέτρους appellant, vbi superest vna syllaba, *vt apud Virgil.* [1. *Georg.*]

Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem,
Aut folijs vndam tepidi despumat aheno.

Nam in fine superioris versiculi syllaba vna superest, quæ tamen coalescit cum initio sequentis versus, qui à vocali incipit.

Vtuntur autem & alijs figuris Poëtæ,

ceu sunt, Syncope, vt: [II. *Aeneid.*]

Vixet, cui vitam Deus, aut sua fata dedissent, pro, *vixisset.*

Apocope, vt:

[*Aeneid.* 6.] *Teq; aspectu ne subtrahe nostro,* pro, *aspectui.*

Et: [4. *Georg.*]

Namq; aliæ victu inuigilant, pro, *victui.*

Aphæresis, vt:

[6. *Aen.*] *Discite iusticiam moniti, & non temnere diuos,* pro, *contemnere.*

Item, Epenthesis, vt.

Quales nunc epulas ipsum glutisse putamus Induperatorem, &c. pro, *Imperatorem. Iuuenalis* [*sat.* 4.] *Et*:

Tribulaq; traheæq;, &c. pro, *trahæ. Virgilius,* I. *Georg.*

Paragoge, vt:

[*Eod. loc.*] *Sin maculæ incipient rubro immiscerier igni,* pro, *immisceri.*

Tmesis, vt:

[I. *Aeneid.*] *Quæ me cunq; vocant terræ,* pro, *quæcunq;.*

Et Diplasiasmus, vt:

Relliquias Danaum, atq; immitis Achilli, pro, *Reliquias.* [I. *Aeneid.*]

Pleraq; autem alia vsus docebit optimus artium magister. * *Nam* *præcep-*

* Cicero I. de Orat. & pro Rab. Posthum.

præceptiones debent pingui Minerua viam quandam ſcribendi breuiter indicare. Deinde lectione optimorum Poëtarum iudicium confirmandum eſt, vt quid deceat, quid non deceat, intelligatur. Manum inquit Anaxagoras,* ſapientiæ cauſſam eſſe, cum vellet monere, omnes artes vſu & experiendo parari: *Ita & carminis condendi rationem illi rectiſſime intelligent, qui & ſcribere ipſi conabuntur, & in ſcribendo ſe ad veterum imitationem, omnibus ingenij viribus contulerint.*

* Galen. lib. 1. χρείας μορίων.

DE ORTHOGRAPHIA.

ESSE ALIQVAM emendate ſcribendi rationem ex eo etiam manifeſtum ſit, quod alia in hac parte alij ſequantur. *Non poteſt autem, niſi vnum eſſe verum, ſecundum verſum veterem:* ἐσθλὸν μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς ἢ κακόν. *Eſt igitur verum ac rectum, ſimplex atque vniuſmodi, bonum enim hoc certe, falſum autem & prauum, multiplex, quoniam malum. Ratio autem & ſcientia exquirit atq; inuenit verum, cum proprietatem ſermonis & naturam linguæ conſiderando, tum vſum incorruptæ antiquitatis obſeruando. Etſi autem interdum præſens conſuetudo*

tudo aliquid obtinet & euincit contra veritatem, tamen doctrina & ratio ita illud admittit, vt quemadmodum se facere Cicero ait, vsum populo, quæ certe est multitudo imperita, concedat, scientiam reseruet sibi. Quæ cum ita se habeant, constituendum primum, quid Orthographiam vocemus, deinde in quibus hæc spectetur. Est igitur Orthographia in scribendo earum literarum exaratio, quarum potestatem sincera pronunciatio secundum vniuscuiusq; linguæ naturam, requirit. *Literas appello figuras & notas elementorum, de quib. primis verba seu dictiones componuntur. Quorum vis ac potestas, vt scimus, indicio certarum figurarum indicatur, pronunciandoq; exprimitur. In qua maxime parte veritas conseruatur ab incorrupto vsu & in sermonis integritate. Non autem linguæ omnium ad quascunque pronunciationes sunt idoneæ. Quapropter quemadmodum sermonem inscitia & barbaria externorum deprauari scimus: ita etiam pronunciatio aliena fit & detorta in ore, & de lingua externa. Cum autem scriptura lectioni seu pronunciationi seruire debeat, vt id ad nostras & aliorũ aures transmittatur, quod illa commiserit, par scilicet fuerit, ea perscribendo designari, quæ proferendo enunciari velimus. Unde sequitur, si quid non recte dicatur, vt illud ne scribi quidem debeat. Non modo errat autem, qui aliquid perperam scribendo exarat, sed in errorem etiam inducit alios, qui arbitrantur scriptu-*

scripturam esse emendatam, & illam sequuntur. Primum est igitur, vt id perscribatur, quod legi & pronunciari volumus. *Ut autem vera sit scriptura, id velle nos oportet, quod rectum est. Videbimus igitur, Quid τὶ, quale ποῖον, quantum πόσον scribi oportet.* Quid scribendum sit, cum quæritur, quæritur quæ figuræ literarum exarandæ sint in aliqua syllaba, *vt* ἀμβρακιώτης *ne, an* ἀμπρακιώτης. *Grassari, an Crassari. Virgilius, an Vergilius. Assum, an Adsum. Afficio, an Adfacio. Effertus, an Ecfartus. In quo cum origo vocabuli tum vetustatis autoritas obseruanda est. Ut quod Virgilius sit à Virgula. Grassari, à Gradiendo. Assum autem etsi est duplicatum ex ad, & Sum, sicut Afficio, ex ad & facio, & effertus ab ex & farcio, tamen autoritas veterum reponit Assum, Afficio, Effertus, sicut Aufero est verum, non Abfero. Picra Galeni, verũ. Pigra, falsum.* Quale, in ordine cernitur, & comprælienſione literarum, cum diuiditur pronunciatio. *Ut rectum est, Abs tineo, sicut Abs temius. Contra, Con stituo, Con sternor. Rectum est, De spicio, non rectum Di strabo. Rectum est, Au dio, non rectum, Aud io. Mutatio ordinis autem est in his, Scortum, Scrotum. Furmentum, Frumentum, Pregula, Pergula. Quæ sunt tamen alterius potius considerationis, neque huc proprie pertinent.* Quantum, spectatur in adiectione aut detractione, vt:

Emptus,

Emptus, Cōtemptus, Dampnatus, Quotiens, Quum, Quoi, Quur, Coquus, Præcor, Fœlix, Michi, Sepulchrum, Simulachrum, Lachrimæ, Hionius. Quæ omnia viciose scribuntur abundantibus literis. Nactus, recte scribitur, Nanctus perperam. Iera Galeni falsum cum sit ἱερὰ Iusquyamus, & adiectione & detractione falsum, cum sit ὑοσκύαμος. Sed quoniam hæc prius corrumpuntur inscitia ineruditorum quàm errore scripturæ, ideo alibi disputatur de his copiosius.

DE ACCENTIBVS.

His expositis, veniamus ad indicium rectæ scriptionis. *De accentibus tamen prius mentione facta, quoniam & horum notas diligentia scribarum cœpit in Latinis dictionibus vsurpare.* Sciendum igitur, falsum esse acui finales syllabas, cum vna plus est in vno verbo, vt: *Profectò, Certò, Amabò. Quod etiam Prisciano placuisse animaduerto, vt partium orationis discrimen hoc modo indicetur. Sed multo melior autor Fabius hoc fieri oportere negat, quia nulla Latina dictio multarum syllabarum habeat acutum tonum in vltima, quod Græci nominant ὀξύτονον. Non ergo oportet inculcari differentiæ caussa id, quod in natura sermonis non inest, vel quod huic potius contrarium est.* Super longas quidem vocales lineam duci improbandum non

non eſt, præſertim differente ſignificatione, vt ſcribatur, Fēlix, Pălus, Mălus, Vĕnit, Bŏlus, Frĕta, ăret, Placĕt, Pŏtis, Rĕmus, Sĕrum, Oblĭtus. In quibus Fabius docuit duplicaſſe veteres vocales, vt Feelix, & Paalus ſcriberent. Etſi autem longarum & breuium ſyllabarum diſcrimina non ſeruamus pronunciando his temporibus, & de noſtra lingua, tamen ad accentuum rationem notum hoc eſſe prodeſt, & ita ambiguitas tollitur orationis. Si ſciam enim freta cum dicitur, eſſe, e, longum, non ignorabo generis fœminini nomen eſſe, & quid ſignificetur ſtatim intelligam. Neque pronunciabo, pérmanet, ſi ſciam verbum eſſe manare, & habere longam primam ſyllabam. Non trúcido, cum ſit cædo. Non ſimúlacrum, aut candélabrum. Non immóror, ebibo, perplácet, córrugo, defrútum, áblatum, dirútum, dilutum.

Sed nunc præcepta quædam Orthographiæ exponamus. *Cum ſciuerimus quibus literis quæq; ſyllabæ perſcribendæ ſint, in ſua prima origine, tum deinde in quas illæ in duplicationibus & aliis formis tranſeant atque mutentur, notabimus.* Conſiderabuntur autem primo loco vocales, ſecundo conſonantes. Vt verbi cauſſa, A breue, mutari in I *breue, facio, perficio, facilis, difficilis, cano, concino, cado, occido, frango, effringo, tango, attingo.* E longum, in I longum, *cædo, occido*, breue in breue, *lego, [illegible]go.* V in O, *femur, femoris.* Rurſum A, in

E, *arma, inermis, facio, feci, halitus, anhelitus.* In V, *ſalſus inſulſus.* E, in V, *faciendum, faciundum, & cætera, de quibus diſſeruit copioſe Priſcianus.*

DE DIPHTHONGIS.

Quæ autem ſyllabæ longæ vocales habeant *aut diphthongos, non poteſt generalibus præceptis tradi.* Græca quidem ſunt certa, vt: *Chærephon, Thymoëthes.* Sed in Latinis multis pro longis vocalibus cœptæ fuerunt ſcribi diphthongi. *Vt: fælix ſeu fœlix, quia veteres ſcripſerunt feelix.* Sed in his ſequendum eſt id, quod conſuetudo obtinuit, *vt ſcribamus præmium, prædium, cædo, cœpi, lædo, quæro, ſcæna, æthica, quæ ſunt certe σκηνὴ & ἠθικά. Item præbeo, ægi. Et cætera ſecundum correctiſſimorum librorum ſcripturam.*

Vocalis ει, Græcorum eſt, *quæ ſine ratione in quibuſdam Latinis verbis ponitur, vt omneις, queις. Cum illam in Græcis repertam Latini mutarint, nunc in longum, vt Nilus: nunc in e longum, vt Muſeum, eſt enim* νεῖλος & μουσεῖον.

I, pro conſonante veteres geminarunt, *vt Pompeijus. Unde genitiuus Pompeij. Eijus, & datiuo Eij. Poſtea hoc ſeruatum non fuit.*

Donatus dicit u, non poni inter literam q, & aliam conſonantem ſine altera vocali. Notum autem eſt, q, veteres non vſurpaſſe. Sed poſterioribus

placuiſ-

placuisse scribi hanc figuram tunc, cum sequeretur, u, vt : quare, quia, quoniam, quæro, equus. Falsum ergo est, quur, quum. Itaque alij fecerunt, quor, quom, & quoi, similiter falso, est enim cum, & cui, sicut cur, siq; omnino vellent litera q vti, scribi oportebat, qur, qum, & mutata litera, quor, quom, qoi, sicut coqum, & coquin, & birqum ac birqom. Sed hæc inusitata sunt.

DE CONSONANTIBVS.

Falso consonantes aliqui vocalibus adiunxerunt, vt esset plenior vox. *Tale est, Quotiens, pro Quoties. Thensaurus, pro Thesaurus. Formonsus, pro Formosus. Et fieri potest, vt imperiti scribæ, apicem productionis, notam esse putauerint literæ n. Contra detraxere aliqui literam n, scripserunt, Pregnatem, pro pregnantem, & similia. Quorum vtrunque improbandum est.*

Sed quæ mutæ nominantur, harum b, ante c, f, g, p, r, in eas ipsas transit, *Succedo, Suffragor, Suggero, Supprimo, Surrego. Hæc sunt certa & vsitata. Fecerunt & Summitto, & Summoueo, & Summœnium, & similia, quæ & ipsa ita scribi oportere sentio.* D, sequente c, f, g, l, n, p, r, s, t, in easdem transit. *Priscianus non fecit omnium, sed aliquarum tantum mentionem. Exempla sunt, Quicquid, accino, affinis,*

nis, aggredior, agnatus, alligo, annitor, approbo, arrideo, assimilo, attingo, placuit & ammoueo, & ammolior quibusdam, sed ambiguitatis caussa retinendum censeo, admoueo, admolior, ne videantur esse ămoueo, ămolior. M, mutatur in n, *anquiro, anceps, quanquam, ancisus, nuncubi, nunquis, tantundem. Amfractus autem verius esse puto, quă anfractus.* N, ante, l, m, in easdem transit, *colligo, comminuo.* N ante P, in m, *Comprimo.* Item ante b, *Imbellis.* R, mutatur in l, si sequitur l, *vt Pellego, Pellucet.* S, in m, *vt Dimminuo, vt placet Prisciano, alij fecerunt Demminuo. Exsilium & Exspes, & Exspecto, & Exsequor, ac similia reperiuntur in quibusdam libris, qui sunt, vt ita dicam,* νεοπάλαιαι. *Et annotauit Priscianus hăc scripturam, cum quidem improbet, & est improbanda.* Non enim duæ geminatæ consonantes alteram consonantem sequantur. *Neque dicimus abscissus, asspicio, asspiro, desspicio, & similia. Sed aspicio, abscissus, despicio, & similiter, exul, exilium, exequor, expes, expecto, expuo, expolior, aspiro. Quod etiam aliqui scripsere, adgnatus, falsum est. Nam si in his, ignarus, ignotus, ignominia, & similibus, quod g adderetur, n, litera elisa fuit, ne tot consonantes concurrerent, quanto minus ferendus hic multo durior consonantium concursus? Translatus, transductus, transmissus, transscriptus, transgressus, transpositus, traiectus, scribuntur nunc*

&

& pronunciantur ita vt scribuntur. Sed veteres illa hac forma protulerunt, qua traiectum & fecerunt tralatus, vnde tralaticium, traductus, tramissus, & cætera eadem forma.

DE ASPIRATIONE.

In sermone Latino nulli consonanti aspirari verum est, itaque & de Græcis verbis detractæ fuerunt aspirationes, *vt docuit Iouianus Pontanus. Cuius extat libellus eruditissimus, de aspiratione, legendus ab omnibus bonarum artium & literarum studiosis. Vocalium igitur aspirationes seruari debebunt vsitatæ, quæ ignotæ non sunt, etsi etiam in his græcissantes Latini posteriores, crebrioribus vsi fuerunt, quam natura & proprietas linguæ Latinæ pateretur. Hospes scribi recte putatur. Ostium autem aspiratione carebit, cum fores significat. Halitium item probo differentiæ caussa. Humidus, vsitatum, hudus non item, hulcus probatur, quod sit ἕλκος. Etiam hiulcum, quod hio, honestus, sed non etiam honustus, alterum enim ab honore, alterum ab onere nominatum fuit. Habeo verum est, erit igitur habilis, & ita in aliis, sed habundare falsum est. Græca vero per se sunt manifesta. Consonantibus cœptum esse aspirari sua ætate scribit Cicero in Oratore. Hæ fuerunt κακοζηλίαι græcitatis. Verum igitur est his non aspirari. Quapropter scribemus: pul-*

cer, orcus, lucro quoque, etsi hæc Probus aspirationem habere putat. Nam de alijs pronunciat, omnia esse peregrina, quæ post c, literam aspirationem habeant, vt: Chorus, Charon, Archemorus, Chartago. Sic dicemus Schola, Schema. Erit & Cachinnus Græca origine. Sepulcrum item & Simulacrum, & similia sine aspiratione scribentur. Similiter Oto, Mato, Corona, Obscœnus, Cœpio vera sunt. Etiam Cetegus, Cartago, & Triumpus, teste Cicerone. Sed hæc tamen nunc fere omnes sic scribunt, vt fiat Cethegus, Carthago, Triumphus. Tutissimum autem, & vt opinor, his temporibus rectissimum fuerit, quoniam tam Græca quam Latina lingua nobis externa est, vt si in lingua Latina Græca vocabula Latinis literis velimus exarare, illas exprimamus, neque omittentes neque immutantes aliquas, quemadmodum in Burro & Brugibus, & Medentio, & Apua fecerunt veteres. Quanquam Ilberios non improbem, neq; æs cuprium, neq; cuminum, neque collurium, &c. & ὗς certe Sus est, & μύραινα Muræna. sicut μῦς Mus, & μύτιλος Mutilus, & κλύω, Cluo seu Clueo.

DE LITERIS K ET Q.

K, literam constat esse Græcam, & Græcarum dictionum caussa Latinis annumeratam, sicut Z & Y, vt: *Kallinus, Kalamus. Itaque miror, quid in mentem venerit ijs, qui præcepe-*

præceperunt hanc ante A breue ponendam, vt: Kanna, Kaput, Karthago, quidam tamen & Karus & Karitas auſi fuerunt ſcribere. Sed inprimis eſt alienum, quod etiam Kalendas hanc literam habere voluerunt, cum Græcas Calendas nullas eſſe, etiam prouerbio ſignificetur, quando quod futurum eſſe nunquam volumus indicare, id ad Græcas Calendas eſſe futurum, dicimus. De litera Q. ante dictum eſt.

DE DVPLICATIONE Literarum.

Veteres conſonantibus vſos eſſe geminatis negant. *Sed cum pleniorem repetita aliqua ſonum eſſe vellent, ſupra conſonantem apicem collocaſſe traduntur, quemadmodum & productam virgulam ſupra longas, vt: Pōpulus Alcidæ gratiſſ. Tale nūmus, Sēra, Tibūlus, Catūlus. Quæ ſunt nummus, Serra, Tibullus, Catullus. Sed poſtea cum geminæ ſcribi cœpiſſent, ſſ, geminatum fuit ſæpe in medijs ſyllabis, quod huius ſonus in lingua Latina per eſſet exilis. Hinc eſt Cauſſa, Auſſus, Caſſus, Cæſſus. Quod nunc etiam ſequi, fortaſſe alijs in quadam curioſitate ineptum, alijs à ſtudio Latinitatis neutiquam alienum eſſe videatur, vt de hoc præcipere aliquid non libeat.*

DE GRAECIS LITERIS.

Z ET Y.

Z, Græcorum litera mutata fuit in ſſ geminum, vt: *πατρίζω, Patriſſo, φιλιππίζω, Philippiſſo, ſic & Baptiſſo dicemus & ſimilia.* Y autem tunc ſolet fere retineri, etſi mutaſſe veteres in V, conſtat, *quemadmodum paulo ante oſtendimus.*

DE LITERA X.

X litera quia accepta & vſu approbata eſt, ea vtemur. *Scribemuſq; calx, ſiue de materia ſeu de pede, contra Capri diſtinctionem, qui & alia quædam magis de incerta vſurpatione quam vera ratione diſtinguit, vt protenus & protinus. quatenus & quantiuis. pinnas & pennas. ſcorpium & ſcorpionem. De quibus ipſe viderit, neque hæc ad Orthographiæ proprie tractationem pertinent.*

DE DERIVATIVIS.

In ijs, quæ deriuata declinata aut duplicata ſunt, videndum eſt, vt ſcribentes, eas vſurpemus literas, quæ dictionum origini conueniunt, quatenus hoc veritatis ratio patietur. *Vt: Conditio, potius quam Condicio. Suſpicio autem potius quam Suſpitio. Demonſtratio item, non Demonſtracio. Iudicium, Audacia,*

Precium, non Iuditium, & Audatia, & Pretium. Iusticia rectius quam Iustitia. Sic fiet, Velocium, Loquacium, Felicium, à Veloci, Loquaci, Felici. Canentium autem & Dicentium, à Canenti & Dicenti. Similiter Velocior, Felicior, non Velotior, Felitior. Occipitium, verum est. Auspitium, non est, sed auspicium. Quotidie malim, quam cotidie. Exquiro, negligo, verum, quamuis in Terentianis libris, & alibi repertum sit neglegere & exquerere. Testacius, Mustacius, sicut Gallinacius. Minutius. Munatius, Mutius, Constantius, Terentius, Caluentius t, habent. Quorum autem mutata scriptura etiam significatio mutatur, ea diligenter distinguenda sunt, vt: *Desertus, Disertus. Deductus, Diductus. Delator, Dilator. Quæstus, Questus. Hora, Ora. Deligi, Diligi. Tale quibusdam placuit esse deluit, id est, purgauit, vt deluit crimen. Diluit, Miscuit, vt diluit venenum. Fuerunt: qui aduersum & aduersus significatione discernerent, sed sine caussa. Est enim* δικατάλληκτον, *vt Seorsus Seorsum & Fortasse, Fortassis, & his similia. Tale est, quod quibusdam placuit, Cepit vrbem, cæpit orationem, vt ibi significetur, occupatio, hic exordium. Item pignora* ἀῤῥαβῶνας *esse, pignera liberos. Sed hæc & alia huiusmodi plura magis exquisita quam vera esse puto.* Verum si linguæ natura, quæ est veritatis ratio obstiterit, originis respectu non mouebimur, quo minus ea

 perscri-

perscribamus quæ pronunciari rectum est, *vt Assum, non Adsum, Affero, non Adfero, Assiduus, siue ab Assibus facto, seu cum præpositione, ad, composito nomine. Colloquium, non conloquium, &c. Neq; scribemus ideo exsilium, quod placeat hanc ex solo esse expulsionem. Neq; exterris potius quam extorris, quamuis perhibeatur à terra ductum nomen. Neq; vensica pro vesica, quod vento illa non careat.* *Sed de his satis.*

DE ANTIQVIS.

In antiquorum autorum libris scripturam antiquam relinqui rectum est, affectari non oportet imitando. *Huiusmodi sunt, Seruos, Volgus, Pulixena, Agerunte, Olla, Plostrum, Cloduus, vnde remansit Clodius, vt à Claudo, Claudius. Optumus, Sacerrumus, & his similia.*

DE SCRIPTVRAE breuitate.

Non modo ad occultandam sententiam, sed etiam compendiosæ scriptionis gratia notæ vsurpatæ semper fuerunt, & scriptura facta breuior, &, vt ita dicam, succinctior ac expeditior. *De notis nunc dicendum non est. Sed breuitas, & veluti correptio consistit in omissione aliquarum literarum, vel contractis figuris.*

figuris. In quà parte mirifica est gnauitas Græcorum agili manu & idoneis ductibus ad implicandum. Ut κτ͞, κατὰ. ϗ, καὶ, γ͞ρ, γάρ. τ͞, τῆς. μ͞, μὲν. λέγε͞, λέγεται. ἰῆ͞ς, χ͞ς, θ͞ς, ἰησοῦς, χριστὸς, θεὸς. *& alia etiam mirabiliora, quæ inculcanda non fuerunt hoc loco. Ex hoc genere est,* ξῶ χιαζόμενον, *id est, ductus literæ* X. *ita exaratæ, vt superne per decussationem deducatur* P, *qua figura designarunt nomen saluatoris & Domini nostri Iesu filij Dei, qui sanguine suo reconciliauit æterno Patri genus humanum. Sed hæc in lingua Latina crebro non vsurpari melius fuerit. Præsertim inepte quibusdam factis. Ut dr͞a. differentia, b͞tr. breuiter, n͞tr. naturaliter, & quæ neque in mentem mihi veniunt, neque digna sunt, vt demonstrentur, & suæ cuiusque sunt quasi architectationis. Sic decurtatur, opt. potiss. acerr. quibus & similia.*

DE NOTIS DISTINctionum.

Si non distinguuntur pronunciando verba, fit vt confundatur sententia, vt: *Inuia virtuti nulla est via dixit & auro fulgentem ramum silua Iunonis auernæ monstrauit. Nam sic erit incertum, Utrum tantum Virtuti, an Virtuti simul atque auro nulla via inuia esse perhibeatur. Distingui autem solent ea, quæ scribuntur*

secundum pronunciationis veritatem. Si enim sit imperfecta sententia, & dicatur tamen aliquid, enunciatio, quam Græci ἀπαγγελίαν vocant, nonnihil est suspendenda, ne continuata serie procedens, reddat orationem obscuram indistinctis verbis, & ita inexplicato sensu. Perfecta autem sententia, premitur aliquanto enunciatio magis, ne ad hanc additum tunc etiam iri aliquid auditor suspicetur. *Cum est quidem periodica oratio, id est, absoluta omnibus partibus & numeris circumducta, tum & magis necessarium & euidentius est id de quo nunc loquimur.*

Periodicæ autem orationis partes sunt præcipuæ, κῶλα, id est, membra, minus præcipuæ κόμματα, id est, cæsa. *Itaque horum exempla proponere facile est. Vt hoc Virgilianum:*

Stat sua cuiq; dies: breue & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus.

Cicero de Natura deorum lib. 2. Cultus autem deorum est optimus, idemq; castissimus atq; sanctissimus, plenissimusq; pietatis: vt eos semper pura, integra, incorrupta, & mente & voce veneremur. Notas, & vt vocarunt puncta distinctionis, alia aliis figuris exprimunt. Simplicissimam esse videtur, ad periodum, seu perfectam & plenam sententiam in medio apponi

poni vnam notam. Ad membra duas: ad cæſa inflexam virgulam, qua quidem tam ad membra quam cæſa quidam vti reperiuntur. *Non etiam nulli multo plures notas ſcriptis inſerunt, vt* ἀποσιωπήσεως, *quam ſuſpenſionem vocant, vt:*

Quos ego! Sed motos præſtat componere fluctus.

Et aliarum affectionum, vt, querelæ, indignationis, doloris, ſimulationis, ſeu ironiæ, & cæterarum. Sed relinquendum etiam eſt aliquid lectoris induſtriæ, non enim hæc plane rudibus & ineruditis præcepta traduntur. Interrogatio recte indicatur, *ſæpe enim non animaduerſa hæc ſententiam peruertit. Vt, Cantando tu illum?* Subijcienda autem hæc nota ſemper eſt interrogationis membris. *Vt:*

Nonne vides? ſemper croceos vt Tmolus odores:
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi:
At Chalybes nudi ferrum, viroſaq; Pontus
Caſtoria, Heliadum palmas Epirus equarum.

Etiam παρενθέσεων notæ bonæ ſunt & vtiles, præſertim ſi ſit productio longior, quod Græci ὑπέρβατον nominant. *Hanc fere circulo diſſecto, vtrinq; apponunt contra ſe lunatam. Maro lib. 5.*

Summe pater (nam te voluit rex magnus olympi,
Talibus auſpiciis exortum ducere honorem)
Ipſius Anchiſæ longæui hoc munus habebis, &c.

De alijs

De aliis multiplicibus notis, vt Paragraphis, asteriscis, obeliscis, & cæteris, in præsentia dicendum esse non putauimus. Multo minus de Musicis carminum. Etiam breuius, quam fortasse alicui fieri oportuisse videatur, perstrinximus rem totam, cum tamen in genere satis plane demonstrata esse omnia sperem. Hic igitur nostræ in præsentia disputationis finis esto.

1643. 91.

Ioachimus Camerarius Pabeperg. perscrip. Id. Martij. Anno Christi, M. D. L I I.

L I P S I Æ

In officina Ernesti Vœgelini Constantiensis.

Fecit parum multum videri, nam fecit omnibus
Et vidisse parum maxima damna fuit.
Ἐναντίον τι ... ιμον ...
... parum ... parum
... πονου τινί ...
... Zaber ... parum
Mens pia mens hilaris mens libera & ...

Haec sunt divitiae plebis
o fortuna iuvat cauto toll.
o fortuna favet cauto merg...
Periandri Corinthii ...
quat. Eccl...
Commoda ... omni...
Arithmetica ...

Studiosa tuo amicitia
Lubrica fors est
Misera ...
... mouet,
Cum stat in alto
Tendit in imum,
Cum stat in imo
Tendit in altum.

τῷ Θεῷ δόξα, ἐξ οὗ, δι᾽ οὗ, ἐν ᾧ πάντα ἐστι, ἦν, ἔσεται. Deo gloria ex quo, per quem, in quo sunt, fuerunt, erunt omnia

Nemo est tam Lynceus, qui in tantis tenebris oculos extendat, vel in ...
Mant: 2 dyl
Certandum est: nullis venerunt sine Marte triumphi
Et sine certamine nulla corona datur



